ARMAMENTARIVM CHIRVRGICVM BIPARTITVM,

Studioq; & operâ

D. JOANNIS SCULTETI ULMENSIS,

Reipubl. Patriæ Physici ordinarij, reformatum, correctum & auctum.

Cum LVI. Tabulis, sive Figuris æneis novis accuratissimis.

Ut &

Tribus Indicibus absolutissimis,

INSTRUMENTORUM SCILICET, OBSERVATIONUM, ET RERUM NOTABILIUM.



FRANCOFURTI,

Sumptibus Viduæ JOAN. GERLINI, Bibliop. Ulm.

Typis JOANNIS GERLINI.

ANNO M DC LXVI.

1666

ILLUSTRIS & INCLYTÆ
REIPUBLICÆ IMPERIALIS

ULMENSIS
PROCERIBUS.

DNN. Duum-Viris, Consulibus, ac Senatoribus,

VIRIS

Magnificentia, nobilitate, antiqua gentis prosapia, amplitudine, consilio, prudentia, undiquaq; spectatissimis.

DNN. PATRONIS AC FAUTORIBUS, ea qua par est animi devotione semper & ubique colendis

Salutem interminam!

CUm, Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi, illi omnes, qui in Rerumpublicarum gubernaculis sedent, studia, industriam suam ac labores eo conferant omnes, ut pacem ac tranquillitatem publicam fovendo istarum sectentur & conservent incolumitatem; in hoc etiam vel maxime civibus suis Patriæ Patres consultum velle; ut, quia Platonis summi apud Veteres philosophi judicio præ forma, viribus, opibus, primus debeatur sanitati locus, mens sana sit in corpore sano, proin præstantissimos quosque sibi procurare Medicinæ & Chirurgiæ Magistros atque Doctores, experimur.

Quotus quisq; Urbem Vestram, aliquando & nostram, intuetur, & oculos per ejusdem decora omnia & ornamenta circumfert, detentos esse utique egregijs istis sapientiæ & prudentiæ Vestræ monumentis, legum sc. reverentia, subditorum obsequio, modestia, amore civium, studio in conquirendis & fovendis sublimiorum studiorum variarumque artium sectatoribus peritissimis, ingenuè nobiscum profitebitur.

Fovistis olim, Amplissimi Proceres, SCULTETOS duos, Philosophiæ & Medicinæ inter eruditos celebratissimi nominis Doctores, alterum cognatum, si viveret, Parentis & avi loco nobis honorandum, alterum, maritum, genitorem, desideratissimos nostros; promovistis studia & conatus illorum, illos honesto conductos salario liberalissime per omnes vitæ dies estis Complexi.

Horum

Horum itaque SCULTETORUM civium vestrorum ARMAMENTARIUM CHIRURGICUM, decennio abhinc sub amplissimo nomine Vestro erudito communicatum orbi, nunc, bonum quia publicum sic postulat, cum auctius & emendatius, obque commodiorem usum in minori forma impressum, in lucem prodire debeat; equidem piaculum foret, ingratitudinis etiam turpissimam vix effugeremus notam, si alios quam pristinos, & quos ipsi SCULTETI sibi exoptarunt, eligeremus nos & quæreremus huic operi Patronos.

Eja igitur, Nobilissimi Patriæ Patres, respicite serena fronte munus, utut mole exiguum, ast Inclyto Ordini vestro debitum, DEO enim aspirante labor hic apud vos natus est.

Audite novo hoc observantissimæ submissionis præloquio ante debita humiliter iterum consecrantes, votisq; his secundis prima vobis repræsentantes.

Accipite devotissimi cultus testem indelebilem perpetuumq;.

Agnoscite hinc mentes pro tot & tantis nobis larga manu præstitis beneficiis gratissimas.

Amplectimini, quæsumus, & deinceps gentem SCULTETORUM benigno affectu, nec unquam è sinu gratiarum & potentiæ vestræ istam dimittite.

Cæterum Numen summum votis obtestamur supplicibus, ut Inclytam Orbis Germani Rempublicam ULMANAM, inq; illa vos optime Regentes Megistanes, istam vobis & civibus vestris, vos isti ab omni novercantis fortunæ aspectu defendere, ab hostium itidem insidiis & molitionibus, tutos præstare, diras cœli

 minas,

minas, vindicemq́ in Germaniæ ſcelera paratiſſimam manum retrahere, maledictionem in benedictiones convertere millenas, ſceptrumq́ veſtrum & regimen coronare velit, quô vos Domini Magnifici per heroica omnium virtutum ſpecimina, Patriæ Patrum, Libertatis & Religionis vindicum titulos honeſtiſſimos ſubinde mereri, hosq́ in annales relatos ad ſeram poſteritatem transmittere, atq́ ad extremum longævæ vitæ ſaturi mundi honoribus, oneribus, laboribus cordatè valedicere, animasq́ Creatori DEO ſanctiſſimè reddere poſſitis. Sic optant precanturq́

Magnificarum Virtutum
& Meritorum Veſtrorum

Exarat. Schorndorfi munitiſſimo
Wirtemb. oppido Calend.
Aug. cIↄ Iↄc LXV.

Deprædicatores perpetui ſubmiſſè addictiſſimi

D. JOAN. SCULTETI
p. m. Hæredes.

MAGNI-

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, Ampliſſimis, Conſultiſſimis & Prudentiſſimis

DNN. DUUM-VIRIS, CONSULIBUS, AC Senatoribus Inclytæ Reipubl. Imperialis ULMENSIS.

Dnn. ac Fautoribus meis omni honoris cultu æternum proſequendis, ſalutem & obſervantiam.

VNusquisque, Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, & Prudentiſſimi, qui æterni rerum Moderatoris & Arbitri mira opera inconnivo mentis oculo intuetur, dulciſſima contemplatione oblectatur, & oblectatus magis magisq́ue ea rimatur, & rimando indies plura addiſcit, & diſcendo lubens volensq́; publico uſui conſecrat, & experimenta ſua auxilio chalcographiæ feræ poſteritati tranſmittit. Et licet plurima Scriptores anteriores dixerint, tamen multo majora poſteris ſuis dicenda reliquerunt. Dominus meus Patruus p. m. primum, admirando Dei ductu, Studio Medico à juventute animum dedicavit, & cum in eo feliciſſimis Chirurgiæ operationibus non infimam gloriam, abſit invidia dictis, conſecutus fuerit, ſtupendum DEI miraculum, hominem ſcilicet, tanquam objectum ſuum, ſuaviſſima oblectatione contemplans, cotidie novas obſervationes didicit, quas foliis chartaceis inſcripſit, ea opinione & eo animo, ut aliquando reviſæ in vulgus exirent. Et utinam fata mitiora vitæ ipſius diem in plures annos produxiſſent, ut ipſius hunc ſuum ingenii fœtum potuiſſet ad umbilicum pertexere. Sed cum, Deo ita diſponente, propter improviſum ejus ex vivis diſceſſum, ego unus ex illius heredibus ab inteſtato veniens, ejusq́; voluntati à pueritia morem gerens parilem profeſſionem nact⁹, nefas eſſe duxi, ut hunc mei educatoris laborem Cimmeriis quaſi tenebris involverem, præprimis cum heres teneatur defuncti vota diſſolvere. Quod ego hac mea qualicunque opella præſtitiſſe, inſuperq́ue nonnullorum amicorum deſideriis, qui operis publicam editionem per literas inſtanter petierunt, ſatisfe-

ciſſe

cisse spero, confido. Causa autem princeps hæc fuit, quæ me impulit, ut V. V. St.Str. Nobill. Magg. hoc opus inscriberem, quia inter opera Domini mei patrui posthuma scriptam hanc ejus voluntatem invenire licuit, illum ipsum, si diutius vitali fruitus fuisset aura, sæpe laudatum suum laborem, V.V. St.Str. Nobill. Mag. consecraturum fore. Quare maximè reprehendendus & valdè incivilis essem, si vel tantum cineribus piis vellem reluctari.

Utrumq; autem & Patruum & me in justam sui admirationem rapuit vester pulchrior pulchra Urbe ULMA Senat. ordo, & quidem is ordo, qui in trino statu, Eccles. scil. Politico & Militari in sublimi honoris culmine floret, qui, quod in anima mens, in corpore oculus, & in oculo pupilla est, hoc in ULMA, oculo Sueviæ, vester Senatorius ordo, tanquam pupilla est. Libera est Laudatissima vestra Respublica à jugo imperioso conscientiæ, libera est curia ab assentatoribus, clementia favoreq; intempestivo; libera sunt mœnia ab externo milite, & libera est lingua in civitate libera. Quis igitur vos Patriæ Parentes non eadem amoris veneratione prosequatur, qua Patria vel ipsa maximè afficienda, colendaque est? Quis non scriptis & dictis submissum erga vos animum contestetur? Bellum tricenarium Germanicum, de cujus plagis etiamnunc penè tota gemit Germania, & quod Christianus contra Christianum novit, Defensore DEO, vobisque Directoribus, mœnia nostra non conquassavit, aras & templa non violavit, pudorem virgineum non constupravit, sed hæc omnia constantissima Vestra Tutela defendit, Suma Prudentia conservavit, & ingenita sedulitas protexit. Utrumq; vos, & Patruum honesto salario conductum, & me (quem inprimis ærarii vestri favor liberalissime complexus est, sine quo, Athenis præsertim Venetis ultra triennium degens, nec vivere, nec Studiis operam navare potuissem,) dignati estis in Concilium Medicorum recipere in eorum Collegio Collegam fieri jussistis. Hæc, aliorumq beneficiorum cumulum ille vivens gratissimus agnovit, ejus cineres quieti deprædicant, ego superstes grata pariter memoria nullo non tempore persequar. Ea propter, Patriæ Patres conscripti, vestra singularis naturæ benignitas, & incredibilis humanitas, quæ fronte totoque corporis habitu relucet, mihi tantum addidit fiduciæ, ut nec ipse dubitarim, vos hac Armamentarij Chirurgici dedicatione interpellare, vestroque patrocinio, tanquam Ajacis clypeo, lucubrationes hasce Medicas præmunire.

Accipite igitur, Patriæ Proceres, hoc observantiæ erga vos, gratumque mentis levidense pignus serena fronte, quod vobis submissè offero, Deumque ter Optumum Maximum veneror, ut Divina sua protectione, vos Gubernatores inclytæ hujus Reipublicæ, una cum gubernaculis & puppi tota, in nostrum omnium & posteritatis comodum, quam diutissime pios, felices & fortunatos conservet, protegat & defendat.


ULMÆ III. Iduum Martii, Anno M. DC. LV.

V. V. St. Str. Nobill. Magg.


Observantissimus

JOANN. SCULTETUS, D.


ARMA-


TABULA I
Fig. I.
Fig. II
Fig. III.
Fig. IV.
Fig. V.
Fig. VI.
Fig. VII.
Fig. IIX
Fig. IX.
Fig. XI.
Fig. X.
Fig. XII.
Jonas Arnold Delineavit.


TABULA. II



Jonas Arnold Delineavit. Jeremias Renner Sculpsit Aug.


TABULA III.
Fig. I.
a
b
c
Fig. II.
Fig. III.
i
k
p
o
h
e
d
f
Fig. IV.
m
n
l
q
g
A
Jonas Arnold Delineavit.

TABULA. IV.



Jonas Arnold Delineavit.

ſubmitto, & vectem unà cum cranio depreſſo perpendiculariter attollo. *vid. Tabul.* XXIX. *Figur. III.* Quodſi verò triploidis vecti (*g*) non conceditur locus ob rimæ abſentiam, tunc in medio depreſſionis apicem terebræ (*h*) triploidis, ſuperiorem ſtyli materculam preſſa manu cautè circumvolvens, parum internæ diploidi infigo, & deinde inferiorem ſtyli materculam inferiora verſus circumduco, atque ſic terebram cum affixo cranio perpendiculariter ſubveho. *vid. Tabul.* XXVIII. *Fig. IV.*

Fig. IV. eſt *vectis, ſeu elevatorium* ex Ambroſii *Paræi* l. 9. c 5. deſumptum, quo utuntur alii in maximis cranii depreſſionibus, imitanturque vietores, qui doliorum aſſulas intus depreſſas ſimili vecte ſolent retrahere. Indita igitur adunca vectis extremitate (*m*) ſub os depreſſum, alterum verò vectis brachium (*n*) quod rectum eſt, oſſi ſano debet inniti, ut, dum manubrium dextra deprimitur, aduncâ inſtrumenti parte id, quod depreſſum eſt, erigatur. *vid. Tabul.* XXIX. *Fig.* II.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, loco ſupra allegato, præſtantiſſimos quidem varias in pueris & adultis depreſſiones elevandi modos tradit, inſtrumentaque in hunc finem ſingularia depingit, quibus tamen ego nunquam ſum uſus, ſed inſtrumenti triploidis tam vecte, quam terebra, unam atque alteram cranii depreſſionem bono ſucceſſu repoſui, &c.

TABULA QUARTA.

De volſella & forcipe, tam pſittaceo quam vulturino prædita roſtro, quibus oſſicula membranas cerebri vel comprimentia, vel pungentia abrumpuntur, & extrahuntur.

FIg. I. eſt *inſtrumentum* ad operationes chirurgicas valde neceſſarium, *quod Paulus* Ægineta l. 6. c. 32. *ἀκανθαβόλον, & C. Celſus* l. 7. c. 30. *volſellam vocat.* Hujus parte duplicata ſeu dentata (*a*) fruſtulum oſſis corruptum & mobile, ſpicula itidem & globulos, eorumque fragmenta, turundas, pilos, & quæ id genus alia in vulneribus extranea reperiuntur, extrahunt. Singulariter etiam dentata volſellæ pars inſervit chirurgis ad pilos è palpebris tollendos, qui introverſi oculos irritant. Præter dictos uſus, quos præſtat, eadem famulatur quoque Medicinæ comptoriæ, ad pilos in ſuperciliis fœminarum, inprimis nobilium (*quæ pulchritudinem adeò appetunt, ut ſæpiùs malint eſſe pulchræ, quàm ſanæ*) abundantes radicitùs extirpandos. Notandum eſt, hanc inſtrumenti partem dentatam, ut ea vel oſſiculum, vel aliud quidquam faucibus præter naturam inhærens eximi poſſit, quadruplo longiorem eſſe conficiendam, quàm fuit depicta. Lato volſellæ extremo (*b*) quidam cerata extendunt ſuper linteamina & corium in defectu communis ſpatulæ: hoc nonnulli in vulneribus capitis pericranium ab oſſe ſeparant (in defectu ſcilicet unguium, pollicis & indicis paulò longiorum; aut manubrii illius ſcalpelli, *quem Tabula* XIV. *Fig. V*, oſtendit; aut cultri ſeparatorii, quem Ambroſius Paræus *l. 9. c. 4.* depingi curavit) antequam modiolos & ſcalpra cranio admovent. Unguibus tamen digitorum longioribus, quamvis hos quidam planè rejiciant, peri-

cranium à cranio diducitur, experientia teste, multo securius, quàm reliquis instrumentis, seu manubrio allegati scalpelli, cultro Paræi, & lato volsellæ extremo.

Figur. II. est *forceps psittacea, seu rostro psittacino (c) prædita*, cui superiùs affigitur cochlea umbellata (*d*) quæ rostrum ad duram cerebri matrem vetat immergi, unde non incommodè ἀβάπτιστον appellari posset. Forceps eadem inferius habet manubrium (*e*) quod rostri extremo, cochleam referenti, & de capsula pariter rostrata (*f*) prominenti (*g*) admotum, dextra manu circumvolvitur. *Vid, Tabul.* xxix. *Fig. IV.*

Fig. III. est *forcipis* modò descriptæ *rostrum psittaceum*, extra cannulam suam (*f*) positum, ut artifex ejus cochleam (*g*) melius contemplari possit.

Fig. IV. est *forceps vulturina, seu instrumentum rostro vulturino* (*h*) & cannula (*i*) constans, ad cujus rostri cochleam (*k*) clavis (*l*) circumducitur. *Vid, Tabul.* xxix. *Fig. V.*

Fig. V. est *forcipis vulturinæ rostrum*, extra cannulam (*i*) depictum. His duabus meis forcipibus, ut & illis (*quas nobis Tabulæ* xi. *Fig.* i. *&* ii. *nec non Tabulæ* xx. *Fig.* i. *monstrant*) ossis aliquod frustulum in curatione capitis vulnerati aufero, partim rumpendo, partim incidendo. Forcipes hæ vulnerato capiti, seu potiùs fracto cranio destinatæ, figura saltem & magnitudine, pro removendorum ossium varietate variant.

TABULA QUINTA.


De serrula Autoris versatili, quâ duorum, pluriumve foraminum interstitia in cranio tutissimè exciduntur.

Fig. I. est *serrula mea versatilis*, quæ summè necessaria est ad tuto intercidenda duorum, trium, pluriumve foraminum trypano factorum interstitia. Ubi enim vectes Tabul. II. & III. propositi, ob rimæ vel absentiam (*quando nimirum tabula cranii externa chirurgo apparet integra, & diplois seu interna noxam patitur*) vel ob ejus angustiam non admittuntur, opus est ut duo ad minimum foramina Trypano Fabricii parentur, eorumque deinde interstitia, citra læsionis periculum, hac serrula incidantur, ut cranio depresso vectis ad elevandum commodior submitti, ossisque frustulum, quod non raró cerebri membranas pungendo & comprimendo lædere solet, volsellæ dentibus eximi possit. Hujus instrumenti partes conjunctas minusculis, separatas verò majusculis notavi literis.


Fig. II. est lamina ferrea in medio (*a*) perforata, & secundùm longitudinem excisa, quæ superius habet manubrium (*b*) & foramen (*c*) in flexura: inferius lamina hæc utrinque aciem obtinet acutissimam (*d*) qua totum instrumentum cranio ab omnibus suis integumentis denudato firmiter insistit.

Fig. III. monstrat claviculum umbellatum (*e*) qui, postquam foramen (*c Fig. II.*) transiit, capsulæ dimidiæ (*f*) infigitur. Hæc capsula (*f*) dimidia foramini

(*a Fig.*



TABULA. VI.


Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
Fig. VII.
Fig. X.
Fig. IX.
Fig. V.
Fig. VI.
Fig. IV.
Fig. IIX.
Jonas Arnold Delineavit.

(*a Fig. II.*) beneficio orichalceæ lamellæ (Fig. IV.) regulariter annectitur per duas cochleas (quas capſulæ pars averſa foraminibus orichalceæ lamellæ exactè correſpondentes obtinet) totidemque nodulos (*h*) ut chirurgus beneficio claviculi capſulam in ipſo operandi actu ſurſum & deorſum trahere poſſit. Per foramen (*i*) ducitur axis (*u*) ad rotulæ (*q*) centrum. Lamella (*k*) ſuperiùs eſt dentata, & ibi excipit dentes rotulæ; inferiùs eadem (*l*) utrinque eſt æqualis, ut ſerrula (*m*) in hujus capſulæ & Figuræ VII. fiſſuris, beneficio rotulæ & capuli, regulariter dextrorſum & ſiniſtrorſum moveri apta ſit. Laminæ orichalceæ (*p*) in medio cavæ, & duas cochleas (*o o*) habentis beneficio, ſerrula (*m*) inſtrumenti integri hinc inde æqualiter movetur.

Fig. IV. eſt lamella orichalcea (*g*) bis perforata, cum duabus materculis (*h*) quas ſuprà nodulos vocavi.

Fig. V. rotulam ſemidentatam (*q*) exhibet, & in altera capſula dimidia (*r*) repoſitam. Dicta capſula tribus foraminibus (*ſ*) totidemque cochleas (*o Fig. III.*) ſuis nodulis (*t*) firmandas recipit.

Fig. VI. oſtendit rotulam ſemidentatam, & Figur. VII. capſulam dimidiam, ſeparatim depictas, ſuiſque literis ſignatas, &c.

Fig. VIII. eſt clavis, qua inſtrumentum integrum (Fig. I.) in ſuas partes (Fig. II. III. IV. V. VI. & VII.) dividitur, & diviſum rurſus componitur. Litera *u* notat axin, quæ capſulas & rotulam in parte averſa perforat. Litera verò x manubrium ſignat. *Vid. Tabul.* XXVIII. *Fig.* VIII. *modus utendi ſerrula verſatili.*

TABULA SEXTA.

De ſerrulis rectis, variiſque ſcalpris, quibus cranium vel ab aëre alteratum, vel ab humorum acrimonia corruptum, vel violenter fiſſum tutò abraditur.

FIg. I. & II. ſunt *ſerrulæ rectæ*, quibus aliqui non ſolùm interſtitia foraminum modiolis factorum in cranio intercidunt (*vid Tabul.* XXIX. *Figur.* VII.) fiſſuraſque capillares, ac utramque cranii tabulam haud penetrantes abolent, ſed etiam, quicquid in cranio nigrum & aſperum apparet, abradunt.

Fig. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX & X. varias raſpatoriorum formas exhibent. Galenus lib. 6. m. m. c. 6. tria ſcalprorum genera deſcribit. *Primum* cavum, *κυκλισκον*, ſeu ſcalprum exciſorium appellat, cujus delineationes Tabul. II. Fig. III. IV. V. & VI. vidimus. *Alterum*, quod ima ſui parte lenticulam refert, *φακωτὸν* vocatur, cujus delineationem applicandique rationem Tabul. II. Fig. VII. & VIII. oſtendit ac docet. *Tertium* radendo eſt idoneum, quod cum Galeno Græci *ξυςῆρα*, Latini *ſcalprum raſorium*, & *Barbari raſpatorium* nominant. Hoc tertio ſcalprorum genere recentiores utuntur in auferenda carie, tentandiſque & abradendis fiſſuris cranii capillaribus, ſeu de penetratione dubiis. Vid. Tab. XXVI. Fig. X. Quare moderni

ejus-

ejusdem ſcalpri varias pro ratione ſedis & rimæ formas excogitarunt: nonnullis enim *cavam*, Fig. III. IV. V. & VI. quibusdam *ſemilunarem*, Fig. VII. aliis *acuminatam*, Fig. VIII. *planamque* cæteris Figur. IX. & X. dederunt. Chirurgus ſcalpra, cujusvis formæ, ad minimum tria (*majus ſcilicet, minus, & mediocre*) in promptu habeat, ne ex indigentia aliunde cogatur ea repetere, atque ſic operandi occaſionem (*quam præcipitem eſſe nullus ex Hippocratis aphoriſmo ignorat*) cum patientis periculo, & proprio famæ naufragio perdat. Cum os corruptum in partibus extremis, veluti tibia, femore, cubito & humero abradendum occurrit, tunc ſcalpra depictis majora & validiora parari debent. Conficitur autem unumquodque ſcalprum ex optimè depurato chalybe, ut aciem adquirat, qua promptiſſimè abradit, acutiſſimam. Scalpris veteres omnibus & ſingulis ſuum proprium manubrium adaptarunt: recentiores contra, ſed meo judicio minus rectè, unicum manubrium parant ligneum vel oſſeum, quod imo ſuo foramine cochleato omnium ſcalprorum caudas pariter torculatas excipit, ut ex Fig. III. & reliquis patet, &c.

TABULA SEPTIMA.

De inſtrumentis ad ſetaceum in nucha perficiendum neceſſariis, illisque, quibus Medici præſertim Itali efficaciter occiput inurunt.

FIg. I. eſt *forceps*, quæ prope foramina (*a*) neque nimis lata, neque nimis anguſta cavitatem (*b*) habet amplam & circularem, annulumque (*c*) in manubrio ferreum, ut inſtrumentum ſeu forcipem ex ſe ſtringere poſſit, quando chirurgus famulum non habet, qui ad inurendum nuchæ ſetaceum ſibi ſtylum optimè ignitum porrigat.


Fig. II. eſt *forceps*, quæ infra ſuperiora foramina (*d*) habet cavitatem (*e*) ſimiliter amplam, ſed ob defectum annuli, quo ſuperior forceps prædita eſt, non ex ſe, ſed à chirurgo, quantum ſatis aut neceſſarium ſtringitur. *His duabus forcipibus utuntur chirurgi*, quando occiput valdè carnoſum & pingue perforandum eſt, ut apprehenſa cutis craſſior cavitatem forcipis ingrediatur, eâque minus elabatur.

Fig. III. eſt *forceps*, quæ neque cavitatem (*ut b Fig. I. & e Figur. II.*) neque annulum (*ut c Fig. I.*) obtinet. Hujus parte (*f*) chirurgus macilentorum nucham apprehendit, donec eam ſtylo candefacto & per miniſtrum porrecto perforârit.

Fig IV eſt *ſtylus chalybeatus*, & ad inurendum ſetaceum commodiſſimus: nam neque nimis longus eſt, aut brevis; neque etiam juſto tenuior aut craſſior, ſed palmam longitudine adæquat (*ne cuſpis foramen forcipis oppoſitum fallat*) & ſua craſſitie foraminibus prædictarum forcipum paulò minus reſpondet, & benè ignitus ferè citra doloris ſenſum quam citiſſimè tranſeat. *vid. Tabul.* XXX. *Fig. III.* Uſum hujus quoque ſtyli & forcipis tertiæ ſingularem monſtrabit in auricula *Tabul.* XXIV. *Fig. V.*

Fig. V. eſt *forceps ex ſe ſtringens*, qua apprehenditur nuchæ cutis, cùm ſetaceum, uti vult Hildanus, ſectione parandum eſt. *vid. Tabul.* XXX. *Fig II.*

Fig. VI.





TABULA VIII
I
a
b
c
e
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
B
Jonas Arnold Delineavit.

Fig. VI. est *ſcalpellus anceps*, folium myrtinum forma referens, & foraminibus forcipis proximè antecedentis exactè reſpondens, qua ſetaceum nuchæ inciditur. Præferimus autem ſcalpello frigido ſtylum ignitum.

Fig. VII. est *ſeta, ſeu funiculus purpureus*, ex filis ſericis contortus, & in altero extremo oblongæ annexus aciculæ, cujus apici affigitur globulus cereus, ut per foramina ſive ſecta ſive inuſta citra moleſtiam poſſit tranſmitti *vid. Tabul.*xxx. *Fig. IV. & V.*

Fig. VIII. IX. X. & XI. ſunt *cauteria actualia*, ſeu ferramenta ſine manubriis varia, quibus benè candentibus Itali occiput infantum & puerorum ad præcavendam & curandam epilepſiam, apoplexiam & vertiginem bono ſæpiſſimè ſucceu inurunt. Dicta occipitis inuſtio adultis quoque & ſenioribus interdum, cùm hujusmodi affectibus corripiuntur, utilis eſt. *Vid. Tabul. modo alleg. Fig VI.*

TABULA OCTAVA.

De inſtrumentis ophthalmicis, crinali nempè, acubus argenteis, annulo oculum firmante, ſpecillis, ſcalpellis, hamulo acuto, & vaſculo vitreo, FabricI.

Fig. I. eſt *inſtrumentum crinale*, curvum, ac interiùs goſſipio & ſyndone rubra obductum. Ut autem fronti commodè poſſit applicari, exteriùs præter duas fibulas, utrinque ſcilicet unam (*a b*) & totidem ligulas (*c d*) firmiter annexam habet claviculam (*e*) umbellatam, qua ſinus in majore oculi angulo ſubortus comprimitur. Hoc inſtrumentum excogitavit Fabricius ab Aquapendente, ejusque mentionem fecit in libro operationum chirurgicarum de ægylope. *Vid. Tabul.*xxxi. *Fig. V.*

Fig. II. monſtrat *inſtrumentum ad ſuffuſiones deponendas merè argenteum* (ſeu acus duas manubrio octagono inſertas) quod utrinque pro acuum tranſitu glandem perforatam habet.

Fig. III. exhibet manubrium inſtrumenti antecedentis apertum, in cujus una extremitate ad medietatem inſeritur acus, in altera glandis cochlea nonnihil conſpicitur.

Fig. IV. eſt *acus alia ad ſuffuſionem deponendam argentea*, cum ſua vaginula, cui inſeritur, ex eodem metallo fabrefacta. *Vid. Tab* xxxi. *Fig. IX.*

Fig. V. *eſt annulus æneus* (alii commendant plumbeum) quo continetur oculus apertus, dum exciditur pterygium, aliæque operationes chirurgicæ in oculo peraguntur. *Vid Tab* xxxi. *Figur.* vii. & viii.

Fig VI. eſt *ſpecillum argenteum*, ut pro neceſſitate poſſit inflecti, oblongum & teres, cujus una extremitatum latior eſt, altera autem rotundo exornatur globulo. Lata ſpecilli parte (*quam Corn. Celſus l.7.c.7. de ancyloblepharo, ſpecillum adverſum vocat*) non ſolùm ſeparantur palpebræ inter ſe coaleſcentes, verùm etiam pulveres & plagulæ unguentis illitæ inſperguntur & apponuntur ulceribus. Globoſa ſpecilli parte chirurgus quorumvis vulnerum, ulcerum & fiſtularum quantitatem & qualitatem explorat.

Fig. VII. est *specillum pariter argenteum*, cujus lata pars inservit usibus modò dictis; acuminata verò involvitur cotone ad detergenda à sordibus vulnera & ulcera præsertim fistulosa.

Fig. VIII. est *scalpellus falcatus*, & ex una tantùm parte incidens, cujus mucroni argenteus affigitur globulus. Hoc scalpello subsecare jubet Heraclides Tarentinus palpebras, quæ cum tunica cornea vel albo oculi cohærescunt. *Vid. Corn. Cels. loc. alleg. de ancyloblephar.* Ego autem hoc scalpello tutissimè utor, quando oculus aperiri nequit ob palpebrarum saltem inter sese coalescentiam. *Vid. Tabul.* xxx. *Fig. VII.*

Fig. IX. est *hamulus acutus*, qui mucrone suo paulultum intùs recurvato tam ad palpebram elevandam, quàm ad oculorum unguem arripiendum maximè est idoneus. *Vid Tab.* xxxi. *Fig.* viii.

Fig. X. est *scalpellus acutus & anceps* ad excisionem ægylopis (*Tabul.* xxxi. *Fig. III.*) paratus, habet etiam manubrium osseum, quo unguis ab oculo (*Tabul.* xxxi. *Fig. VIII.*) & tumores tunicati à partibus, quibus inhærent, commodè separari possunt. Hoc manubrium Corn. Celsus intelligit, *l. 7. c.* 17. de tumoribus tunicatis dicens: *tum scalpelli manubriolo tunica* (quæ post incisionem cutis protinùs alba & intenta se ostendit) *diducenda à cute & carne est*, *ejiciendaque cum eo*, *quod intùs tenet. Vid. Tabul. LV. Fig. IV. m.*


Figur. XI. est *vasculum oculare*, oblongum, & ex vitro crystallino ita confectum, ut orbitæ oculi exactè respondeat, & medicamenta per infundibulum (*) immissa contineat, ne defluant. Hoc instrumentum oculare primus invenit, fuseque descripsit Hieron. Fabricius ab Aquapend. l. operation. chirurgicar. de suffusione. *Vid. Tabul.* xxxi. *Fig. VI.*

TABULA NONA.

De diversis instrumentis ad varios uvulæ affectus necessariis.

Figur. I. & II. exhibent *instrumentum chirurgicum pro uvula abscindenda* novum, *quod Thomas Bartholinus* cent. 2. obs. anatomic. 88. *describit*, & commendare videtur sequentibus verbis. Incolis Norwegiæ familiaris est catharrus, qui hyemali tempestate ad fauces & uvulam destillans hanc in tantam molem extendit, ut suffocationis periculum afferat, nisi maturè huic malo succurratur. Confugiunt verò medicamentis deficientibus ad manuum operam, forficeque quocunque obvio tumentem prolapsamque uvulam abscindunt sine ullo aut vitæ aut vocis dispendio. Sanguinem autem profluentem statim sedant pulte ex farina & aqua. Domestico morbo ut occurrant, nihil non tentant. In quem usum rusticus quidam Norwegus Canutus Thorberni in Diœcesi Bergensi, ingenio minimè plebeio, excogitavit nuper instrumentum singulare, magna celeritate & dexteritate nictu oculi uvulam tumidam exscindens, quod ad Wormium nostrum Magnum non ita pridem transmissum operæ duxi precium, & Lectorum oculis depictum exhibere, & brevibus describere.

Lamina ferrea, oblonga & angusta undecim unciarum longitudine, in extremo manu-



manubrio exornatur globulo ad firmiorem apprehensionem, paulatim deinde amplior circa medium fermè duarum unciarum latitudinem acquirit, hinc adscendens quadratam constituit capacitatem unius unciæ cum dimidia longitudine, cui inseritur lignum planum ad linguæ deprimendæ figuram efformatum, dolatumque; tres circiter uncias longum, in extremitate rotundum, per ambitum circularem rima præditum, profunda pro ferro acuto & incurvo recipiendo, quod ferrum machinis quibusdam ab altera parte laminæ extendi & exseri pro lubitu potest, ac uvulam abscindendam comprehendere inter ferri aciem & laminam ligneam. Altera hujus instrumenti facies clavum habet mobilem, qui ferreum funiculum una extremitate sibi annexum extendit vel retinet retractum, donec laxari usus postulat. Retinacula duo huic clavo adhærent, quorum unum extensum firmat clavum, alterum compressum laxat.

Interiori facie machinæ bellicæ speciem refert, exteriore verò plana spatulæ similis, quæ nonnihil incurva & linguam deprimit, & chirurgi visum non impedit, imò tegit subjectum machinæ clavum & retinacula, ut æger timidus nihil mali suspicari possit. Commodum omninò organon, & his aliisque usibus accommodum. Celsus volsella utebatur, cujus incommoda recenset Aquapendens in oper. chirurg. qui forficulam eligit. Hildanus cent. 2. obs. 21. onerosum instrumentum ad uvulam depinxit & descripsit, quò tardior fit operatio, ægro non ita jucunda, chirurgo denique operanti molesta.

Modus applicandi hic est. Primo clavo sublato elevatur quoque ferreus funiculus clavo alligatus, hinc funiculus sequax sursum pellitur, & ex extrema ligni rotundi rima protruditur, spaciumque relinquit pro excipienda uvula tumida. Hoc modo præparatum instrumentum aperto ore per chirurgum linguæ superponitur, plana parte sursum vergente, aspera verò, ne machinas æger videat, deorsum spectante. In fauces eò usque protrudatur organon, donec uvula inter ferreum funiculum incurvum acutumque & ligneum circulum comprehendatur. Apprehensa uvula, digito tangendum est retinaculum secundum, ut in locum clavus redeat, retrahatque annexum funiculum ferreum. Dictum factum concidente clavo & retracto funiculo, acutus ille circulus rimam suam repetendo uvulam comprehensam rescindit. Commodum instrumentum etiam aliis in corpore tumoribus & verrucis extirpandis, quod incredibili celeritate, ægris nihil cogitantibus, timentibus nihil, omnia absolvit brevissimè, nihil minus quàm rus olet. Ut rudi penicillo adumbraretur, sculptorem advocavi. Prima figura instrumentum exhibet clavo adhuc laxato, & in rima sua funiculo ferreo latente. Altera figura clavum elevatum monstrat, funiculum sursum protrusum & ad excipiendam uvulam paratum. Singularum instrumenti particularum indicem signatæ literæ edicunt.

a a a a a Ferrea lamina.
b b Lignum rotundum.
c c Clavus machinæ.

d d d d d d ferreus funiculus, circa laminam & lignum repens.
e e ferreus funiculus circa clavum alligatus.
ε ferrei funiculi incurva pars, interiùs acuta.
f Spacium inter funiculum & lignum.
g g g g Retinaculum clavi primum firmans.
h h h h h Retinaculum secundum retrahens.
i i Capulus organi ferreus.
k k Globulus extremus capulo appositus.

Fig. III. est *aliud instrumentum, quo abscinditur uvula orichalceum*, quod in parte superiore circulum habet intùs nonnihil excavatum, (*l*) ad inferiorem fistula præditum (*m*) per quam fili in seminodum circumvoluti (*n*) &, ne vacillet, in concavum repositi extremitas (*o*) mediante stylo superiùs perforato (*p*) trahitur: alterum fili extremum per duos circulo annexos annulos (*q r*) ducitur, & inferiori fistulæ annulo (*ſ*) alligatur. Hoc instrumentum primò invenit & descripsit Guilhelm. Fabricius Hildanus, quo, ut oculis patet, multum correcto uvulam militis cujusdam Cæsarei à lue venerea infectam & corruptam absque negotio ligavi, & bono successu abscidi Ulmæ die 8. Jun. 1637. *Vid. Tabul.* XXXIII. *Fig. V.*


Fig. IV. est *canalis ex ferro obliquus* & ad extremitatem (*t*) perforatus, *qui faucibus immittitur*, ne partes vicinæ lædantur, quando post abscissionem uvulæ corruptæ vel nimium auctæ sanguis enormiter profluens inustione est compescendus.

Fig. V. est *cauterium actuale*, quod præcedenti cannulæ immissum, *instar catenæ* pro chirurgi lubitu & necessitate affectus potest incurvari, vel ad tangendam saltem uvulam corruptam, vel ad sistendam diminutæ hæmorrhagiam.

Fig. VI. est *manubrium osseum*, foramine præditum trochleato (*) quo catenæ caudam torculatam (*u*) recipere potest. *Vid. Tabul.* XXXIII. *Fig. VI* Hoc cauterium, quod tribus descripsi figuris, chirurgi inprimis Patavini substituunt fistulæ & stylo, quæ Fabricius Hildanus ad dictos usus *cent. 2 obs.* 21. commendat.

Fig. VII. est *fistula ex orichalco cochleariformis* uvulæ ob pituitosum humorem relaxatæ admovenda: cochlear nempè parvum (*vv*) cujus manubrium (*x*) fistulosum est, & novem pollices longum inferiori cochlearis parti annectitur. Modus applicandi talis est. Chirurgus (*postquam sinistra manu, seu potius communi oris speculo in sinistra detento linguam sufficienter depresserit*) instrumenti cochlear pulveribus adstringentibus & exsiccantibus convenienti proportione mixtis repletum uvulæ relaxatæ dextra submittit, fistulæ basin (*γ*) ore arripit, & pulveres prædictos sufflans undique palato & columellæ aspergit,

TABU-



TABVLA DECIMA.

De instrumento Volsellæ simili, cannula faucibus immittenda, forcipibus & vectibus ad eruendos dentes variis, nec non infundibulo.

FIgur.I.est *instrumentum acantabolo* (Tab.IV.Fig.I.) *simile*, forceps nimirum ferè in semicirculum recurvata, dentibus prædita, & ad apicem nodulo exornata, qua ossicula, piscium spinæ, aliave imis faucibus infixa solent eximi. Cum Clarissimus Hieronym.Fabricius ab Aquap. *libr. operation. de fauc. chirurg.* acantaboli mentionem facit, tunc intelligit instrumentum quoddam ablongum & tenue, quod duplex est, unum scilicet rectum, Tabula modo allegata depictum; alterum vero recurvum, quale hoc est: utrumque tamen ob arripiendi & extrahendi facultatem volsellæ nomen meretur. *vid Tab.*XXXIII.*Fig.VII.*

Fig.II.est *cannula* argentea, & *ut faucibus immitti queat incurvata*, crassitiem pennæ oloris & longitudinem pedis unius cum dimidio vel circiter adæquans. Est undiq; perforata, & in extremitate sua spongiam novam magnitudine avellanæ, firmiter alligatam habet, qua ad spinas faucibus aut medio æsophago inhærentes extrahendas felici successu utitur Guilhelmus Fabricius Hild. *cent.* I, *obs.* 26. ubi docet operandi modum per cannulam hic depictam. vid. Tabul. XXXII.Fig. VII. Sequentibus instrumentis, præter ultimum, chirurgi utuntur ad dentes aut carie perforatos, aut mobiles, aut vehementissime per intervalla dolentes, sub acerbissimo doloris paroxysmo, eximendos: unde.

Fig.III.est *forceps, pelicanus dicta*, quoniam rostro, pelicani volucris formam refert. Hac moderni dentes præsertim molares facile extrahunt.

Fig.IV.est *forceps dentium communis*, quæ quia firmum canis morsum imitatur, Italis *cagnolo* appellatur.

Fig. V. est *forceps rostro corvino similis*, qua relictæ dentium radices extrahuntur. Hanc intelligit Corn. Celsus (quem velut in omnibus chirurgiis mirabilem nocturna & diurna versare manu consulit Fabricius ab Aquap.) l.7.c.12. de dentibus ita scribens: quotiescunque dente exemto radix relicta est, protinus ea quoque ad id facta forcipe, quam Græci ῥιζάγραν vocant, eximenda.

Fig.VI.&VII.sunt *forcipum* dentariarum, *seu dentiducum effigies*, quibus vel ab altera parte, vel utrinque bifidis extrahuntur dentes, quando neque pelicanus, neque forceps communis opitulari potest.

Fig.VIII.&IX.sunt *vectes trifidi* appellati, quod plærumque tres cuspides habeant ad protrudendos & excutiendos dentes incisorios & carimos, qui maxillarum alveolis simplici radice infiguntur.

Figur.X.est *denti-scalpium*, quo separatur gengiva à dentibus, ut minori cum molestia & periculo evellantur. Ut igitur dentis evulsio, quæ magna cautione est administranda, feliciter succedat, æger humili in loco collocetur, capite inter chirurgi crura inclinato:

inclinato: Chirurgus autem observatis observandis, dentem extrahendum altius quasi circumradat dentiscalpio, & separata gingiva, vacillantem submisso vecte concutiat atque protrudat. Quodsi vero dens à gingiva liberatus suo alveolo tam tenaciter inhæret, ut neque post concussionem vacillet, is certe forcipibus dentantiis, quas illius magnitudo, figura, & situs postulare videbitur, arcte excipiendus & evellendus. In forcipum dentariorum usu (*inquit Ambrosius Paræus l. 16. c. 27.*) exercitatum & industrium dentispicem desiderem, his enim nisi qui solerter uti noverit, committere vix poterit, quin tres unica concussione dentes excutiat, eo sæpe inconcusso, & relicto, qui dolorem movet. Quomodo dentes, fuso & digitis empyricorum, extrahantur, ostendit Petrus Borellus *cent. 2. observ 2.*

Fig. XI. est *infundibulum*, seu fistula argentea cujus pars angustior inter gingivas ægri (*qui ob convulsionem maxillæ inferioris dentes tam arcte constrictos habet, ut quando que prorsus nihil per os assumere possit*) extremas ponitur; latiori vero cibum liquidum & potum excipit, & per angustam ad æsophagum demittit. *vid. Tabul.* XXXII. *Fig.* VIII. Nonnulli taliter convulsis dentes anteriores violenter infringunt. Sed quia operatio hæc violenta non solum est, sed etiam crudelis videbatur nostro Fabricio, hic mitiorem illum excogitavit modum, ad nutriendos maxillarum convulsionem patientes.

TABULA UNDECIMA.

De forcipe psittacina & corvina, rostro gruis recto & in obtusum angulum directo, instrumentisque variis ad foramen palati obturandum, carunculas oris incidendas, linguamque deprimendam & elevandam.

FIg. I. est *forceps rostro psittacino* (Tab. IV. Fig. II.) non absimilis qua dentes alieno loco genitas amputamus Tab. XXXII. Fig. IV. utimurque in fracturis præsertim cranii, quando frustulum ossis, quod meninges cerebri vel pungit vel deprimit, incidendum est, & auferendum. vid. Tabul. XXIX. Fig. VI.


Fig. II. est *forceps rostro vulturino* (Tabul. IV. Fig. IV. & V.) similis, atque ad usus ibidem dictos & allegatos fabrefacta.

Fig. III. est *rostrum gruis dentatum* & in angulum obtusum directum, quo globuli & peregrina corpora commode arripiuntur, & è vulneribus extrahuntur.

Fig. IV. est *instrumentum Hildani* cent. 2. obs. 22. *aureum*, cui spongiola adnecti potest, ad obturandum erosi palati foramen, quod in nasi cavitatem penetrans prohibet sermonem articulatè & distinctè proferri. *vid. Tabul.* XXXIII. *Fig.* I. *& Ambros. Paræus. l. 22. c. 4.*

Fig. V. est *commune oris speculum*, quo lingua à chirurgis sæpissime deprimitur ad affecti oris vitia saltem inspicienda. Hujus speculi annulus acie præditus est, qua absterguntur crassiora linguæ excrementa, quæ in febribus ardentibus ipsi ut plurimum tenaciter adhærent.

Fig. VI.





TABUL. xii.
Fig. i.
Fig. iii.
Fig. iv.
Fig. ii.
Fig. v.
Fig. vi.
Fig. vii.
Fig. viii.
Jonas Arnold delineavit.

Fig.VI.est *Speculum oris validius*, quo deprimitur non modò lingua, sed etiam maxilla inferior, ut oris fauciumque affectus exactè inspici, & inter usum speculi idoneis tam instrumentis quàm medicamentis tractari possint. Inprimis autem factum est, ut eo furiosorum & attonitorum dentes diducti conserventur, donec infusum cibum & potum deglutiverint. *Vid.Tabul.*XXXII.*Fig.*IX.

Fig.VII.est *instrumentum* argenteum, *quo* chirurgi *moderni infantum recèns natorum linguam facilè elevant*, elevatæque majus vinculum acutissimâ forficulâ tutò incidunt. *Vid.Tab.*XXXIII.*Fig.*IV.

Fig.VIII.est *Instrumentum* instar forcipis *excisorium*, ad oris caruncalas & tumores accommodatum.

Fig.IX.est *Forceps cum rostro gruis recta*, quæ dentium volsellæ (*Tabul.*IV.*Fig.*I.) vices peragere potest.

TABULA DUODECIMA.

De forcipe ad polypum recto & curvo, lamina separante, forfice ad incidendum cartilagines & callos, scalpello fistularum deceptorio, aliisque instrumentis ad diducendum os constrictum, extrahendas mammarum papillas, nutrimentumque ad aridos artus attrahendum.

Fig.I.est *Forceps ad polypum rectus*, sive instrumentum Hieronym. Fabricii ab Aquap. pro polypo extrahendo rectum, ex optimo chalybe confectum, extrinsecùs convexum, & intrinsecùs concavum, quod aciem habet introrsùs recurvatam, qua nihil aliud potest incidere, quàm polypum jam apprehensum. *Vid. Glandorp. Tractat. de polypo c.*14.*& infra Tabul* XXXII.*Fig.*I. Inservit idem forceps mentulæ muliebris extractioni. *Vid.Tabul* XLIII.*Fig.*IV.

Fig.II.est *idem* cum priori *instrumentum*, *sed* in extremitate *recurvatum*, quo inciditur & extrahitur polypus, qui per foramina narium interna in palatum ad fauces tendit, & patienti suffocationem minatur.

Fig.III.est *Scalpellus ex lamina* tenuissima, *æquali* & undique acuta *confectus*, quo chirurgi manus & pedis digitos vel à natura conjunctos, vel ob ulcus malè curatum conglutinatos facilè separant.

Fig.IV.est *Forfex ad cartilagines incidendas* accommodatissimus. *Vid.Tabul.*LIII.*Fig.*I. de rustico Papalaviensi *& Tabul.*LIV.*Fig.VI.* de Augustino **Mertzen.**

Fig.V.est *Instrumentum oris dilatatorium* cum cochlea, qua mediante instrumentum dentes validè constrictos sensim diducit, ut ægro, ne fame sitique pereat, & cibus & potus exhiberi possit. *Vid.Tabul.*XXXII.*Fig.*VII.

Fig. VI. est *scalpellus deceptorius*, quo majores nostri sinus & fistulas inciderunt, ægrosque sectionem non concedentes deceperunt. Hoc in principio praxeos meæ chirurgicæ sum usus, sed, quia scalpellus tunc temporis non ægrum, qui erat fratris mei socer, sed me potius operante retardando deceperat, semel præter spem deceptus ipsi semper felicissimo successu syringotomos *Tabul.* XIV. depictos substitui.

Fig. VII. est *Cornicula*, seu instrumentum parvum, excavatum & corneum, quod majoribus aridi membri vasis adhibitum sine igne, & solo oris suctu, seu spiritus per summum & exile foramen revocatione nutrimentum potenter attrahit. *vid. Guilhel. Fabric. Hildan. cent.* 1. *obs.* 80. *& Nicol. Tulp. l.* 3. *obs.* 49.

Fig. VIII est *instrumentum vitreum, quo mulier* occultas mammarum *papillas* proprio ore *extrahere potest*; seu vitrum vacuum, longum & angustum, in una extremitate orificium habens, quod magnitudini papillæ respondet; in altera foramen obtinens parvum cum fistula longa, per quam patiens mulier proprio suctu occultas extrahit papillas, ut ipsas infans apprehendere & ore lac maternum exugere queat. Huic non absimile instrumentũ, ejusdemque applicandi rationem depingi curavit. Omnibonus Terrarius *de arte medic. infantes l.* 1. *c.* 17. ad alliciendum lac in mammas. *vid. Tabul.* XXXVI. *Fig.* I. Nonnulli mulierum papillas sepultas cucurbitulis communibus & siccis forâs extrahunt.

TABULA DECIMA TERTIA.

De siphone communi cum tubo recto & curvo, metrenchyta, otenchyta, enterenchyta, pilcolo argenteo, canali aureo, cannulisque ad vulnera alatis.

Fig. I. est *sipho communis* ad extrahendum & infundendum liquidum, in vulneribus thoracis & abdominis sæpe necessarius, qui annexum habet tubum (*a.*) curvum. Rectum (*b.*) sipho potest recipere tubum, quando curvus ad infundenda & extrahenda liquida non est aptus.


Fig. II. est *instrumentum* plurimis foraminibus pertusum, *quod* cum aliis Græcis *Galenus* l. 9. de comp. med. sec. loc. c. 8. & l. 5. m. m. c. 5. *metrenchytam nominat*. Hanc mulieres & virgines verecundæ, clysteres uterinos ab aliis etiam fœminis accipere recusantes, siphonis adaptant cochleæ (*c.*) & sibimetipsæ propria manu liquores pro uterinorum affectuum varietate varios commodissime applicant. *vid. Tabul.* XLIII. *Fig.* VI.

Fig. III. est *otenchyta, seu sipho auricularis*, quo nonnulli liquores in auditus organa ad ulcerum detersionem & consolidationem, non sine periculo futuræ surditatis infundunt.

Fig. IV. est *enterenchyta, seu fistula ad injiciendos clysteres* singularis, orichalcea, & in formam κατιλῆγος incurvata, quam parari curent illi, qui sibimetipsi applicare malunt, quam ab alio quovis accipere enemata, quorum usum intestinorum vitia creberrime requirunt.

Fig. V. est *enterenchyta clavis* (d. Fig. IV.) cujus beneficio liquor enematis in vesica

(*quæ*



(*quæ circa literam. f. Fig.* IV. *vulgari pharmacopæorum modo alliganda est*) ad libitum
ægroti applicantis retinetur, prout canalem circumvolutione clavis claudit & aperit.
Fig. VI est *claviculus umbellatus* (e. Fig. IV.) clavum firmans, ut inter applicationem
nihil de clystere elabatur, quod munda lecti linteamina inquinare possit. Hoc instru-
mentum, ut cuilibet apparet, multum differt ab eo, quod Joan. Henricus meth. ad prax.
med. cap. de clysterib. & Guilh. Fabricius Hildan. *cent.* I. *obs.* 78. depingi curarunt ad
clysteres in alvum injiciendos *vid. Tabul.* XLIV. *Fig.* I.

Fig. VII. est *pilcolus argenteus*, & ubique perforatus, qui exulceratis mammillarum
papillis applicatur, ut nutrix infantem absque molestia lactare possit. Commodus insu-
per hic pilcolus est in vulneribus thoracis penetrantibus: postquam enim cannularum
sequentium aliqua vulneri thoracis penetranti immissa, orificioque cannulæ prope
alam particula spongiæ indita fuerit, superponitur pilcolus, ut per ejus foramina, omni
fere momento, materia purulenta paulatim & absque virium jactura transudet. *vid. Ta-
bul.* XXXV. *Fig.* III. *&* IV.

Fig. VIII. IX. X & XI. sunt *cannulæ magnitudine* differentes, alatæ, & plurimis fora-
minibus pertusæ, ut vulnus thoracis conservent apertum, sunt alatæ seu obstaculum
habent, ne vulneri immissæ, dum æger expirat, thoracem ingrediantur: toties perfora-
tæ, ut pus aut sanies continuè & indesinenter expurgari possit.

Figur. XII. est *canalis ex auro Vngarico portus*, & extremitate sex vel septem fora-
minibus pertusus.

Fig. XIII. est *stylus ex eodem metallo confectus*, qui canali suo aureo ita immittitur, ut ex
duabus figuris unicum fiat instrumentum, quod vulneribus in thoracis cavitatem pene-
trantibus siphonis loco utiliter applicatur ad extrahendum sanguinem nondum con-
cretum, & pus tenue. Instrumentum hoc in angulum rectum vel obliquum flecti, per
vulnusque studio aut casu factum in thoracis cavitatem immitti debet, ut extremitate
sua materiam extrahendam contingat. Quo immisso, chirurgus solum extrahat stylum,
& statim profluet de cannula liquidum thoracis contentum. Hic materiam tenuam,
quæ in pectoris cavo continetur, extrahendi modus optime succedet, ubi paracentesis
thoracis, vel ob ægri debilitatem, vel ob ejusdem timorem vel consanguineorum aut
læsi aut lædentis pertinaciam, vel ob alias circumstantias non conceditur. *vid. Tabul.*
XXXV. *Fig.* V. *p.*

TABVLA DECIMA QVARTA.

De scolopomachæriis, sypangotomis, variisque scalpellis ad sinus & tumores incidendos &c.

Fig. I. est Σκολοπομαχαίριον, scalpellus scilicet longus, & ad cuspidem paulò incurva-
tus, veluti rostrum avis, quæ gallinago Latinis, & Græcis σκολόπαξ dicitur. Hoc scal-
pello non tantum dilatantur vulnera in thorace nimis angusta, sed etiam aperiun-
tur abscessus magni, exteriora integumenta colli ante laryngotomiam inciduntur, &
in empyemate thorax, juxta Paulum, perforatur. Eundem commendat Fabricius ab
Aquap.

Aquap. ad apertionem abdominis hydropici infra umbilicum & incisionem tam inguinum in herniosis obliquam, quam hymenis in mulieribus clausis transversam. Scalpellus autem pro dilatatione vulneris in thoracis cavitatem , quod penetrat & angustum est, requirit globulum in mucrone ferreum (*sicuti scalpellus Tabul.* VIII. *Fig.* VIII. *argenteum habet*) ne pulmones immisso scalpelli cuspide lædantur.

Fig II. & III. sunt *scalpelli* ad mucronem recurvati & *præcedentis scolopomacharii formam exhibentes*, quibus linguæ vinculum, fistulæ & sinus in partibus extremis & habitu corporis commodè inciduntur, unde etiam syringotomi appellari possent.

Fig IV. refert *cuspidem scolopomacharii* magis acuminatum.

Fig. V. est *scalpellus falcatus*, in parte gibba retusus, & in cavo acutus. Hoc frequentissimè utor ad incisionem aut apertionem apostematum, Italis vocatur gammaut.

Fig. VI & VII. *sunt scalpelli ancipites* , & in extremitate foliorum myrti formam referentes, quibus cancrosas mulierum mammas abscindimus. *Vid. Tabul* XXXVI. *Fig. III.*


Fig. VIII. est *acus acutissima*, longa & anceps, quâ mammæ scalpellis auferendæ in basi trajiciuntur. *Vid. Tabul.* XXXVI. *Fig. II.*

Fig IX. est *acus*, seu instrumentum ferreum, & *in extremitate aciem ancipitem habens*, quod Nursini olim in chirurgia (*quæ enterocelem curat cum excisione testiculi*) maximè exercitati, eoque nomine celeberrimi castratores, per inguinis vulnus ad scrotum demiserunt, ejusque cuspide (*cui perpetuo exiguum ex cera alba globulum annectere oportet* , *ut sine omni obstaculo* , *dolore & noxa ad locum perforandum perveniat*) scroti fundum (*ad expurgandam materiam purulentam* , *quæ ab inguinis vulnere ad scrotum descendit*) perforârunt. At, quoniam dicta hernias curandi ratio (*quam Tabul.* XXXVIII. & XXXIX. *ostendunt*) vel intuentibus satis est horribilis, scrotique ad fundum perforatio superflua, ego tyronibus chirurgiæ alium hujus instrumenti usum aperiam. Inciditur eo longorum sinuum fundus, (qui in habitu corporis existentes ob declivitatem expurgari nequeunt, nisi æger caput deorsum & pedes sursum convertat) ut materia purulenta proprio motu emanet. Notum est, sinus illos, qui callum instar fistulæ nondum contraxerunt, medicamentis solùm glutinantibus & convenienti ligatura curari posse, si modò materia in iis quotidiè collecta facilem habeat exitum. Cùm verò quotidiana capitis & pedum conversio patienti satis sit importuna , hoc instrumento (*cujus cuspidi ob rationes allatas globulus cereus est annectendus*) sinuum fundus citò & tutò perforari potest, ut materia purulenta per inferius foramen singulis diebus sponte effluat , & dein sinuum parietes facilè agglutinentur.


Fig. X. est *scalpellus recurvus* , qui parte interna (*a*) aciem habet , & externa (*b*) est retusus , *syringotomus scilicet* ; in altera extremitate (*c*) pungens & incidens , quo utimur in fistula subcutanea , unum foramen habente , ut primò fundus ac finis fistulæ aperiatur , & dein utriusque foraminis totum interstitium incidatur. Hujus autem cuspidi affigere oportet globulum cereum , ut fistulæ per contortam spongiam satis dilatatæ leniter immissas ferè citra ægri molestiam ad fundum pervenire possit. *Vid. Tabul.* XXXV. *Fig VIII. k.*

Fig. XI. & XII. sunt *scalpelli syringotomi* , quorum uterque in altera extremitate *globulum*

bulum



TABUL. XV.



D

Jonas Arnold Delineavit.

bulum ex ferro lævigato ovalem obtinet, ad dissecandum fistulæ habentis duo foramina interstitium. *Vid.Tabul.*XLV.Fig.III.& IV.

Fig XIII.est *scalpellus syringotomus,* quo dilatatur vulnus abdominis, ut intestina per respectivè angustum prolapsa & flatibus turgida commodè reponi possint. Globum verò habet multo majorem, quàm scalpelli priores, ne vulneri intrusus intestina vel aliam partem internam lædat. *Vid.Tabul* XXXVII.*Fig.I.* Hoc scalpello vulnus etiam uteri in partu cæsareo tutissimè dilatatur, ad eximendum fœtum vivum. *vid.Tab.*XLII.

Fig.XIV. est *Annulus aureus*, qui ad incidenda puerorum & fœminarum timidarum apostemata scalpellum recurvum pulchrè abscondit, ne hujus aspectu perterriti abscessus incisionem prohibeant. *Vid.Tabul.*XXXVI. *Fig.*I.

Fig.XV.est *Cannula ex argento parum incurvata,* Figura verò XVI.est acus ferrea, cannula priore longior, & in extremitate acuta filum ducens. Hæ duæ figuræ constituunt instrumentum, quo Hieronym.Fabricius ab Aquap. fistulas thoracis subtercostales in fundo perforat. *Vid.Tabul.*XXXV.*Fig.*VIII.*h.*

Fig.XVII. est *Scalpellus separatorius*, quo tumores in ore tunicati radicitùs exscindi queunt *Vid.Tabul.*XXXIII.*Fig.* VIII.

Fig.XVIII.est *Scalpellus rectus,* acuminatus & ex utraque parte incidens, *Lanceola dictus.* Hoc Galli & Itali ad emittendum sanguinem venas felicissimè incidunt. Hoc puerorum recèns natorum podex & penis clausus perforatur. Hoc in quibusdam Germaniæ locis chirurgi fonticulos secant. Hoc nonnulli tumores suppuratos in decliviori loco aperiunt.

Fig.XIX. est *Scalpellus instar spathæ* (Tab.II.Fig.I.) *anceps*, quo Lithotomus *C R* sectionem suam supra calculum, digitis ultra collum vesicæ protrusum, instituere solet. *Vid.Tabul.*XLI. *Fig.* I.

Fig.XX. est *Sanctorii instrumentum* acu ferrea (*e*) trinam aciem habente, ut & cannula ex argento alata (*f*) constans, *quo hydropicorum umbilicus* & in hydrocele *scrotum* tutò *perforatur* ad evacuandam aquam. Hoc instrumentum intruditur abdomini & scroto usque ad cannulæ asterismum, postea acus retrahitur, & cannula sola usque ad alam (*g*) intrusa absque omni ullius periculi metu in abdomine & scroto relinquitur. *Vid.Tabul.*XXXVIII. *Fig.*I. *& Tabul.*XL. *Fig.*II.

Fig.XXI.est *Acus* (*h*) *cum suo tubulo* (*i*) *rotunda*, quâ, in defectu instrumenti antecedentis, pari securitate perforatur hydropicorum umbilicus, scrotumque aqua repletum.

TABULA DECIMA QUINTA.

De variis instrumentis, ad globulos sclopetorum è vulneribus trahendos.

FIg. I. II. & III. est *Instrumentum* ab Autoris sui nomine *Alphonsinum* appellatum, ad extrahendos è vulneribus sclopetorum glandes accommodum, quod Alphonsus Ferrius, Medicus Neapolitanus *l.* 2. *de vulneribus sclopetor. c.* 3. his verbis describit. Non involvendum tamen silentio est gruinum rostrum (ut vocant)

utpote quòd & ipſum ad extrahendum inſtrumentum eſt excellentiſſimum, atque ab omnibus cum veteribus, tum recentioribus commendatum: quo non ſolum pilulæ eſt difficilimis locis, ſed & alia, ut armorum & ceterarum rerum fruſtula extrahuntur. Hinc nos, ut commodius manu ac valentius teneri poſſit, atque ita pilæ ac cætera extranea in vulnere certius explorari, annulos forcipularum adjecimus hoc pacto. Figuræ primæ annulus A ad anteriorem partem miſſus, inſtrumentum claudit. Figuræ ſecundæ annulo B ad manubrium retracto inſtrumentum aperitur. Figura tertia eſt inſtrumentum, quod globulum jam apprehendit. *Hucuſque Ferrius in defectu Alphonſu, eandem præſtabit operam ad extrahendas ſclopetorum pilulas inſtrumentum Tabul.* XVI. *Fig.* III. *delineatum, ſequentia inſtrumenta (ut Figur.* VI. *&* VII *Tabul.*XVI. *) deſumpta ſunt ex Bartholomæi Maggii tractato de vulnerum ſclopis inflictorum curatione.*

Fig.IV.eſt *forceps anſerina*, quæ circa manubrium habet cochleam (*c.*) ut globulum firmiter comprehendat.

Fig.V.eſt *hamulus ferreus*, glandibus ſclopetorum extrahendis commode inſerviens.

Fig.VI.eſt *forceps anſerina*, quæ, ſi cochleam haberet, priori plane ſimiles eſſet.

Fig.VII. eſt *ſpatula roſtro anſerino prædita* ad excipiendos & extrahendos globulos præparata.

TABULA DECIMA SEXTA.

De inſtrumentis, quibus Autor globulos è vulneribus extrahit.

FIg.I eſt inſtrumentum globulis è vulnere trahendis maxime idoneum, ex optimo chalybe confectum, & tribus conſtans partibus, *terebello ſcilicet, cannulaque interna & externa.* Cannula externa (*a.*) cannulam internam (*b.*) quæ in duo cochlearia dentata (*c.d.*) dividitur, claudere poteſt, ut globulum firmet, ne cum terebello ipſi infigendo circumvolvatur. Terebellum cannula interna, capuloque rotundo (*g.*) prædita paulo longius, in una extremitate (*e.*) acutiſſimum eſt, in altera manubrium (*f.*) habet latum.


Fig. II. eſt *terebellum inſtrumenti* modo deſcripti, extra ſuas cannulas (*a.b.*) depictum.


Fig.III.eſt *inſtrumentum idem cum priori* (niſi quod hoc terebellum non habeat) quo extrahuntur globuli, duabus conſtans partibus, cannula (*h.*) & ſtylo ſolido (*i.*) qui in una extremitate in duo cochlearia acuta (*l.m.*) globulumque in ſe recipientia deſinit; in altera nodulo (*o.*) & capulo (*p.*) præditus eſt.

Fig.IV.eſt *inſtrumenti præcedentis cannula* ſeparatim depicta, cum nodulo (*o.*) & capulo (*p.*) rotundo.

Fig.V.eſt *ejuſdem inſtrumenti ſtylus* ad medietatem ſolidus, in una extremitate apertum cochlearium dentatum effigiem oſtendit, in altera cochleas (*k.m.*) capulo & nodulo (*o.p.*) deſtinatas.

His




TABUL. XVII.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
a
Fig. IV.
c
Fig. V.
b
Fig. VI.
Fig. VII.
d
e
Fig. IX.
x.
f
Fig. XI.
XII.
XIII.
Jonas Arnold Delineavit.

His duobus instrumentis, durante bello Germanico, in multis militibus felicissimo successu sum usus. Vid. Tabul. LV. *Fig.* IV. *n.*

Fig. VI. est terebellum Bartholomæi Maggii acutissimum, singularique cannula munitum, ad extrahendos sclopetorum globulos.

Fig. VII. est idem terebellum, extra suam cannulam delineatum (Plura quidem instrumenta sed propositis haud præstantiora ad vivum delineavit Ambrosius Paræus, ubi de sclopetorum vulneribus agit, & Guilhelmus Fabricius Hildanus *cent.* I. *obs.* 88. Ferramenta autem, quæ ad globulos è vulneratis partibus trahendos valent, pro varietate vulneris & educendi corporis multum variant. Nam eorum *quidam extrahunt, vel quatenus acuta globulis solùm infiguntur* Fig. VI. hujus Tabulæ; *vel quatenus* figuram rectam (Tab. IV. Fig. I. Tabul. XI. Fig. IX. & Tabul. XV. Fig. I. II. III.) aut curvam (Tab. XI. Fig. III.) habentia, *extremitatibus dentatis globulos apprehendunt. Quædam globulos in se recipiunt*, quatenus in extremo lata & concava sunt Fig. IV. V. VI. & VII. Tabul. XV. *Alia apprehendunt simul & recipiunt*, Fig. I. & III. hujus Tabul. Quodsi globulus specillo inventus tenaculâ est educendus, summoperè cavendum, ne labia vulneris, partesque ipsius interiores (*arteriæ scilicet, venæ, nervi, ligamenta & musculorum tendines*) ex apprehensione lædantur. Hoc enim si fieret, præter insigne sanguinis profluvium, vehementissimi dolores ac magnæ inflammationes, non sine vitæ periculo, excitarentur. Ad ea igitur præcavenda symptomata, chirurgus nunquam dilatet tenaculam, nisi hujus extremitate sentiat globulum.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

De instrumentis, quibus Lithotomi & castratores maximè opus habent.

Fig. I. est *scalpellus rectus*, & instar novaculæ ex una tantùm parte incidens, ex altera verò retusus, quo solo Lithotomus Ulmensis cutim inguinis & scroti, ad longitudinem duorum, trium, aut quatuor digitorum transversorum, pro separatione peritonæi, & extractione testiculi peritonæo inclusi dextrè solet incidere. Nonnulli prædictam inguinis incisionem scalpello falcato tentant, eamque, si nimis angusta fuerit, recto versus scrotum sufficienter producunt. *vd. Tabul.* XXXVIII. *Fig.* VI. *& Tabul* XXXIX. *Fig.* I.

Fig. II. est *instrumentum orichalceum*, quod castratores non immeritò *retinaculum* vocant: prohibet enim, ne intestina extra abdomen in peritonæi processum à scroto jam separatum acu perforandum, filo constringendum & forfice abscindendum, prolabantur. *Vid. Tabul.* XXXIX. *Fig.* II. III. *&* IV.

Fig. III. est *acus filum validissimum trahens*, quo castratores, in cura enteroceles herniarumque aliarum processum peritonæi à scroto separatum, sufficienter attractum, & elevatum immediatè supra applicitum retinaculum tutissimè perforant. *Vid. Tabul.* XXXIX. *Fig. II.* Funiculus hic (*a*) non est filum simplex, sed ex viginti ad minimum filis simplicibus compositus, & cera leviter obductus, quo processus peritonæi perforatus ante abscissionem arctissimè constringitur. *Vid. Tabul.* XXXIX. *Fig. III.*

Fig. IV. est *forfex communis;* quo processus peritonæi à scroto separatus, acu perforatus, filoque constrictus, concluso cum testiculo abscinditur. *Vid. Tabul.* XXXIX. *Fig.* IV.

Fig. V. est instrumentum seu *specillum orichalceum*, quo calculus in meatu urinario residens citra sectionem extrahitur. *Vid Tabul. XL. Fig. IV.*

Fig. VI. est *Stylus ex argento solidus*, qui inflecti debet, ut fissuram, (*d*) quam à medio usque ad extremitatem obtinet, in dorso vel gibba parte habeat. Latinis vocatur *Itinerarium*, eo quod meatui urinario prudenter immissum Lithotomo vesicæ collum fidelissimè monstret, & super hoc sectio magno apparatu facienda sit, ad extrahendum è vesica calculum.

Fig. VII. est *Syringa tentativa*, quo Lithotomi explorant intimos vesicæ anfractus, in quibus nonnunquam latitare solent calculi, humanum genus maximis cruciatibus afficientes. *Vid. Tabul. XL. Fig. VII.* Eodem instrumento utuntur chirurgi in utroque sexu ad curam Ischuriæ. *Vid Tabul. XL. Fig. VI.* Hæc syringa, quæ Græcis appellatur καθετήρ, est argentea, ut pro necessitatis ratione inflecti possit; nullam asperitatem habet, ut uretram exquisitissimo sensu præditam, transiens ad vesicam, nullo dolore afficiat; pluribus in extremo foraminibus est perforata, ut, retracto ejus stylo, urina in vesicæ cavo contenta, per fistulam liberè profluat. Notandum, quòd stylus (*e*) fistulæ non immittatur, ut quasi vi vacui urinam suppressam secum trahat, sed ne statim effluens urina Lithotomum, aut Medicum, aut Chirurgum exercitatum (quando latitantem in vesica calculum explorant) sordidè impediat. *Vid. Tabul. XL. Fig VII.*

Figur. VIII. est *fistula ex auro vel argento conficienda, quæ ante excretionem urinæ immittitur meatui urinario*, ut per eam effluat urina, atque ita leniatur sævissimus ille dolor & ardor, quem sentiunt ægri (*urinam sine cannula reddentes*) ob ulcus in meatu urinario subortum ex Gonorrhæa plerumque virulenta. *Vid. Tabul. XL. Fig. V.*


Fig. IX. & X. *sunt unci*, *quibus in minori apparatu extrahitur calculus*, digitis ultra vesicæ collum protrusus, & scalpello detectus. Ambo ab externa parte, qua corpori junguntur, læves sunt, ab interiore verò, qua calculum attingunt, asperi. Posterior in medio divisus post immissionem beneficio cannulæ (*f*) retractæ dilatari potest, ut calculum eximendum meliùs comprehendat. *Vid. Tab. XLI. Fig. II.*

Fig. XI. est *Forceps, quæ* extra lævis, & intùs aspera est, & *requiritur, quando vulgaris calculi extractio uncis* modò delineatis *perfici nequit.*

Fig. XII. & XIII. sunt candelæ ex filo forti duplicato, & cera alba (cui modicum terebenthinæ additum sit, ne tam facilè frangantur, recipiuntur autem communiter ℥ij ceræ & ℥ij terebenthinæ) paratæ, quibus utuntur ad curandam ischuriam, quæ oritur ex caruncula in meatu urinario existente. Candela figuræ duodecimæ fracta est, ne in sui extractione frustulum ceræ, quæ nonnunquam in medio filum non habet, in meatu relictum urinæ suppressionem augeat, quare chirurgus portionem candelæ fractam ad illychnii extremitatem forcipe abscindat, eoque facto, candelam oleo amygdalarum dulcium illitam, quantum opus erit, meatui urinario immittat.

TABV-

TABULA. XVIII.



TABULA DECIMA OCTAVA.

De instrumentis, quibus crus contractum paulatim extenditur, & cubitus ferè rigidus sensim flectitur, arteriaque carpi tutò comprimitur.

Fig. I. est *instrumentum* merè ferreum, quod *ad extensionem cruris contracti fabrefactum* est, & sex partibus, capsula scilicet (*a*) cochlea (*b*) annulo (*c d*) clavo (*e*) ligulis (*h*) & fibulis (*f*) constat. *Capsula* in medio foramen habet trochleatum ad recipiendam cochleam, & in circumferentia multis pertusa est foraminibus, ut linteamine duplici & gossipio subduci possit. *Cochleæ pars superior* (*b*) annulo annectitur, *inferior* (*b**) clavum accipit. *Annuli* partem inferiorem (*c*) poples ingreditur, superior *d*) patellam contegit. *Clavi* beneficio circumducitur cochlea, & sic attrahitur annulus, contractumque crus paulatim extenditur.

Fig. II. ostendit *cochleam* instrumenti separatim depictam, quæ duabus constat partibus, superiore scilicet (*b*) & inferiore (*b**) Superior est excavata ad recipiendam inferioris partem (*i*) quadratam. Superior post attractionem annuli, capsulæ affixa relinquitur, inferior autem extrahitur. *Vid. Tab. LV. signo* △.

Fig. III. exhibet partem *cochleæ* inferiorem, cujus pars quadrata (*i*) quadrato superioris foramini inseritur. Hoc instrumentum, quod beneficio ligularum fibularumque claudi potest & aperiri, multum differt ab eo, quod Guilh. Fabricius Hildanus in libello de combustionibus c. 15. se invenisse scribit. *Vid. Tab. LV. Fig. II.*

Fig. IV. est *instrumentum* ex laminis ferreis confectum, plurimisque perforatum foraminibus, ut gossipio inter duplex linteum posito subduci, cubitoque instar manicæ adaptari possit. *Arteria carpi* vel consilio Medici aperta, vel casu fortuito *vulnerata* tutissimè *comprimitur* hujus *instrumenti cochleâ umbellatâ*, ad compescendum enim arteriosi sanguinis effluxum carpus vulneratus neque laxe, neque arctè est ligandus. *Laxa enim ligatura certam patienti mortem, arctior verò sphacelum manus minatur*; illam, quod sanguinem seu vitæ thesaurum non sistat, hunc, quòd vasa omnia comprimendo manum privet spiritu vitali. Instrumenti autem cochlea umbellata (*quia ferè solam arteriam, quæ vulnerata est, arctissimè comprimit*) citra sphaceli metum sanguinis fluxum compescere potest. *Vid. Tabul. LII. Fig. I.*

Fig. V. est *instrumentum* ferreum, *quo utimur, quando rigidus inflecti cubitus, & contractus extendi nequit.* Is autem mediante instrumenti cochlea (*k l*) paulatim flectitur & extenditur. Rigido applicatur instrumentum rectum, & beneficio clavi ferrei (*m*) cochlea in medio perforata quotidie parum circumducitur, donec applicitum instrumentum anguli recti figuram repræsentet. Contracto apponitur instrumentum pro convulsionis magnitudine incurvatum, & paulatim mediante clavo & cochlea in rectum dirigitur. *Vid. Tabul. LII.* Fig. II. Habet instrumentum quatuor

fibulas (*o*) & totidem ligulas (*p*) ut cubito & humero simul applicitum sufficienter adstringi queat. Singula hujus Tabulæ instrumenta ad magnitudinem seu proportionem partis affectæ parari debent.

TABULA DECIMA NONA.

De ferramentis figura & magnitudine diversis, quibus optimè ignitis variæ corporis partes aduruntur.

Fig. I. II. III. & IV. sunt ferramenta in extremitatibus reflexa, lata, rotunda & quadrata, quibus candentibus non modò compescitur enormis sanguinis fluxus (*post abscissionem mammæ aut alterius membri*) verùm etiam pars mutila robur adquirit, ne novum humorum affluxum recipiat. Conferunt eadem ad exiccandas hæmorrhoides, & extrahendos tumores, qui superficiem corporis externam deserentes interiora petunt. De exiccatione hæmorrhoidum *vid. Tabul.* XLIV. *Fig. III.* Tumores interiora petentes ferramentis ignitis extrahi posse, sequens confirmabit historia. Anno 1635. tempore pestis *Patritius Ulmensis* C.L.B. adhuc superstes circa anum cruciabatur anthrace pestilenti, magno & nigro, qui, quoniam interiora petens omninò evanuit, patienti mortem certissimam minatus est. Pro retractione anthracis instrumenta Fig. I. & II. optimè ignita alternatim ano admovi (ita tamen ut anus non irritaretur ferramentorum contactu, sed tantùm ignis vim persentiret, ad bonam ægri tolerantiam) donec antrax ad pristinum locum retraheretur. Retracto escharam induxi ferramento (*Figur. V. sequentis*) & apposui cataplasma, quod bidui spatio escharam separavit,


(℞. *Sal. commun.* ℈s.
Piper. ʒj.
Caricav. ping. N. iij.
Fol. rut. virid. Mj.
Ferment. veter. & acid ℥j.


Misce omnia in mortario marmoreo quam diligentissimè ad formam cataplasmatis) bis in
die appositum. Hoc cataplasma descripsit Sennertus l. 5. pr. part. 2. c. 13. & Hadriani
Spigelii majores in Belgio habuerunt pro secreto, eò quod escharam omnem optimè
tollat. Eschara retracti anthracis sublata, ulceri super filamenta carpta applicui un-
guentum citrinum, quod vim habet digerendi, attrahendi, carnem generandi, & ve-
nenis resistendi. Desuper apposui emplastrum album coctum dictum. Tandem carne
impletum ulcus ad cicatricem duxi cerato diapalmæ.

Fig. V. & VI. sunt ferramenta ad extremitatem globosa, quibus benè candentibus tan-
pars mutilata ad constringendum sanguinis fluxum & conciliandum robur sæpiùs tan-
gitur. Vid. Tabul. LIV. Fig II. Tanguntur iisdem ossa artuum majora, si corrupta fue-
rint, ut eò citiùs separentur. Vid. Tabul. LIV. Fig. II.

Fig. VII. & VIII. Cauteria ovalem referunt in extremitate figuram, iisque hæmorrhoides nimium fluentes sigillatim aduruntur. Vid. Tabul XLIV. Fig. II.

Fig. IX.




TABUL. XX.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
Fig. IV.
Fig. V.
Jonas Arnold Delineavit.



TAB. XXI.
Fig. VIII.
Fig. IV.
Fig. VI.
Fig. I.
Fig. V.
Fig. II.
Fig. VII.
Fig. III.
X.
IX.
b
c
a
a
Jonas Arnold
Delineavit.

Fig. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. sunt ferramenta ad extremitates varia, quæ ignita dentium cavitatibus immittuntur, ad eorum cariem & corrigendam, & prohibendum, ne ea ulteriùs serpat.

TABULA VIGESIMA.

De forfice maxima, cultro falcato, scalpro, serra & novaculâ, quibus ferè omnibus ad amputationem membri indigemus.

FIg. I. est *forfex maxima*, qua artuum partes extremæ, earumque digiti vel superflui, vel sphacelo aut carcinomate affecti sæpissimè, citra scalpelli usum abscinduntur. Vid. Tabul. LIII. Fig. XI. & Tabul. LIV. Fig. I. Hac etiam ossa, quæ vel in fracturis cum vulnere compositis prominent & reponi nequeunt, vel in vulneribus capitis membranas cerebri pungunt, tutissimè abrumpuntur. Vid. Tabul. XXVI. Fig. VIII.

Fig. II. est *scalpellus falcatus*, quo ignito partes membri mutilandi carnosæ, ossibusque molliores, neglecta ligatura, in vivis undique inciduntur usque ad os, quod deinde acutissimis serræ dentibus resecandum. Vid. Tabul. LIII. Fig. V. m. Scalpellus candefit ad prohibendum sanguinis fluxum, unde à quibusdam barbarè cauterium cultellare appellatur.

Fig. III. est *scalper acutissimus*, quo per malleum ligneum fortiter impulso manus super truncum ligneum posita in radii & cubiti capitibus absque periculo amputatur. Vid. Tabul. LIII. Fig. VI.

Fig. IV. est *serra acutissimis dentibus prædita*, cujus aliquot tractibus os magnum, à mollioribus tamen partibus benè liberatum chirurgus exercitatus citò resecat. Vid. Tab. LIII. Fig. V. n. Notandum, quòd serra hæc forfexque superior triplo majores parandæ sint, quam hic depictæ fuerunt.

Fig. V. est *novacula dorsum habens latissimum*, qua pars amputanda in vivis infra strictam ligaturam ut plurimum inciditur usque ad os, serræ superioris acie resecandum. Ligaturæ usitatum modum ostendunt Tabul. LIII. Fig. VI. VII. & XI.

TABULA VIGESIMA PRIMA

De cannulis & stylis ad curandos narium & intestini recti affectus ignem requirentes, de penicillo quoque ligneo, quem Nicolaus Tulpius l. 4. observ. medic. c. 42. describit.

FIg. I. est *cannula* ex ferro cæca, seu omninò integra, nullibique perforata, quæ naribus exulceratis tam altè immittitur, ut ulcus, quod ozænam vocant, attingat: postea cannulæ huic integræ & in nares immissæ, repetitis vicibus, inditur stylus Fig. IV. benè ignitus, quo tamen cannula tantùm calefiat, & sic ulcus exiccabitur.

Fig. II. est *cannula ad latus perforata*, quæ ad collum ulceris in narium latere existen-

tis prædurum igne ſeu cauterio actuali conſumendum, aut ad os corruptum ſufficienter eodem exiccandum, eſt idonea.

Fig. III. eſt *cannula in extremo foramen habens*, quæ naribus inditur, quando poſt inciſionem & extractionem polypi ſanguis nimium profluens muſtione eſt ſiſtendus. Requiritur etiam hæc cannula ad extremitatem perforata, cum ſuprema pars narium aduri debet ad accelerandum oſſis corrupti ſeparationem.

Fig. IV. eſt *ſtylus* ferreus, qui bene ignitus dictis cannulis immittitur, ſtatimque retrahitur: hæc ſtyli candentis immiſſio & retractio toties repetenda eſt, quoties neceſſarium fuerit. Ad operationes has cito perficiendas chirurgus ad minimum duos ſtylos cannulis exacte reſpondentes in promtu habeat, quibus alternatim uti poſſit, vid. Tabul. XXXII. Fig. II.

Fig. V. eſt *inſtrumentum ano immittendum* ad reſiccandas hæmorrhoides internas, quæ vel tument, vel inteſtinum ſuperficialiter exulcerant: ſeu, eſt cannula ferrea & (velut. Fig. I.) ſolida, nullibique perforata, ne ſtylus candens Fig. VIII. (qui cannulæ ano impoſitæ repetitis vicibus immittitur, & exinde retrahitur) ulterius, quam oportet perveniat, & partem affectam attingat.

Fig. VI. & VII. ſunt *cannulæ pariter ano immittendæ*, ſed in latere, pro ſitu ulceris calloſi aut profundioris, perforatæ, quibus inditur ſtylus candens. His cannulis partes inteſtini ſanæ ab immediato ignis cantactu, quo prædicta ſaltem ulcera opus habent, defenduntur.

Fig. VIII. eſt *ſtylus* ferreus, qui ignitus bis, ter vel ſæpius cannulis ſuis immittitur, vel ad exiccandos hæmorrhoidum internarum tumores, vel ad inteſtini recti exulcerationes, ſive fuerint ſuperficiales, ſive profundæ, ſanandas. vid. Tabul. XLV. Fig. II.

Notandum, quod deſcriptæ hactenus cannulæ, & ſtyli in narium & inteſtini recti affectibus neceſſarii, juſta magnitudine depingi nequeant, quoniam pro ratione ætatis ægrotantium variant, & ad magnitudinem loci affecti confici debent.

Fig. IX. eſt ligneum *inſtrumentum*, in tres circulos dexterrime tornatum, & *ad coercendas hydropicorum in abdomine apertorum aquas*, ut Tulpius teſtatur, accommodatiſſimum, in cujus medio protuberat penicillum (*a*) foris quidem convexum atque obtuſum, ſed intus excavatum.


Fig. X. eſt præcedentis inſtrumenti pars averſa, & æqualis, quæ in medio (*c*) oſtendit penicilli foramen, operculo (*b*) ligneo obturandum. vid. Tabul. XXXVIII. Fig. I. & II. de abdominis paracenteſi.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

De unco ad extrahendum fœtum mortuum, dioptris ſeu ſpeculis ani & matricis, globiſque & circulis uterinis.

Fig. I. eſt *inſtrumentum* quod Andreas à Cruce depingit, duabus catenulis & totidem uncis præditum, *quo extrahitur fœtus mortuus*, vel integer, vel in fruſta inciſus, ex utero puerperarum auxiliares manus efflagitantium. vid. Tabul. XLIII. Fig. VIII.

Fig. II.



TABULA. XXIII.




Fig. II. eſt inſtrumentum, cujus beneficio chirurgi ulcerum inteſtini recti & cervicis uteri ſitum, quantitatem & qualitatem explorant: hinc *ſpeculum ani & vaginæ uterinæ* vocatur. Hoc autem ſpeculum in duas partes dividitur, maſculum ſcilicet (*a*) qui maribus & fœminam, (*b*) quæ virginibus & mulieribus adhibetur. In hac figura maſculus eſt apertus, fœmina verò clauſa.

Fig. III. monſtrat ſpeculum, quod maribus convenit, clauſum, & quod fœminis apertum. *Vid. Tabul. XLV. Fig. I.*

Fig. IV. eſt *Speculum matricis magnum*, ſeu tribus conſtans partibus ſeu laminis, quo partes mulierum genitales diducuntur, quando vel fœtus mortuus & intra uterum diſſectus fruſtillatim extrahendus eſt, vel exulceratio matricis ſaltem inſpicienda. *Vid. Tabul. XLIII. Fig. VII.*

Fig. V. *candelam* oſtendit latiſſima baſi præditam, ex cera flava & aſſa fœtida confectam, & craſſitie cervici uterinæ reſpondentem, qua uterus prolapſus citra violentiam reducitur. *Vid. Tabul XLIII. Fig. V.*

Fig. VI. & VII. ſunt *Circuli ex ligno buxeo tornati*, qui poſt uteri prolapſi repoſitionem in ejus collum induntur, ne iterum procidat. Circulus (VI) ea parte (*b*) qua intùs ſpectat, nonnihil acuminatus eſt. Circulus (VII) verò parte intùs ſpectanti contraria (*a*) obtuſus eſt. Chirurgus, Medicus vel obſtetrix ad minimum tres vel quatuor circulos uterinos in promtu habeat, ut ex iis eum, qui pro cervicis amplitudine & anguſtia videtur magis accommodatus, eligere poſſit. *Vid Tabul. XLIII. Fig. V.*

Fig. VIII. & IX. ſunt *Globuli ex ſubere facti*, qui in deploratis uteri procidentiis utiliſſimi ſunt, & non, veluti circuli priores, in cervicem uteri, ſed ejus fundum immittuntur. Globulus ſphæricus & ovalis annexum habent funiculum, ut urgente coeundi neceſſitate extrahi poſſint. De peſſariis uteri globoſis & ovalibus plura leg. apud Franciſc. Ronſet. de part. cæſar. ſect. 6. c. 4. & 5. & Guilh. Fabric. Hildan. cent. 4. obſerv. 61.

TABVLA VIGESIMA TERTIA.

De machina tractoria Vitruvii, cingulo remoraque Hildani, canali item, & ſcamno Hippocratis.

Fig. I. eſt *Machina tractoria*, octo rotulis, duobus hamulis & duplici funiculo ductorio prædita, ad validius trahendum & extendendum comparata, & ex *Vitruvii* l. 10. c. 4. deſumta, qua nos quandoque utimur in artuum fracturis & luxationibus, ſi miniſtrorum extendentium manus non ſufficiunt. Hæc machina non tantùm leniter & lentè, ſed etiam validè & celeriter pro arbitrio chirurgi, & ut res ipſa poſtulat, extendit.

Fig. II. eſt *cingulum Hildani* coriaceum, & duobus hamulis ex ferro fabricatis præditum, quod in luxationibus & fracturis validiorem, quam ſolæ manus præſtare poſſunt, extenſionem requirentibus, brachio applicatur ſupra carpum, femori parum ſupra genu, & cruri ſupra malleolos, ut pars læſa non obliquè, ſed recto tramite trahatur.


Fig. III.

Fig. III. est instrumentum *Remoræ*, quam Fabricius Hildanus invenit, & cent. 5. observ. 86. depictam & descriptam in ferè omnibus artuum fracturis & luxationibus recentibus valdè commendavit. Instrumenti pars recta (ab *a* usque ad *b*) est longa pollices novem, circa principium torcularis (*b*) habet crassitiem pollicis, & in medio foramen cochleatum, in quod globulus (*c*) mediante cauda torculari (*d*) infigitur ferreus, cujus diameter latus est duos pollices. Instrumenti verò pars curva (*a e*) duo habet foramina simpliciter excisa, medio foramine recipit caudam globuli; extremo autem clavum (*f*) torcularem. Hujus machinæ, cinguli & remoræ usum & applicandi rationem monstrabit Tabul. XLVII. Fig. III.

Fig. IV. est *canalis longus* (in quo reponitur totus pes, cùm vel crus, vel femur, vel utrumque aut luxatum aut fractum fuerit) & ex durissimo diliæ ligno paratus, qui in fundo foramen (*a*) habet ad recipiendum calcaneum, & in extremo lignum obtinet oblongum (*b*) quo innititur planta pedis. Quidam in hunc finem utuntur capsula, quæ habet fundum & latera plana, in reliquis autem canali descripto similis est. Nostri chirurgi in hoc præcipuè laudandi sunt, quod diversos canales aut capsulas in promtu habeant, canales (magnos scilicet, mediocres & parvos, pro magnitudine partis affectæ) ut data occasione eos statim depromere, iisque commodè uti possint. Plura de hujusmodi longo canali legantur infra Tabul. LIV. Fig. III.

Fig. V. est *scamnum Hippocratis*, ad luxata & fracta membra restituenda & componenda maximè idoneum. Paratur lignum A sex cubitos longum, & duos latum: crassitudine Æ novem digitos obtinet transversos resupinandum. Hoc lignum habet quatuor alia ligna, in superioribus partibus rotunda, duo scilicet & iterum duo in utraque sui extremitate B. Hujusmodi ligna B, quæ Hippocrates φλίας vocat, in latitudine foraminibus pertunduntur perviis, quibus continentur axes *C* penetrantes, qui in suis capitibus manubria ductoria *D* habent, quibus circumvolvuntur. Totum lignum à medio usque ad extremum cavitates obtinet *E* quatuor digitos transversos inter se distantes, quarum latitudo & altitudo pariter tres digitos transversos æquat, quibus scalmus seu Priapissus *F* recipitur. Foramina hæc *E* impervia Hippocrates καπέτας appellavit. Remoram Hildani adhibiturus neque cavitatibus dictis, neque priapisso opus habet, ut Tabul. XLVII. Fig. III. docet. Scamnum hoc præter quatuor φλίας *B* extremas, duas alias in medio *G* habet, quæ bis perforatæ lignum transversum *H* in supremo foramine continent, ad restituendum femur in posteriorem & exteriorem partem prolapsum, veluti Oribasius l. de machin. c. 37. & 38. docet. Scamnum hoc sex pedibus insistit, ut manibus elevari & de loco in locum moveri possit. Rotulis axium, qui extremas φλίας *B* perforant, remoras (*g*) adaptavi, ut continerent axes. Addidi insuper infimo scamni extremo Æ utrinque duos annulos ferreos & immobiles (*h*) ad recipiendum clavum pariter ferreum (*i*) qui superiùs habet annulum (*o*) quo recipit machinæ tractoriæ uncum, & inferiùs stylum (*u*) qui clavum facit fixum & immobilem. Usum hujus scamni Hippocratici infra Tabul. XLVI. XLVII. & L. declarabo, ne tyronibus accidat, quod meo tempore Patavii Medico & Anatomico non obscuri nominis evenit. Hic enim, cùm ad fracturam cruris extendendam scamno opus haberet, sed mutuo accepto

uti



uti nesciret, magna nominis infamia modum scamno utendi erubescens didicit ab eo, qui scamnum quasi coactus mutuo dedit.

TABVLA VIGESIMA QVARTA.

De Ambi Hippocratica, Scala, Nilei Plinthio & Glossocomo Galeni.

Fig. I. monstrat integri instrumenti, quod communiter ἄμβην vocant, effigiem.

Fig. II. ostendit prædicti instrumenti partes divisas, columnam scilicet (*a*) usque ad medium excisam, cujus basis (*g*) tribus cochleis (*l*) solo ligneo affigitur, ne dum restitutio (Tabul. XLVII. Fig. 1.) fit, vacillet; spatham ligneam (*b*) seu ἄμβην propriè dictam & versatilem; & clavum (*c*) qui continet ἄμβην in columna.

ἄμβην propriè dictam Hippocrates *Section. 6. de articulis* ita describit. Lignum (*b*) esto latitudinis ferè quidem quinque aut quatuor digitorum, crassitudinis verò duorum, aut etiam tenuius, longitudinis autem bicubitalis, aut paulò minus. Cujus alterum extremum (*d*) rotundum sit, & angustissimum ea parte, maximeque tenue. Superciliosam autem habeat eminentiam in summa rotunditatis paulùm extantem, qua non latus, sed brachii caput attingit, ut huic supposita ala ad costas adaptetur. *Addo* quod lignum hoc tria debeat habere foramina (*e*) per quæ trajiciantur lora (*f*) quibus brachium spathæ firmiter alligandum.

Fig. III. est *scala* sex gradibus prædita, quorum superior habet corpus quoddam (*a*) rotundum, quod sub alam ponitur inter costas & humeri caput: postea Chirurgus brachium luxatum (sed spathæ non alligatum, ut Paræus l. 15. c. 26. monstrat) deorsum trahit, alius minister apprehensa cervice & summo humero, similiter trahet ex altera parte. Hujus operationis icon videatur apud Galenum comment. 1. in libr. Hipp. de artic. text. 17. *Habet insuper hæc scala quatuor sibi annexas trochleas, pro usu Nilei Plinthii* Tab. XLIX. Fig. I. adumbrato.

Fig. IV. est arcula canali ferè similis, quam Galenus *comm. 2.* in libr. Hipp. de fract. text. 64. *glossocomum* vocat, ad fracturas femoris & cruris (cùm stratum substernitur aut æger ad desidendum progreditur gestatus) continendas commodissima: seu machinamentum, habens in ima parte non modò axem (*a*) cum suis additamentis, rotula nempè, remora & manubrio, sed etiam lignum rectum (*b*) quater perforatum; in suprema verò duas trochleas (*c*) & ad latus laqueum longum, in quatuor partes dividendum. Galenus loco allegato Glossocomum laudare videtur sequentibus. Ad continendum autem firmiter Glossocomum instrumentum à junioribus Medicis inventum est, seu femur, seu crus fractum sit, cujus structuram usumque subjiciam. Id autem non abs re mihi fuisse excogitatum: & tam si femur, quam si crus comminutum sit, ubi callus circumdatur, commodissimè adhibetur. *Vid. Tab.* IXL. *Fig. IV.*

Fig. V. est organon tractorium, ab Oribasio l. de machin. c. 8. *Nilei Plinthium* nuncupatum, factumque ad eorum exemplum, quæ tractoria quadrata vocantur. Hoc instrumentum duo habet latera (*a*) quatuor palmas longa, & digitum transversum

crassa, quæ extremis partibus, transversariis duobus (*b*) in medio foramen (*c*) per quod laquei (*h*) trajiciuntur, habentibus, inter se compacta sunt. Est autem transversariorum (*b*) crassitudo & latitudo, quanta laterum (*a*) sed longitudo palmam implet. Meritò igitur talis compactio fit, ut latera (*a*) quatuor palmas, & transversaria (*b*) unam longa sint. Totius organi structura est oblonga. Licebit autem, si quis voluerit, latera breviora, quàm dictum est, efficere, quandoquidem organum per unicum axem præstat effectum In medio itaque latera pertusa sint rotundis & perviis foraminibus, per quæ axis (*d*) trajicitur, cujus caput sinistrum, quo latus excedit, manubrium (*e*) habet ligneum. In hoc quoque organo quatuor fiant annuli ferrei (*i*) cum totidem loris pendulis, lateribus affixi, bini ab inferiore parte, & totidem à superiore, ut scalæ modò depictæ alligari possit. Ambabus axis extremitatibus additæ sunt rotulæ (*f*) & his remoræ (*g*) ut axem manubriolo circumductum firmiter contineant. Hoc organo quidem Chirurgus in variis luxationibus & fracturis uti potest, ut apud Oribasium libr. de machinam. c 11. 13. 14. & 23. videre est. Ego tamen Tabul. XLIX. Fig. I. unicè docebo, quomodo Nilei Plinthium scalæ alligandum, eoque cubitus convenienter extendendus sit, quando in priorem partem luxatus neque per fasciam alæ subjectam (Tab. XLVIII. Fig II.) neque per linteum glomeratum reponi potest.

TABULA VIGESIMA QUINTA.

De præcipuis externorum affectuum, qui hodie Chirurgiâ curantur, imaginibus.

Explicitis instrumentorum delineationibus, priusquam verum & salubrem operandi modum tyronum oculis subjiciam, secutus Hieron. Fabricii mentem, quam in præfatione operis Chirurgici proposuit, picturas præcipuorum in humano corpore affectuum, qui sæpiùs nonnisi Chirurgiæ operâ curari possunt, hujus Tabulæ duabus figuris inseram, brevissimeque describam.

Figur. I est fœmina, & ostendit *in dextro oculo* pterygium, Tabul. XXXI. Fig. VIII. *In sinistro oculo* staphyloma Tabul XXX. Fig. II. *Post dextra auriculæ globum*, tumorem tunicatum cum tenui basi, Tab. XXXIV. Fig. V. *In gena dextra* tumorem tunicatum. Tabul. XXX. Fig. VIII. *In maxilla superiore* dentem eminentem, Tabul. XXXII. Fig. VI. *In ore* palatum erosum, Tabul. XXXIII. Fig. I. *In faucibus* delapsam uvulam, Tabul. XXXIII. Fig. V. *In mamma dextra* cancrum exulceratum, Tabul. XXXVI. Fig. II. *In mamma sinistra* abscessum suppuratum, Tabul XXXVI Fig. I. *In abdomine* tumorem ascitis, Tabul. XXXVIII Fig. I. *In pudendis* uteri prolapsum, Tabul XLIII Fig V. *In humero dextro* fracturam sine vulnere asseralem, Tabul. LVI. Fig. II. *In dextra manu* cancrum non exulceratum, Tabul. LIII. Fig. V. *In sinistro cubito* prope carpum fracturam cum vulnere, Tabul. LII. & LIV. & manus sphacelum, Tabul. LIII. Fig. VI. *In pedis dextri genu* tumorem durum Tabul. LV. Fig II. *In femoris parte interna* vulnus magnum sutura uniendum, & *in crure sinistro* varices sectione curandos. Tabul. LV. Fig. III.

Fig. II.




TABULA. XXVI.
Fig. 1.
Arnold. Delineavit.

Fig. II. eſt vir, & monſtrat *in ſiniſtra ſyncipitis parte* vulnus capitis cum depreſſione & fractura cranii Tabul. xxvi. xvii. xxviii. & xxix. *In medio frontis* atheroma Tabul. xxxiv. Fig. viii. ix & x. *In dextro oculo* Ancyloblepharon ſeu palpebrarum coalitum Tabul XXX. Fig. VII. *In dextri oculi majore angulo* ægylopem, Tab. xxx. Fig. iii. & iv. *In gena dextra* vulnus linteolis emplaſticis conglutinandum Tab. xxxiv Fig. vii. *In narium dextra* polypum Tabul. xxxii. Fig. i. *Infra auris ſiniſtræ lobum*, tumorem cum folliculo magnum & pendulum Tabul. xxxiv. Fig. vi. *In labio ſuperiori* os leporinum Tabul. xxxii. Fig. iii *In labio inferiori* cancrum exulceratum Tabul. xxxii. Fig. iv. *In pectoris dextro latere* ſinum ſyringotomo aperiendum, Tabul. xxxv. Fig. iv. *In pectoris ſiniſtra parte ſupra mammillam* vulnus penetrans latum, Tabul. xxxv. Fig. iv. *In pectoris ſiniſtra parte infra mammillam* vulnus penetrans anguſtum ſcalpello dilatandum, Tabul. xxxv. Fig. v. *In medio abdominis* prominentiam umbilici, Tabul. xxxvii. Fig. iii. iv. v. & vi. *In abdominis ſiniſtro latere* infra umbilicum vulnus cum exitu inteſtinorum & omenti conſuendum, Tab xxxvii. Fig. ii. *In mentula* ardentis urinæ ſtillicidium, Tabul xl. Fig. v. *In ſcroti dextra ſede* ſarcocelem ſeu herniam carnoſam, Tab. xxxviii. Fig. iii. *In cubito dextro ad carpum* vulnus arteriæ, Tabul lii Fig. i. *In brachio ſiniſtro* locum fonticuli ordinarium, Tabul. lii. Fig. i. *In brachio ſiniſtro contracturam* cubiti à mala venæſectione ortam, Tabul. lii. Fig. ii. *In femore dextro* locum fonticuli ordinarium, Tab. lv. Fig. i. *In ſura dextri pedis* locum fonticuli iſchiadicis convenientem, Tab. lv. Fig. i. *In femore ſiniſtro* tumorem tunicatum, Tab. lv. Fig. iv. *& in extremo pede* luxationem tali cum vulnere, Tabul l.

TABULA VIGESIMA SEXTA.

De apparatu & modo fonticulum ad ſuturam coronalem inurendi, vulnera capitis in crucem dilatandi, dubias in cranio rimas abradendi, caputque poſt bregmatis inuſtionem convenienter deligandi.

VUlgaris occurrit quæſtio, an cauterium actuale citra noxam bregmati poſſit admoveri. ℞. Licèt uſum fonticulorum in ſuturæ coronalis & ſagittalis concurſu, quem Græci *βρέγμα* vocant, graviſſimi Autores ſuſpectum reddant, eum tamen, quia perplurimi mecum ob crebram boni ſucceſſus experientiam maximè commendant, ad curandos contumaces præſertim capitis affectus, illamque quæſtionem ſatis ventilarunt Julius Cæſar Claudinus 3. Reſponſion. medicinal. Thomas Fienus l. 3. de Cauter. c. 22. & Marcus Aurelius Severinus pyrot. Chirurgic. l. 2. part. 2. c. 11. actum non agam, ſed benevolum Lectorem ad allegatos Autores remittens hujus Tabulæ explicationem aggrediar.

Figur. I. oſtendit faſciam quatuor capitibus (*a b c d*) præditam, & Figur. vii. apparatum reliquorum, quæ in, ante, & poſt bregmatis inuſtionem requiruntur, inſtrumenta ſcilicet (*e f g h i*) varia, folium braſſicæ (*k*) butyro recenti illitum, & ſplenium (*l*) triplicatum. *Figur. II.* monſtrat ſuturæ coronalis & ſagittalis con-

cursum (*m*) qui capillis, cute crassâ & pericranio tectus, quandoque ab exercitatis quoque chirurgis difficulter invenitur.

Fig. III. & IV. ostendunt rationem investigandi bregma, inventumque notandi locum, in quo fonticulus ferro ignito conficitur. Ad bregmatis accuratam inventionem tam recentiores, quàm veteres Chirurgi varios excogitârunt modos, quos omnes recenset Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *de fontic. in futur. coronal.* Ego ad inveniendum suturæ coronalis & sagittalis concursum Avicennæ modum & Celsi conjungo, &, capillis sufficienter derasis, duco filum (*n*) ab una media aure ad alteram; dein aliud (*o*) ab apice narium ad verticem, ubi fila sese intersecant & crucem efficiunt, ibi censeo esse bregma seu fonticuli locum, atramento hîc scriptorio cruciatim (*p*) signatum.

Fig. V. monstrat ipsum operandi modum. Chirurgus sinistra manu tenet cannulam (*g*) frigidam, qua cutim atramento signatam (*p*) fortiter comprimit, ut partes vicinas ab igne defendat & dolorem mitiget; dextra verò ferramentum (*h*) optimè ignitum cannulæ (*g*) intrudit, & ad cranium perveniens circumvolvit, donec ossi aliquod vestigium inciderit ad prohibendam inflammationem pericranii, quæ omissâ ferramenti igniti circumvolutione facilis esset, & ad promovendam materiæ peccantis evacuationem, quæ paulatim quoque fit per poros cranii. De instrumentis (*g h*) videatur Tabulæ I. Figur. I. & II.

Fig. VI. ostendit usum fasciæ superioris, cujus capita (*c d*) anteriora sub mento connexa sunt; posteriora verò (*a b*) in occipite filo tantùm consuta, ne nodus communiter factus hic gestanti fonticulum, dum jacet supinus, excitet vigilias, quæ solæ non rarò lethalem pericranii inflammationem intulerunt. Detinet autem dicta ligatura quicquid fonticulo ad bregma inusto fuit applicitum, brassicam nempè (*k*) butyro recenti illitam, & linteum (*l*) triplicatum.

Figuram VII. explicabit prima, sed quid tot instrumentis opus est, si saltem duo (*g h*) ad hanc chirurgiam sufficiant? serviunt ad fallendum ægrum, qui ferramentum candens omninò recusat, sed moderatè calidum libenter admittit.

Curo itaque afferri sellam humilem & articulatam, qualem barbitonsores in suis tonstrinis habent, vertendo alterutrum latus, sive sit dextrum sive sinistrum, versus lumen atque fenestras, dorsum verò versus januam, ne æger ferrum candens ex culina afferendum videre queat. Ægro in sellam ritè collocato supra discum in mensa depositum instrumenta (*e f i*) depromo, instrumentum verò (*g*) in tibialium sacco absconditum servo.

Interea famulus instrumentum (*h*) clàm tradit ancillæ domesticæ, ipsique tacitè injungit, ut porrectum benè quidem igniat, sed non afferat, donec ardentes prunas apportare jussa fuerit. His peractis, & dum famulus circa locum inurendum pro necessitate capillos abradit, ego fasciam (Fig. I.) linteolum triplicatum (*i*) & folium brassicæ (*k*) præparo, discurrens interim cum patiente, qui quandoque curiosus est, de sustinendæ chirurgiæ insensibilitate, celeritate & præstantia, de instrumentorum in disco positorum qualitatibus rebusque aliis, quæ animum ejus ab ignis timore præser-

præservare possunt. Præparatis omnibus necessariis, à tergo patientis me sisto, famuloque clarè impero, ut ambabus manibus inurendum caput ad tempora firmiter teneat, donec bregma invenerim, & atramento notârim. Invento per filum bregmate (ut Fig. III. & IV. docet) inter medium atramenti usum voco ancillam, ipsique clara voce præcipio, ut ignitabulum cum paucis carbonibus, nec adeo vivis, mensæ apponat, inque eo unicum ex ferramentis (*e f i*) moderatè saltem calefaciat. Ancilla hîc dictis meis & famuli prioribus sedulò obtemperans, adque mensam cum ignitabulo suo festino gradu properans clàm mihi porrigit instrumentum (*h*) priùs ipsi à famulo traditum, nunc optimè candens, quo & cannula (*g*) in sacco meo abscondita fonticulum suturæ coronalis, ægro vix animadvertente (putat enim instrumentum ad chirurgiam necessarium nondum esse vel calefactum quidem) conficio, prout Fig. V. docet. Hæc ratio decipiendi patientem in reliquarum quoque partium fonticulis observari potest, ad occultandum ferrum & minuendum ignis timorem.

Fig. VIII. exhibet apparatum valdè necessarium ad vulnera capitis dilatanda & abradendas in cranio rimas, quæ utramque tabulam non penetrant, sex nimirum (*q*) raspatoria, seu scalpra rasoria, quam Tabula VI. ostendit varietatem, scalpellum (*r*) rectum & Tabul. II. Fig. II. delineatum, atramentum (*s*) scriptorium discumque (*t*) cum filamentis redactis in globulos & cerato super linteum extenso.

Fig. IX. ostendit vulnus scalpello recto (*r*) dilatatum in formam crucis (quam multi sine ratione semper prohibent) unguibusque cranium à pericranio liberatum, in quo videre licet rimam satis quidem latam, sed de penetratione adhuc dubiam, quam atramento plerumque scriptorio denigrant, ad explorandum, an penetret?

Fig. X. Rima ob atramentum nigrescens abraditur. Abrasurus autem cranium tenetur caput ægri pulvino suffulcire, labiaque vulneris munire linteolis, eodem modo, quem Fig. VI. Tab. sequentis docet.

Fig. XI. monstrat rimulam, quæ post unam aut alteram cranii læsi derasionem remansit. Hæc rimula vel de novo nigredine infecta abradatur, donec omninò evanescat, vel, omissâ chirurgiâ, naturæ relinquatur, quæ interdum rimulam relictam in squamula ossis (*u*) separare solet.

Fig XII. ostendit rimam cranii omninò abrasam, ita ut os ubique sibi appareat æquale, & ulteriori chirurgia non indigeat.

In vulneribus igitur capitis de læsione cranii suspectis omnia statim extranea removeantur, & caput capillis oleo rosarum priùs humectatis abradatur, studiosè cavendo, ne vel pilus consolidationem impediens, vel oleum ossibus inimicum ingrediatur vulnus, quod deinde dilatetur in crucem, nisi eam prohibeant suturæ aut musculi. Die vulneris dilatationem sequente, instrumenti seu causæ efficientis sedes & rima atramento inficiatur. Tertio mane nigredo contracta scalpris debitè abradatur ad rimulam usque exiguam, quæ, si adhuc est suspecta, iterum atramento inficiatur & abradatur, donec penitùs evanescat. Si Chirurgus autem certus est, rimulam remanen-

 tem

tem non penetrare per ambas cranii laminas, tunc neque dictam infectionem, neque abrasionem ampliùs repetat, sed opus reparationis soli naturæ relinquat.

TABULA VIGESIMA SEPTIMA.

De apparatu & modo vulnera capitis in triangulum dilatandi, cranium Trypano Fabriciano perforandi, caputque periculosè vulneratum fascia, quæ Galeno cancer dicitur, deligandi.

Figura I monstrat apparatum instrumentorum, quibus recentiores vulnera capitis suspecta in triangulum dilatant, craniumque fissum & depressum explorant, perforant & elevant: videlicet (*a*) spatham, trypanum (*bcd*) Fabricianum, instrumentum (*e*) ex scalpro lenticulari & vecte stabilissimo compositum, duo (*fg*) specilla, & (*h*) volsellam.

Fig. II. ostendit apparatum reliquorum, quæ in, ante, & post perforationem cranii requiruntur: nempè vitrum (*i*) aqua rosacea plenum, qua Hieronymus Fabricius imam seu serratam modiolorum partem madefacit, ut ex circumrotatione supercalefacti deferbeant, linteola (*k*) vino rubro imbuta & vulnerum labiis apponenda; linteolum (*l*) ex serico rubrum, rotundum, oleo rosaceo imbutum & filo appensum; globulum (*m*) ex filamentis aridis confectum, quo obturatur foramen modiolis factum, plagulas (*n*) duas pariter siccas cranio denudato adhibendas; globulos (*o*) tres digestivo (*r*) infectos ad digerendum vulnus; unguentum linimenti simplicis linteo (*p*) inductum; splenium quadruplex (*q*) vino rubro expressum, ossiculumque cranii perforati (*s*) rotundum, quod operatione finita, si trypano adhæret, beneficio cujusdam styli ferrei truditur è modiolo fœmina.

Fig. III. est fascia ad detinendum optima, & in utroque extremo quatuor capitibus (*t u x y*) prædita, quam Galenus cancrum vocat.

Fig. IV. ostendit vulnus syncipitis dextræ parti inflictum, quod, quia cranium per utramque tabulam fissum esse videtur, Chirurgus scalpello, spatha vocato, in triangulum dilatat, ut trypanum Fabricianum, si fortè necessarium, tutò posset adhiberi.

Facit sectionem triangularem, quia cruciformem sutura coronalis & dexter temporum musculus prohibet. Triangulum quærit in dextro fissi cranii latere, ut ibi trypanum (quod latus sinistrum propter suturæ coronalis viciniam respuit) citra noxam possit usurpare. Sectionem incipit à fronte, ne fibras musculi temporalis evitandas transversim incidat. Ex his patet, quod sine ratione procedant illi, qui in quibuscunque vulneribus capitis sectionem instituunt cruciformem.

Fig. V. monstrat vulnus in formam trianguli dilatatum, craniumque cum rima penetrante detectum, quod ad rimæ latus, asterisco signatum, trypano perforandum est, ut materiæ supra crassam cerebri membranam delapsæ, sufficiens detur exitus; quamvis enim rima hæc primo intuitu satis magna videatur, nihilominus tamen in secunda cranii tabula tantùm capillaris est, per quam id, quod defluxit sub cranium, expurgari nequit: quare necessum est perforare cranium.

Fig. VI.





TABULA XXVIII
Fig. I.
II.
III.
a.
b.
IV.
V.
VI
VII.
IIX.
IX
G
Jonas Arnold Delineavit:

Fig. VI. docet ipſam τρύπισιν, ſeu modum trypano perforandi cranium. Præparatis enim iis, de quibus Fig. I. II. & III hujus Tabulæ agunt, ſuffultoque capite, Chirurgus labia vulneris munit linteolis, & modiolum marem vertibulo affixum calvariæ loco, qui aſteriſmo ſignatus, adhibet (in loco enim fracturæ trypano uti prohibemur) eoque perforationem rectè incipit, quam fœminis benè finire debet. Hic chirurgiæ tyrones ex re monet Porralius, quum ſecundùm Hippocratis aph. 1. ſect. 1. experientia ſit periculoſa, ut frequenter ſeſe exerceant in perforandis demortuorum craniis, ſupponentes, loco duræ matris, cranio chartam papyraceam.

Fig. VII. oſtendit cranium juxta rimam trypano ſemel perforatum. Fig. VIII. Chirurgus oras facti foraminis aſperas ſcalpro lenticulari ſecurè lævigat.

Fig. IX. *Chirurgus* volſellæ dentibus & lata ſpecilli parte *linteolum (l)* ſericum *duræ matri applicat.* Filo alligat ſericum, ut illud extrahere & extracto novum ſubſtituere poſſit.

Fig. X. monſtrat caput faſcia (Fig. III.) artificiosè deligatum. Medium faſciæ applicetur vertici, ita ut extremitatum inciſarum, quæ aliàs capita vocantur, duæ ad tempora & totidem retro aures utrinque dependeant. Dein primò capita (*t*) à fronte ducantur in occiput, ibique propter rationem (Tab. XXVI. Fig VI.) allatam filo conſuantur; ſecundò capita (*x*) poſt aures ſita ſub mento communiter combinentur; tertiò capita (*y*) ab occipitio in frontem ducta colligentur: & quartò capita (*u*) in temporibus poſita, ut priora, ſub mento connectantur.

Fiat autem illa capitum connexio mediocris, ut applicita vulneri citra noxam contineat: laxior enim ligatura nihil contineret, ſtrictior verò multum capiti noceret.

TABVLA VIGESIMA OCTAVA.

De tuta ratione duram matrem deprimendi, puncturas cranii delendi, calvariam vel absque rima, vel ad latus anguſta, depreſſam elevandi, foraminumque duorum interſtitium ſerrulis excidendi.

F*ig. I.* Chirurgus inſtrumento decuſſorio duram matrem deprimit, ut materia ſub cranio collecta, ad foramen trypano factum pergat, & vel ſponte quærat exitum, vel goſſipio poſſit imbibi. Hæc autem operatio tunc ſaltem videtur neceſſaria, quum patiens delirat: conſtans enim mente facillimè procurat materiæ exitum, retinendo expirationem ore & naribus clauſis.

Figura II. oſtendit cranium à Chirurgo artificiosè detectum, & citra rimam conſpicuam depreſſum: dico conſpicuam, quia nonnunquam externa cranii lamina eſt integra, interna verò fiſſuram patitur.

Fig III. Chirurgus cranium ſimpliciter & citra rimam depreſſum acutiſſima terebræ triformis parte, in medio depreſſionis ferè ad diploidem perforat, ut terebra triploidis inſtrumenti id, quod eſt depreſſum, facilè poſſit elevari. Nota, quando caput punctim

punctim vulneratur, chirurgus poſt vulneris aut cruciformem aut triangularem dilatationem puncturam cranii dubiam (penetrans enim trypanum expoſcit) delere tentet terebra triformi: Tentaturus autem primò adhibeat terebræ triformis partem (*a*) triangularem, ſecundò rotundam (*b*) & tertiò acutiſſimam (*c*).

Fig IV. Chirurgus foramini, quod in medio ſimplicis depreſſionis terebra triformi paravit, triploidis terebram infigit, cau è circumvolvendo ſuperiorem cochleam (*i*) quæ inferiora verſus eſt immobilis, ne terebra ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat. Quod ſi terebra internæ cranii laminæ firmiter inhæret, Chirurgus os depreſſum perpẽdiculariter attollat, circumvolvendo inferiorem cochleam, quæ ſurſum & deorſum eſt mobilis (*k*) donec cranium fiat æquale. Elevata depreſſione quæritur, quomodo triploidis terebra cranio firmiter inhærens ſit eximenda? Removeantur primò ambæ cochleæ, (*i k*) ſecundò tripes (*d e f* Tabul. III. Fig. III.) tertiò ſtylus (*P.* ibidem) quibus remotis & clavo (*l.* ibidem) in foramen tenebræ (*o* ibidem) indito terebra in contrariam partem (ſi prius verſus dextram, nunc verſus ſiniſtram) circumvolvenda, & communi modo extrahenda eſt.

Fig. V. oſtendit cranium detectum, depreſſum & ad latus depreſſionis fiſſum, quod ob rimæ anguſtiam nullum adhuc vectem admittit.

Fig. VI. monſtrat idem cranium fiſſum & depreſſum, quod ad rimæ latus duo habet foramina, quorum interſtitium convenienti inſtrumento excidendum. Tali autem rima in medio depreſſionis exiſtente dicta foramina ad depreſſionis terminos propè rimam fieri debent, ut in Figura ſigno ☿ notata videre licet.

Fig. VII. Chirurgus interſtitium utriusque foraminis ſerrula (*f*) ſimplici ſeparat, qua & ego ſum uſus, ſequenti nondum inſtructus.

Fig. VIII. Chirurgus idem interſtitium excidere tentat ſerrula mea, quam ſuprà (Tabula quinta) verſatilem nuncupavi.

Fig. IX. monſtrat duo foramina rotunda, ſerrulis antecedentibus in unum ſatis longum & latum conciſa, ut vel oſſi depreſſo idoneum elevatorium facilè ſubmitti, vel oſſiculum meninges lædens tutò extrahi, vel ſauciatæ cerebri membranæ meliùs tractari poſſint.

TABULA VIGESIMA NONA.


De modo cranium depreſſum vectibus variis elevandi, oſſicula cerebri membranas latentia ſingularibus forcipibus abrumpendi, vulneribusque capitis medendi.

F*igura I.* Chirurgus oſſi depreſſo per foramen (trypano & ſerrulis in præcedentis Tab. Fig. IX. factum) vectem ſubmittit ſimpliciſſimo validiorem, & illud elevat.

Fig. II. Chirurgus idem tentat in eadem depreſſione inſtrumento, quod ſuprà Tab. III. Fig. IV. elevatorium Paræi vocavimus.

Fig. III. Chirurgus eandem cranii depreſſionem ſubvehit inſtrumenti triploidis vecte, qui, circumvolutâ inferiore cochleâ, perpendiculariter attollit.

De-



Depressionibus enim cranii vel jungitur rima, vel non. Si nulla, os depressum elevetur sola triploidis terebra Tabul. præcedent. Fig. IV. Si aliqua, illa vel in medio, vel ad latus depressionis apparet, eaque aut lata, aut angusta. Lata vectibus ad elevandum idoneis mox locum concedit. Angusta verò, quia nullum vectis genus admittit, prius beneficio trypani & serrulæ dilatanda est, ut per ipsam cranio depresso commodus vectis submitti possit. Vid. Tab. præced. Fig. V. VI. VII. VIII. & IX.

Fig. IV. rostro psittaceo, Fig. V. rostro vulturino, & Fig. VI. iterum rostro psittaceo abscinduntur partim, partimque abrumpuntur ossicula cranii, quæ membranas cerebri vel pungunt, vel deprimunt.

Fig. VII. ossiculo forcipibus abscindendo submittitur instrumentum, membranæ custos dictum, ne illorum acumine lædantur membranæ cerebrum involventes.

Fig. VIII. ossiculum cranii acutum magno abscinditur forcipe, qui superioribus, si deficiunt, tutissimè substituitur, Meningophylace priùs submisso.

Fig. IX. separatur ossiculum cranii modo veterum, quem recentiores Chirurgi meritò rejiciunt, quia scalper & malleus cerebrum nimis commovent.

Fig. X. monstrat vulnus capitis cum læsione cranii, quam dedolationem vocant. Ut autem Operationes chirurgicas, quas in Tabulis quatuor antecedentibus monstravi, tyrones meliùs intelligant, morbos solutæ unitatis in cranio, membranis & ipso cerebro breviter perstringam, eorumque curandi rationem XXII. Paragraphis tradam.

I.

De vulnere capitis simplicissimo.

VUlnus capitis ex sola & simplici cutis incisione ad pericranium, absque hujus detrimento, deductum, omnique symptomate destitutum, vel unitur, unitumque conservatur aut sutura, aut medicamentis agglutinantibus; vel carne de novo genita impletur. Posterior curandi modus priori tutior videtur, quoniam cute per integrum incisâ ferè impossibile est, quin ob contiguitatem etiam pericranium lædatur.

I I.

De vulnere capitis cum læsione pericranii.

VUlnus capitis cum solius pericranii læsione, tuto non agglutinatur, quia saniе, quam labia vulneris adducta retinent, pericranium potest inflammari, os putrefieri, & inflammatio duræ matri facilè communicari. Non consuitur tuto ob tres causas, quas Hieronym. Fabricius ab Aquap. l. 2. Pentateuch. c. 16. adducit. Superest igitur, ut tale vulnus per generationem carnis curetur. Quare Chirurgus primâ læsionis horâ ad vulneratum ex solius pericranii incisione vocatus, statim capillos in aream abradat, vulnusque plagulis ex stupa cannabina confectis, & albumine ovorum agitato imbutis impleat, ad vulneris labia diducenda, & sanguinis fluxum comprimendum; partes etiam vicinas, ad præcavendam inflammationem, oleis refrigerantibus & adstringentibus,

 modicè

modicè tamen calefactis inungat, fasciamque (Tabul. xxvii. Fig. x.) convenientem cum cerato & linteo triplici (ne vel partes læsæ ab aëris frigore, quod vulneribus capitis inprimis est adversum, magis lædantur, vel medicamenta vulneri apposita decidant) adhibeat. Secunda die Chirurgus stupam cannabinam omniaque extranea lentè removeat, & vulnus, consistente sanguine, filamentis carptis in plagulas formatis, & digestivo quodam illitis tractet, applicando desuper ceratum diapalmæ, linimento simplici obductum, & splenium ex linteo triplex, & fasciam; partesque vicinas inungendo oleis prædictis. Hunc procedendi modum diligenter observet, donec vulnus generat pus bonum, quod est album æquale & minimè fœtidum. Pure bono ac laudabili apparente ad mundificandum vulnus digestivo detergens substituat, vel eidem quotidie aliquid detergentis immisceat continuando dictum cerati, triplicis splenii & fasciæ usum, nec non partium vicinarum inunctiones, donec vulnus appareat mundum. Vulnere à sordibus deterso carnis generationi studeat, apponendo vulneri aliquod unguentum sarcoticum (non oleum rosarum, quo quidam imperiti barbitonsores utuntur) desuper verò ceratum diapalmæ simplex, splenium vel in vino rubro vel albo (in quo cephalica moderatè adstringentia fuerint decocta) expressum, & fasciam, quibus omnibus utatur usque ad perfectam carnis generationem. Vulnus carne repletum cicatrice obducat, aut filamentis aridis, aut cerato divino.

Hoc curandi modo tutissimo pariter ac certissimo, præmissis tamen universalibus, & bono regimine sex rerum nonnaturalium benè observato, citra jactantiam ferè innumeros felicissimè restitui, è quorum ordine adhuc superstites sunt, primò *Joan. Petrus Wits* Ulmensis, secundò *Joann. Rudolphus Straus* à Kafenburg, generosi Comitis à Walenstein Oeconomus: tertiò *Melchior Frick*, politor lini Ulmensis, quartò *Joann Bucher*, rusticus Achstettensis, & quintò *Erhardus Vilsecker*, Bambergensis, Generosi Domini Præfecti N. Sals Oeconomus, qui omnes intra annum millesimum, sexcentesimum, quadragesimum tertium & quintum periculosa pericranii vulnera sunt perpessi.

III.

De vulnere capitis cum instrumenti sede & superficiali cranii alteratione.

VUlnus capitis cum instrumenti sede (quæ nihil aliud est, quàm causæ instrumentalis apparens in cranio vestigium) si fuerit angustum, statim requirit sui dilatationem, quæ scalpello fit, sedis abrasionem, quæ scalpris peragitur, curamque per carnis generationem, quam adjuvant medicamenta idonea, de quibus infrà. Quando cranium nudatum ab aëre ambiente alteratur, si per duas tantùm horas ei exponatur, vel etiam nigrescit diutius ei expositum, illud Chirurgus non statim, sed tunc demum, vel ad mutationem coloris, vel donec sanguis ex eo dimanet, scalpris undique abradat, cùm natura generat pus bonum, & vulnus detersum apparet. Hoc tempus qui benè observat, is os semel derasum, pulveribus cephalicis conspersum & filamentis aridis

tracta-

tractatum altera post derasionem die inveniet optima carne tectum. Non enim audiendus est Jacobus Beringarus, Carpensis, qui libr. de fractur. cranii c. 42. præcipit, os superficialiter alteratum aut nigrescens singulis diebus scalpro abradere: quoniam unica derasio tempestiva est sufficiens, ante tempus verò prædictum frustrà instituitur, & sæpiùs repeti debet non sine patientis periculo; hac enim ratione raspatorium paulatim ferè ad diploidem seu intimam cranii laminam deveniret. Timidiores Chirurgi remotionem ossis alterati & nigrescentis citra quidem periculum, naturæ desquamanti relinquunt, sed curationem protrahunt.

IV.

Vulnus capitis cum rima ossis capillari non penetrante.

QUod si Medicus ἐγχειρητικὸς, aut Chirurgus prudens ad curandum capitis vulnus, in quo denudatum est os, vocatus fuerit, mox capillos oleo rosarum humectatos in aream abradat, & in cranii statum diligentissimè inquirat vel stylo exploratorio, vel oculo, vel utrisque simul, & si rimam invenerit, aut ex præteritis & præsentibus symptomatis aliquam fracturæ suspicionem habuerit, statim vulnus contra vulgarem barbitonsorum consuetudinem scalpello vel in crucem (Tabul. xxvi. Fig. ix) vel in formam trianguli (Tabul. xxvii. Fig. iv.) dilatet, & pericranium unguibus ab osse diducat, ut operationes scalpris (Tabul. xxvi. Fig. x.) & trypano (Tabul. xxvii. Fig. vi.) peragendas tutò & citra partium sensibilium læsionem perficere possit. Si tamen dicta cranii derasio & perforatio absque cruenta vulneris dilatatione institui poterit, Chirurgus à sectione nova planè abstineat. Vulnere artificiosè dilatato, ossi denudato filamenta sicca opponat, vulnusque reliquum globulis ex stupa cannabina confectis, albumine ovorum benè agitato imbutis, & pulvere stegnotico aspersis impleat, ut sanguinis fluxus comprimatur, & labia vulneris usque in proximam diem disjuncta maneant. Desuper applicet linimentum simplex (quod parvo inducitur linteo, ut tantùm vulneris labia comprehendat) & cataplasma Hippocratis cum Galeni ligatura (Tabul xxvii. Fig. x.) decenti, partiumque vicinarum oleis adstringentibus inunctione ad detinenda medicamenta & præcavendam inflammationem. Altero die, remotâ stupâ, consistente sanguine & expurgato ab omnibus extraneis vulnere, super solam rimam penna ducat atramentum, cranium filamentis aridis contegat, vulnus filamentis digestivo quodam imbutis tractet, & desuper applicet linimentum simplex, cataplasma Hippocratis, & fasciam Galeni, partesque vicinas diligenter inungat. Tertia visitatione, religato vulnere, auribus ægri, juxta quosdam, lanâ oppilatis, ejusque capite super pulvinum benè collocato, & quasi suffulto (Tabul. xxvii. Figuræ omnes) Chirurgus rimam, quæ atramentum scriptorium, aut fuliginem typographorum (quod Julius Cæsar Arantius Commentario in Hippocratis libr. de vulneribus. cap. scriptorio ob calcantum mordaci præfert) absorpsit, scalpris rasoriis abradat (Tabul. xxvi. Fig. x.) secundùm

longitu-

longitudinem à latiori ſcalpro incipiendo, ac per gradus ad ſtrictius, inde ad anguſtius procedendo, donec rima penitùs abolita ſit, & ſub ea album os & æquale appareat, quod certiſſimum & demonſtrativum quaſi ſignum eſt, rimam deraſam non penetraſſe. Inter radendum ſæpiùs ſcabem detrahat à ſcalpris, & caveat, ne iis cutem aut pericranium lædat, quod facilè evitabit, ſi caput patientis ſub operatione quietum perſtiterit, vulnerisque labia linteolis parvis (veluti Tabul. xxvii. Fig. vi.) undique munita fuerint. Alii ſcalpra ſua ſæpiùs oleo inungunt, quo faciliùs currant: at, quoniam hujusmodi inunctio ſcalprorum aciem retundit, illa mutare ſoleo. Oſſi decenter & ſufficienter deraſo filamenta tantùm arida apponat (cranio enim nudato ſemper conveniunt ſicca, non digeſtivum, nec unguentum aut pingue quicquam) labiis verò filamenta digeſtivo illita admoveat, deſuper linimentum ſimplex, cataplaſma Hippocratis & faſciam Galeni, non omiſsâ ſolitâ partium vicinarum inunctione. Apparente pure laudabili, unguento digeſtivo tamdiu aliquod detergens immiſceat, donec vulnus omninò purum evadat. Dein oſſi deraſo pulveres cephalicos inſpergat, eidem filamenta arida apponat, & labiis adhibeat unguentum ſarcoticum, deſuper ceratum diapalmæ, linteum triplex in vino cephalico expreſſum, & cancri ligaturam, omiſſis oleis, quibus antehac partes vulneri vicinas quotidie inunxit. Vulnus carne repletum, epuloticis cicatrizandum. Hoc modo feliciſſimè curavi prædictum Dominum Johannem Rudolphum Straus à Kafenburg & Caſparum Wirth, molitorem in Xenodochio Ulmenſi, qui rimam non penetrantem circa ſuturam coronalem paſſi ſunt.

V.

Vulnus capitis cum rima oſſis capillari penetrante.

CUm autem Chirurgus, dum tentativè ſcalpris operatur, invenerit rimam, quæ ſecundam quoque laminam penetrat, eam ſcalpris (quoniam tunc ſcalpra membranas cerebri facilè poſſunt offendere) nequaquam delere tentet, ſed relictâ omni Chirurgiâ medicamentis procedat exiccantibus, quibus ſolis ægrotantes ſæpiſſimè curantur: nec enim, ſi maturè inſtituitur deraſio, timendum eſt, quin natura reſolvat eam materiam, quæ procul dubio per rimulam in parva quantitate ad duram matrem deſcendit: neque etiam dicta cerebri membrana, poſt cranii deraſionem aliquid per rimulam in ſecunda lamina remanentem denuò recipit, quoniam excrementa vulneris ad defluxionem apta, filamentis quotidiè aridis exiccantur. Os ſcalpris deraſum & exiccantibus tractatum quandoque ſquamam ſeparat, ut data via, pro materiæ ſub cranio collectæ exitu, ſatis pateat. Hanc ſeparationem obſervavi in Georgio Sturzel, qui anno 1639 in dextro ſyncipite rimam quidem capillarem, ſed quæ utramque penetravit laminam, perpeſſus, & poſt deraſionem rimæ ad internam uſque laminam ſpontaneâ oſſis deſquamatione feliciſſimè curatus fuit in Noſocomio patrio. Quod ſi rimam in ſecunda lamina inventam gravia comitentur ſymptomata, quæ copioſæ materiæ inter cranium & duram matrem collectionem arguunt, Chirurgus, remotis ſcalpris, cranium incunctanter trypano (Tabul. xxvii. Figur. vi.) perforet, juxta Hipp.

Hipp. text. 22. de vulneribus capitis: poſtquam os ſcalpro deraſeris, ſi tibi ſectionem exigere videtur, ſecare debes, neque pati, ut res tertium diem excedat, priusquam ſeces, ſed intra id ſpatium ſecabis.

V I.

Vulnus capitis cum rima cranii anguſta penetrante.

QUando Chirurgus exictus magnitudine, inſtrumentorum qualitate & ſupervenientium ſymptomatum gravitate certus eſt fiſſuram penetrare, tunc magna ſanè diligentia exploret, ſecumque conſideret, an rima pro evacuatione materiæ, quæ ad duram matrem defluxit, ſit ſatis lata, nec ne? Rima, quæ ſatis hiat, nulla indiget operatione; anguſtior verò ſtatim trypanum expoſcit. In hoc caſu Chirurgus, ut ſtolidos vulgi ſermones evitet, adſtantibus prædicat periculum, in quo vita patientis verſatur: latiores enim cranii rimæ minus ſunt periculoſæ, quàm anguſtiores, quæ materiæ ſub cranium delapſæ exitum prohibent.

Deinde mox vulnus ad perforandam calvariam nimis anguſtam ſcalpello in formam crucis aut trianguli (quam ſcilicet locus affectus permittit) dilatet, labia vulneris diducat, pericranium digitis ab oſſe ſeparet, oſſique nudato filamenta ſicca, labiis verò ſtegnotico quodam imbuta apponat, in reliquis procedens, velut in paragrapho ſecundo de curatione vulneris cum læſione pericranii dictum.

Secunda vel ad ſummum tertia die (præſertim quando duram matrem acutum pungit oſſiculum) poſt læſionem Chirurgus cranium, dum vires ægri adhuc conſtant, modiolis perforet: poſt triduum enim & quamdiu adeſt aut imminet inflammatio, modiolorum uſus eſt periculoſus; nec audiendi ſunt, qui juxta ſententiam Pauli l. 6. c. 90. æſtate diem ſeptimam, & hyeme decimam quartam expectant, quoniam perforatio eo tempore inſtituta ſerum præbet auxilium, vires enim tunc debiles ſunt, & ſuſpicari licet, cerebri panniculos à materia delapſa jam eſſe infectos. Quare Chirurgus in principio vocatus acceleret (fugiendo ſaltem, juxta quosdam Aſtrologiæ interdum fallaci nimis addictos, plenilunium, quo cerebrum augmentatur, & cranio ita appropinquet, ut Chirurgus modiolis ἀμωτίστοις non inſtructus, vel illud vel piam aut duram matrem facilè poſſit lædere) operationem, maximè verò cùm oſſicula vel deprimunt cerebrum; vel pungunt ejus membranas: quia tunc citiſſimè ſequuntur apoſtemata & occidentia mala, ut monet Guido de Cauliaco Tractat. 3. doctrin. 2. capitulo 1. de vulneribus capitis. Remotis igitur è vulnere removendis, capite per miniſtri manus & pulvinum immobile reddito, labiisque plagæ per linteola artificiosè contectis (Tabul. xxvii. Fig. vi.) ne ab inſtrumentorum contactu offendantur, cranium in loco decliviore (niſi hunc prohibeat aliqua ſutura, quæ certis de cauſis, quantum fieri poterit, fugienda eſt) prope rimam trypano perforet, ut materia ſupra duram matrem collecta faciliorem habeat exitum: foramen enim materiæ dat exitum, quem locus declivior facilitat. Primò autem adhibeat cranio modiolum

diolum marem, quem fortiter & æqualiter circumvolvat, donec oſſi tale veſtigium impreſſerit, ut in eo modiolus fœmina firmiter & citra vacillationem circumduci poſſit. Dein remoto mare, trypani vertibulo modiolum fœminam adaptet, eumque ut maſculum, donec ad laminam internam, ſeu vitream devenerit, circumvolvat, & per intervalla commutet (ne modiolus diu circumductus nimium incaleſcat) quia modiolorum immerſionem in oleo antiquam recentiores meritò reprehendunt, eò quòd oleoſa oſſibus inimica ſint, & aciem inſtrumentorum obtundant. Chirurgus ad vitream perveniens, non tantùm cautius & mitius trypanum comprimat, verùm etiam ſæpius removeat, ad conjectandum, quantum oſſis perforandi adhuc ſuperſit. Nec imitetur Glandorpium, qui perforando pergit, donec exciſa pars cranii trypano adhæreat: ſed ſi oſſiculum ferè exciſum vacillare incipit, vecte omnium minimo & debiliſſimo (Tab. II. Fig. VII.) inter os vacillans & firmum immiſſo illud hinc inde moveat, & volſellæ dentibus extrahat. Nota, quòd operatio propter ſanguinem ex pumicoſa cranii ſubſtantia ſeu meditullio promanantem differenda non ſit, ſed cautè acceleranda: ſanguis enim poſt perforationem & oſſiculi detractionem ſupra meninges delapſus goſſipio, ſpecilli cochleæ circumvoluto, leniter abſtergendus, foramenque modiolis factum globulo ex filamentis aridis parato obſtruendum, & fluxus iſte ſtatim ceſſabit. Finitâ perforatione & ſanguine firmiter ſubſiſtente, oras foraminis aſperas inſtrumento lenticulari (Tabul. XXVII. Fig. VIII.) læviget. Si unum foramen modiolo paratum non ſufficit, & alterum erit faciendum, ut ex Hiſtoria Happelii, Hebichii & Schneideri infrà patebit.

His ritè peractis ſupra membranam duram linteolum vel ex ſerico rubrum, vel ex lino album, inſtar orbis rotundum, filo alligatum, oleoque roſarum completo & calefacto immerſum (Tab. XXVII. Fig. IX.) demittendum eſt, ut materiam ſub cranium delapſam in pus convertat, & membranas mobiles ab alliſione defendat. Linteolo immiſſo, foramini globulus ex filamentis aridis indendus, ne pus in vulnere genitum ad membranam cerebri defluat; oſſi detecto filamenta ſicca, labiis digeſtivo quodam illita ſunt adhibenda, deſuper linimentum ſimplex (perforatum, ne pus includat) cataplaſma Hippocratis & faſcia Galeni, cum inunctione partium vulneri vicinarum repellente, ad arcendam inflammationem. Hic medendi modus ſtrictè obſervandus, donec periculum inflammationis deſierit, & admonendus æger quotidie, ut religato vulnere ipſus procuret exitum materiæ ſub cranio collectæ, retinendo expirationem, ore & naribus clauſis. Apparente pure laudabili, ſupra membranam cerebri craſſam, loco olei roſati mel roſatum colatum demittendum cum ſuo linteolo, oſſi filamenta ſicca, & labiis digeſtivo quodam detergente imbuta apponenda ſunt. Externè continuandus eſt uſus linimenti ſimplicis, cataplaſmatis Hippocratici, faſciæ Galenicæ & oleorum adſtringentium. Si vulnus & membrana cerebri à ſordibus purulentis deterſa conſpiciuntur, foramen, omiſſo linteolo melleque roſaceo, filamentis aridis in globulum formatis benè obturandum, cranium ab aëre alteratum (ſive ſcalpris jam deraſum, ſive naturæ negotio relictum) pulvere cephalico conſpergendum, filamen-

tisque

tisque ſiccis contegendum; labia autem vulneris tractanda ſunt filamentis unguento ſarcotico delibutis, atque deſuper apponendum eſt ceratum diapalmæ, linteum triplex in vino decoctionis cephalicæ vel rubro expreſſum, & conveniens faſcia, donec os carne ſolida tectum eaque vulnus repletum fuerit. Tandem vulneri cicatrix epuloticis inducenda. Hanc medendi rationem expertus eſt optimam Georgius Seiz, ruſticus Idelhuſanus, de quo infrà ſingul. obſervatio.

VII.

Vulnus capitis cum rima cranii lata penetrante.

SI rima cranii penetrans ſatis lata eſt, ut per eam pus liberè poſſit expurgari, neque perforatio cranii, neque dilatatio vulneris violenta, quæ ſcalpello fit, locum habet. Unde animadverſione & reprehenſione dignos rectè judicat Chalmetæus l. 2. enchir. Chir. c. 14. qui non tantùm in parva cranii fiſſura (tametſi non penetrat) ſed etiam in magna, quæ ſatis hiat, audacter trypanum adhibent; quo errore non mediocri curatio in longiſſimum tempus protrahitur, cum ſummo ægrotantis damno & famæ Medici naufragio: quæ incommoda an ignorantiæ, an avaritiæ medentium adſcribi debeant, anceps hæreo. Idem exiſtimo judicandum de quodcunque vulnus capitis ſcalpello dilatantibus, cùm tamen ſectio unicè inſtituatur, quando cranium vel trypano perforandum, vel ſcalpris abradendum, haud ſatis eſt detectum. Cùm igitur vulnus capitis cum fiſſura magna ſcalpellum & trypanum rejiciat, quid Chirurgo cordato & prudenti in caſu ſimili faciendum erit? ſequatur ſtrictè curationem, quam paragrapho ſexto poſt trypani uſum propoſui, & ſupra membranam craſſam demittat linteolum oblongum, magnitudini & longitudini fracturæ reſpondens, filo alligatum & oleo roſaceo imbutum, &c. Hunc curandi proceſſum extollet adhuc ſuperſtes Joannes Anwander, Retiarius Kürchdorfenſis, in cujus ſiniſtro ſyncipitis latere Anno 1633. Menſe Januario fracturam inveni tam latam, ut ei digitum indicem, ſeu majori proximum facillimè imponere potuiſſem. Huic fracturæ ingens duræ matris phlegmone jungebatur, quæ tamen, præmiſſis univerſalibus, ex olei roſati linteolo ſerico tepidè admoti, & Hippocratici cataplaſmatis diligentiſſimo uſu poſt triduum evanuit.

VIII.

Vulnus capitis cum læſione duræ matris.

SUpra vulnus duræ matris, cùm fractura cranii ſatis hiat, demittendum pariter eſt linteolum ſericum, oblongum, filo alligatum, & oleo roſaceo imbutum: apparente verò pure laudabili, linteolum loco olei melle roſaceo illinendum eſt, ad detergendum membranæ vulnus, quod deterſum ſatis unguento de betonica liquefacto, & per foramen tepidè infuſo incarnandum. Cæterùm os & vulnus externè tractandum, ſicut paragrapho VII. docui. Cùm verò fractura fuerit adeò anguſta, ut craſſæ cerebri membranæ, quæ vulnus patitur, topica applicari nequeant; vulnus externum ſcalpello ritè

dila

dilatandum, calvaria trypano perforanda, omniaque diligenter observanda, quæ supra paragrapho VI. tradidi.

I X.

Vulnus capitis cum læsione piæ matris & substantiæ cerebri.

CUm vulnera piæ matri vix infligantur absque offensione sibi subjecti cerebri, abstinendum est ab omnibus oleosis & pinguibus medicamentis, propter quæ substantia cerebri facilè putrescit. Quidam mel quoque rosaceum ob suam acrimoniam & calorem rejiciunt, ipsique syrupum ex rosis paratum substituunt.

In his tamen vulneribus & melle & syrupo rosarum sæpiùs feliciter & nunquam cum noxa aliqua usus sum. Præ reliquis tamen remediis non satis laudare possum illud unguentum, quod Hieronymus Fabricius ab Aquapendente l. 2. Pentateuch. Chirurgic. c. 20. descripsit, & felici successu adhibuit; hujus & ego virtutem expertus sum in Michaële Schneider, de quo infrà singularis observatio. Vulneri & fracturæ cranii prospiciendum, sicut in Paragrapho VIII. præcepi.

X.

Vulnus musculi temporalis superficiale.

JUxta nonnullos in tali casu statim sanguis sistendus, stupâ albumine ovi imbutâ, & pulvere adstringente Galeni conspersâ. Altero die ablatâ stupâ vulneris labia ad mutuum contactum manu adducenda sunt, adductaque linteolis cerato diapalmæ obductis & in crucem applicitis conservanda; partes præterea circa vulnus inungendæ sunt oleo rosarum ad arcendam inflammationem: supra linteola verò emplastica ne decidant, vel linimentum simplex, vel album coctum (habent enim hæc duo facultatem reprimendi) cum fascia idonea adhibendum. Ego tamen vulnera temporum superficialia ne semel quidem per primam & modò dictam intentionem, sed sæpiùs per secundam felicissimè curavi, digerendo vulnus, detergendo, incarnando & cicatrizando.

X I.

Vulnus musculi temporalis cum læsione vasorum & pericranii.

VUlnerum capitis periculosissima sunt, quæ musculi temporales patiuntur, ob pericranium, quo velantur externa sui parte; in interna enim nudi sunt musculi, & nudo immediatè accumbunt ossi. Unde probè observandum, si pericranium (quod à crassa cerebri membrana ortum ducit, & per suturas cranii ad exteriora tendens supra dictos musculos vehitur, eosque quasi involvit) vel leviter saltem inflammabitur, trahere statim in consensum, non tantùm duram, sed etiam ob viciniam, matrem piam, ipsique subjectum cerebrum. Periculosa quoque sunt temporalium musculorum vulnera propter magnum sanguinis profluvium ex arteriis incisis, quod selectissima nonnunquam

nunquam vix sistunt stegnotica. In simili casu nihil præstantius inveni emplastro Galeni (cujus encomium videatur apud Zacutum Lusitanum prax. medic. admirand. l. 1. observat. 85.) ex aloe, thure, pilis leporinis exactissimè trituratis, & ovi candido permixtis, quo vulnus impletur ad obturandas arterias. Quodsi hoc pretiosissimo remedio sanguinis profluvium non supprimeretur, aut ob furorem, aut ob crapulam, aut ob utrumque valdè ebullientis, optimo successu exhibentur grana quatuor spernioli compositi Crollii, nec non circa collum applicatur emplastrum (cujus mentionem facit, præter alios Joannes Jonstonus in suæ Ideæ Medicinæ l. 8. tit. 6. c. 2. de hæmorrhagia narium) ex argilla farnacea & aceto rosarum acerrimo compositum, fasciæ quatuor digitos transversos latæ inductum, &, quotiescunque exiccatur, renovatum, donec sanguinis fluxus consistat. Consistit autem sæpè post horam dimidiam, vel etiam citiùs, mirabiliter. Hæc tria remedia hîc obiter annotare placuit, quoniam non tantùm in sistendo temporum sanguinis fluxu miram vim exerunt, verùm etiam deploratam narium & gingivarum hæmorrhagiam, quæ extractiones dentium violentas sequitur, infallibiliter compescunt, ut testabitur hodie ex multis Johann Jacobus Mayer/ Ulmensis textor, Gallus Braitinger/ rusticus & caupo Dornastettensis, & Dominus Martinus Hotz/ Ulmæ Bractearius, cui postremo nuper quidam circumforaneus ex maxilla superiori tam violenter evulsit dentem molarem, ut huic magna maxillæ portio adhæreret, & laceratis gingivæ vasis ferè incompescibilem hæmorrhagiam excitaret; pulvis spernioli ore assumptus cum aqua conveniente sanguinis ebullitionem refrenat. Emplastrum Galeni vulneribus appositum vasorum incisiones conglutinat, & illud Jonstoni medicamen collo applicitum sanguinis fluxum ad caput intercipit, cujus virtus evidenter crescit, si ipsi parum albuminis ovi additur. Vulnus temporum, quod nulla læsio cranii comitatur, sanguine consistente per primam intentionem, ut præcipit Vesalius, minimè curandum est, sed ut reliqua capitis profundiora carne implendum & cicatrice obducendum. Interea tamen summoperè cavendum, ne tali vulneri superveniat phlegmone, quam diligens cataplasmatis Hippocratici usus arcet facilè & curat.

XII.

Vulnus musculi temporalis profundum cum rima cranii satis patente.

CUm autem cranium sub musculi temporalis vulnere rimam conceperit, non convenit statim carnem producere, sed priùs rimæ quantitas expendenda, an sit satis lata vel angusta? si enim rima satis hiat, ut materia ad duram matrem delapsa sufficienter possit repugnari, tunc neque scalpello vulnus dilatandum, neque scalpris rima abradenda, neque trypano cranium ad rimæ latus perforandum; quia dictæ Operationes chirurgicæ in fracturis cranii magnis & satis patentibus ut supervacaneæ reprobantur ob rationes paragrapho VII. allatas. Quid igitur Chirurgo incumbit? Responsum dabit paragraphus modò allegatus.

XIII.

Vulnus musculi temporalis profundum cum rima cranii angusta.

CUm rima cranii sub musculi temporalis vulnere est angusta, considerandum est, an vulnus sit magnum vel parvum? Magnum sola stupa conservetur apertum. Parvum verò, si possibile, dilatetur globulis ex spongia compressa paratis, sin minus, scalpello amplificetur, ita tamen, ne musculi fibræ & vasa transversim incidantur. Si igitur in temporibus tale vulnus curandum saltem, ne dicam scalpello dilatandum, occurrit, Chirurgus ante ἐγχείρησιν ab adstantibus concessam prædicat musculi vulnerati inflammationem & oppositi convulsionem: deinde vulnus juxta seriem fibrarum musculi incidat, ne prædicta, si fortè post sectionem supervenerint, suæ vulneris dilatationi possint adscribi. Hæc prognosis in Germania præsertim (ubi Operationes chirurgicæ non sunt adeò consuetæ, sicut in Italia & Gallia) diligentissimè observanda. Vulnere itaque musculi temporalis cum rima cranii angusta, vel per se magno existente, vel per scalpellum juxta fibrarum ductus dilatato, Chirurgus carnem musculosam ab osse temporum digitis separet, dein curando procedat, ut suprà paragrapho quarto, quinto & sexto docui de vulneribus cum rima angusta.

XIV.

Contusio capitis sine laceratione cutis, citra introcessionem cranii, & absque suspicione alicujus fracturæ.

TAlis contusio mirabili successu curatur pellibus recèns mactatorum animalium, præsertim verò canis vel muris: illæ enim, dum adhuc calent, loco contuso adhibitæ, & per viginti aut plures horas ibidem relictæ tumorem egregiè discutiunt. Contusio sub prima pelle si in totum non resolvitur, ipsi altera est admovenda. Cùm autem non cujusvis sit canem excoriare & mures difficulter capiantur, ego semper elegi pellem agninam, quæ omnibus ferè horis potest adquiri, & reliquis parem digerendi facultatem habet. Hoc unico & expertissimo (nunquam enim me fefellit) remedio præter multos pueros & adultos Ulmæ curavi puellam cujusdam fabri lignarii, cui quarto suæ ætatis anno ob casum ab alto magnus supra bregma tumor exortus est, quem Medicus quidam novaculâ aperuisset, nisi adjunctus ipsi dissuasissem ex Hippocr. sect. 8. aph. 7. quo implicitè docet, nullum affectum requirere chirurgiam, nisi prius medicamenta ipsi incassum fuerint applicata. Cùm igitur symptomata sectionem urgentia abfuissent, nullumque adhuc remedium externè applicitum Medicus, omissâ sectione, meum consilium secutus, tumori pellem agninam apposuit, ejusque miram efficaciam (*non solùm in hac puella, verùm etiam posthac* *in adultis non rarò*) expertus, mihi sæpissimè maximas retulit gratias. Quare adhortor Chirurgiæ tyrones, ut nunquam tumores ex contusione ortos, vel alios scalpello aperiant, eos nisi topicis rebelles invenerint.

XV.

Depressio cranii simplex sub integra cute in pueris.

CRanium sub integro corio ob contusiones patitur nonnunquam depressionem absque rima simplicem, interdum fissuram solam, quandoque fissuram & depressionem simul. Depressio cranii citra fracturam in solis contingit pueris: rima verò tam simplex, quàm cum introcessione conjuncta in adultis sæpissimè evenit. Cranium in pueris sub integra cute & citra divisionem ossis ita depressum, ut vel intuentibus vel tangentibus fovea tantùm mediocris (*quam scilicet nulla prava sequuntur symptomata*) appareat, Ambros. Paræus *l. 9. c. 5* cucurbita communi in suum situm naturalem optimè reducit. Ingeniosissimus Guilhelmus Fabricius Hildanus *cent. 2. observ. 5.* in eundem finem excogitavit duo præsidia, cucurbitam nimirum corneam & singulare emplastrum, quibus nihil conferentibus ad sectionem cutis integræ & elevationem ossis depressi per suam quoque singularem terebram veniendum esse censet: quæ duæ postremæ operationes in pueris meo judicio neque necessariæ, neque fructuosæ videntur. Non sunt necessariæ, quoniam depressiones in pueris magnæ, quæ scilicet cerebrum ejusque ventriculos comprimunt, quo minus animales spiritus elaborari, elaboratique in totum corpus pro sensu & motu distribui possint, incurabiles sunt. Incurabiles dico, quia tam magnæ mitioribus præsidiis (quæ Hildanus in principio validioribus præmittenda existimat) non cedunt, & pueri compresso valdè cerebro citiùs intereunt, quam parentes ipsorum docto & benè exercitato Chirurgo periculosas operationes concedunt. Non fructiferæ sunt in depressionibus puerorum mediocribus, quoniam *primò*, teste Hippocrate, vulnera capitis simplicissima vel ex sola cutis incisione Medico negotium faciunt, & ægrotis periculum afferunt. Augebitur autem absque omni dubio dictum periculum & negotium, quando præter cutim ex instituto inciditur etiam pericranium & os.

Quia *secundò*, dum elevatorium centro depressionis infigitur, fovea facilè increscit. Quia *tertiò*, cùm torcular cranio adhuc tenero & molli ad diploidem usque vi quadam debeat infigi, certè timendum erit (*quoniam instrumenti triploidis torcular ἀβάπτιστον non est*) ne diploidem seu internam cranii tabulam perforet, & cuspide membranam crassam lædat. Quia *quartò* os tenerum aëri exponitur, unde nigredinem concipit, quæ corruptionis certa nota est. Hæc autem corruptio si naturæ separanda relinquitur, paulatim interiora versus serpit, & cura cum puerii periculo valdè producitur. Qui verò os cranii puerilis superficialiter saltem corruptum sibi scalpris abradere proponunt, illi incrementum foveæ expectent. Hinc sapientis est Medici omnem potiùs operam manualem hîc omittere, quum nihil prodesse possit, quàm rationales Medicæ artis operationes aliquâ infamiæ notâ afficere.

His quatuor rationibus ego commotus, in depressionibus puerorum absque rima & sævis symptomatibus ab omni Chirurgia abstineo, & crebrâ experientiâ suffultus circa depressiones tantùm capillos abradi curo, & pellem agni adhuc calidam loco contuso cum decenti ligatura (*Tabul. XXVII. Fig. IX.*) adhibeo, inunctis partibus vicinis, collo & temporibus præsertim, oleis adstringentibus, ad impediendum humorum affluxum & præcavendam inflammationem. Si prima pellis tumorem non consumpserit, alteram applico, relinquendo eam veluti primam per diem naturalem. Si discusso tumore fovea tactu parva deprehenditur, nullaque symptomata gravia adsunt, quæ partium sub cranio collocatarum noxam portendant, pelli agninæ substituo ceratum diachaleiteos Galeni linteo latiori inductum pro corroboratione partis affectæ. Hanc medendi rationem tutissimam esse pluries mecum observarunt, qui mihi in ejusmodi casibus sæpissimè adstiterunt: præcipui autem sunt Georgius Riedlin & Nicolaus Reitte/ ambo Ulmæ Chirurgi peritissimi, quos honoris & testimonii causa nominare placuit. Modum quoque medicamentis tuto nec magno quidem negotio, graves puerorum collisiones feliciter ad sanitatem restituendi, invenient Chirurgiæ tyrones apud Julium Cæsarem Arantium ad calcem doctissimi sui Commentarii, quem super librum Hipp. de vulneribus capitis conscripsit & edidit.

XVI.

Depressio cranii simplex sub integra cute in adultis.

TAlis depressio in adultis rarissimè (*in iis nimirum, quibus natura minus durum dedit cranium*) vel certè nunquam sine rima reperitur. Si enim post dissectionem cutis ex instituto factam nulla rima in externa cranii lamina apparet, timendum erit, ne interior tabula fissuram patiatur, per quam sanguis ex pumicosa cranii substantia ad crassam cerebri membranam descendere quidem, sed per eandem repurgari minimè potest. Hujusmodi fracturam observavi Anno 1632. Ulmæ in milite quodam Suecico, qui ob depressionem cranii, secundo decubitus die mortuus est. Ego sciendi cupidus, quæ tam repentinæ mortis causa extiterit, cranium serra divisi, & inveni ejus internam laminam non solùm fissam, sed etiam ossiculum, (*quod absque dubio cerebri duram & piam matrem assiduè pupugit*) aliquod de se remittentem, integra existente externa lamina. Quoties igitur in adultorum capitibus talis apparet fovea aut depressio, certissimum mihi signum est calvariam esse divisam: nisi enim fissum esset cranium, inquit, Hippocrates, medium desidere nequiret. Sed posito, nondum tamen simpliciter concesso, dari depressionem cranii siccioris absque rima, illa tamen solius naturæ negotio (*ut Felix Wurzius præcipit*) committenda non est, sed cutis statim convenienti scalpello in triangulum vel crucem incidenda, pericranium à cranio separandum, vulnusque globulis idoneis hians & apertum conservandum, ut Medicus non solùm certior fieri, an cranium sit fissum, nec ne, sed etiam ut, si depressionem comitetur rima (*quod maximè timendum*) vectem necessarium adhibere possit. Altero

post

post cranii denudationem die (*si rima nulla in externa cranii lamina oculis conspicitur, nullaque specilli globulo deprehenditur, nec ob symptomatum absentiam suspicari licet, externa cranii lamina integra existente, internam esse fractam*) sumatur terebræ triformis acutissima pars, qua cranium in centro depressionis modo non ultra laminam externam leniter perforetur. *Vid Tab. XXVIII. Fig. III.* Facto, per terebram dictam foramini triploidis terebra est infigenda, beneficioque superioris cochleæ tamdiu circumvolvenda, donec cuspide suo parum internæ laminæ apprehenderit. Deinde cranium depressum, inferiorem instrumenti triploidis cochleam deorsum volvendo, perpendiculariter erigendum. *Vid. Tabul. XXVIII. Figur. IV.* Cranio, quod erat depressum, elevato, instrumentum triploidis nostro statim modo removendum, vulnusque deinceps tractandum, ut suprà paragrapho tertio de cura capitis vulnerati & sedis instrumenti legitur.

XVII.

Depressio cranii & fractura laminæ internæ absque læsione cutis & laminæ externæ.

IN hujusmodi casu, si, cute capitis ad formam trianguli aut crucis artificiosè incisâ, exterior lamina apparet integra, depressionemque mala comitantur symptomata, dubitandum non est, quin tabula interior aliquam patiatur noxam: quare cranium, præmissis præmittendis, ad depressionis latus semel aut bis trypano perforandum, ut non solùm materia, quæ ex spongioso cranii medio per occultam internæ laminæ fissuram ad duram matrem defluxit, repurgari, sed & cranium depressum commodo vecte possit elevari. Nota in contusionibus adultorum simplicibus, quæ sunt sine vulnere & fovea, neque scalpello, neque trypano, neque vectibus quidquam est tentandum, sed sola pellis agnina loco affecto apponenda, nisi symptomata supervenientia fracturam cranii significent, quæ scalpello primùm, dein scalpris aut trypano opus habet.

XVIII.

Introcessio cranii cum rima in medio depressionis lata.

SI depressioni calvariæ jungitur rima, hæc vel est in medio depressionis, vel ad latus. Quæ videtur in medio rima, vel est lata, vel angusta. Si lata, submittatur statim vectis instrumenti triploidis (*Tab. XXIX. Fig. III.*) quod perpendiculariter attollit. In hac enim depressionis specie reliqui vectes improbantur, quia ferè maximam suarum virium partem in cranio sano, quod hîc depressum est, obtinent.

XIX.

XIX.

Introcessio cranii cum rima in medio depressionis angusta.

QVando rima in depressionis medio adeò est angusta, ut necessarium instrumenti triploidis vectem non admittat, tunc cranium, præmissis præmittendis, ad depressionis terminos trypano bis perforetur (*Tab. XXVIII. Fig. VI.*) & amborum foraminum interstitium serrula mea versatili (*Tab. XXVIII. Fig. VIII.*) fine omni læsionis metu excidatur, non solùm ut dictus triploidis vectis cranio submitti, verùm etiam ut ossicula (quæ interdum ab interna cranii lamina separantur, & instar aculei crassam vel etiam tenuem cerebri membranam pungunt) volsellæ dentibus eximi queant.

XX.

Introcessio cranii cum rima ad depressionis terminos lata & angusta.

RIma etiam, quæ ad depressionis terminos reperitur, vel est lata, vel angusta. Si rima lata, & depressio est modica, cranium elevetur vecte omnium simplicissimo, *Tabul. II. Figur. VIII.* adumbrato. Quando rima est lata, & depressio modicâ major apparet, cranio submittatur vectis robustior Tabul. XXIX. Fig. II. & III. Quod si, cum rima lata multum introcessit calvaria, quoniam tunc alligati vectes parum valent, instrumenti triploidis vecte (*Tab. XXIX. Fig. III.*) erigenda est. Cùm rima ad depressionis terminos fuerit angusta, calvaria ad sanum rimæ latus semel trypano perforetur, ut commodi vectis beneficio erigi possit. Si vectis per unum foramen submissus cranium attollere nequit, paretur etiam foramen secundum (*Tab. XXVIII. Fig. VI.*) & amborum interstitium serrula convenienti separetur, ut in quocunque fissuræ sufficienter dilatatæ loco necessarium vectis instrumentum applicari, eoque cranium depressum reduci possit.

XXI.

Vulnus capitis cum dedolatione ut & contra fissura cranii.

VUlnus capitis cum dedolatione cranii nullam operationem manualem exposcit, sed mox carne implendum, & cicatrice obducendum, ut in calvaria scalpris recèns derasa. Vide suprà paragraphum quartum, & infrà observationem XVII. de Domino Alphonso Schadeo, Patritio Ulmensi conscriptam. Contra fissura, quam Hippocrates rectè calamitatem vocat, inventa curetur, ut cranium sub integra cute fractum, incisione nimirum cutis per scalpellum, separatione pericranii ab osse per ungues,

ungues, & cranii (*si rima ejus penetrans est & angusta*) perforatione. Vide suprà paragraphum decimum sextum.

XXII.

Punctura cranium penetrans & non penetrans.

PUnctura cranii, quæ ad interiorem superficiem non penetrat, deleatur terebris, ut Tabul XXVIII. Figur. III. docet. Cùm verò punctura cranii utramque perforat laminam, cranium prius artificiosè detectum trypano aperiatur, adhibito clavo modioli maris in ipsummet punctum, donec tale vestigium fecerit, cui fœminæ possint insistere.

Traditus modus curandi vulnera capitis & fracturas certè præstantior est eo, quem Felix Wurzius *in libr. de curation. variorum vulnerum c.7.8. & 9.* commendat, nostrique passim in Germania Barbitonsores, tanquam Apollinis oraculum, sequuntur, non rarò tamen cum magno ægrotantium vitæ periculo. Neque miror, quòd curatio Würziana conceptæ expectationi sæpiùs ex asse non respondeat, alligatus enim locus multos & magnos errores continet, quos statim animadvertent ii, qui hanc brevem quidem sed Hippocraticam in capite operandi & curandi rationem cum Würziana, vel obiter saltem, contulerint.

Hæc de vulnerum capitis curatione sufficiant, plura ad dictorum confirmationem tyrones in nostris Observationibus invenient.

TABULA TRIGESIMA.

De vasis temporum secandis, modoque setaceum parandi, occiput inurendi, ancyloblepharon curandi, pilos in palpebris noxios extrahendi, & palpebram superiorem relaxatam elevandi.

FIg. I. *ostendit*, quomodo locus, qui est inter verticem musculum temporalem & frontis, investigandus sit, ut urgente necessitate temporum vasa absque periculo possint secari.

Ad locum hunc exactè inveniendum Chirurgus primò capillos abradi curet, deinde, dum æger frontem corrugat, jussusque inferiorem movet maxillam, tempori digitum (*a*) tamdiu adhibeat, removeatque, donec nullum ibi musculorum, qui actu moventur, percipiat motum, & verum habebit interstitium, in quo tutissimè vel arteria sub digito pulsans, vel vena sub eodem quiescens ad emittendum sanguinem simpliciter aperitur, ad intercipiendum verò sanguinis motum transversim inciditur.

Fig. II. docet modum secandi setaceum forcipe (*b*) & scalpello (*cd*) Tab. VII. Fig I. & II. depictis. Hunc Guilhelm. Fabric. Hildanus cent. I. observ. XL. describit, & sequenti,

ſequenti, qui fit ferro candente, præferendum cenſet propterea, quòd ignis non ſolùm partem deſiccet & roboret, ſed etiam ægrotantibus dolorem atque horrorem inferat. Quoniam verò ſiccitas igne inducta butyro recenti corrigitur, deinde calor & mediocris dolor ad attrahendos peccantes humores multum valent, ægrique à ſectione aquæ abhorreant, quam ab inuſtione ego, neglectis Hildani rationibus, quam plurimis ægris ſetaceum (*quod evacuat humores caput deplentes, revellit ad oculos ruentes, derivat eos, qui ad partes oris & pectus fluunt, & intercipit deſtillantes ad ſpinalem medullam artuumque juncturas*) inuſſi ſucceſſu, in gutta ſerena præſertim, optimo; aliquando modum decipiendi obſervans, quem *Tab. XXVI. Fig. VII.* tradidi. Cùm autem tanta ſit ſetacei inuſti utilitas, operæ pretium mihi viſum, inurendi rationem in tyronum gratiam ſub tribus ſequentibus figuris explicare.

Modus inurendi ſetaceum.

ÆGer ſcabello humili inſideat, & Medicus digito indice locum pro ſetaceo aptum, ſeu cavitatem illam, quæ eſt inter primam & ſecundam colli vertebram, inquirat. Loco invento capilli ſtatim abradantur, & locus perforandus atramento ſcriptorio per longitudinem vertebrarum notetur, ita ut linea in medio cavitatis fiat. Ne autem medius ille cavitatis locus fallat, æger rectam cervicem, & quæ in nullam partem inclinat, Chirurgo offerat. Deinde mox Chirurgus ambo foramina ſtylo adhuc facienda, tam à ſiniſtris, quàm dextris atramento ſcriptorio ſignet, ut utriusque ſigni interſtitium ſit unius & dimidii digiti transverſi, plus minusve, prou ægri cutis craſſa aut tenuis fuerit.

Fig. III. Loco ad ſetaceum ſignato, atramentoque exiccato, æger caput retrorſum ita inclinet, ut cutis panniculusque carnoſus laxentur: deinde Chirurgus dictas partes relaxatas ſiniſtra manu à muſculis ſubjectis abducat, earumque tantum, quantum fieri poteſt (*intactis tamen cervicis muſculis ob convulſionis aliorumque malorum accidentium periculum*) tenacula (*e vel alia idonea. Vid Tabul. VII. Figur. III. IV. & V.*) apprehendat, ad ſe trahat, arcteque conſtringat ad bonam tamen laborantis tolerantiam, ſeu mediocrem potiùs dolorem, ut ſic conſtrictis nervis integumenta perforanda quaſi obſtupeſcant, & patiens pyroticum, aliàs ſatis dolorificum minus ſentiat. Chirurgus autem ea ratione cutem atque membranam carnoſam forcipe apprehendat, ut linea per longitudinem cavitatis ducta appareat anterius inter forcipem, & utrinque foraminum faciendorum notæ per forcipis foramina videri queant. Hoc facto Chirurgus ſtylum (*f*) optimè ignitum, ut faciliùs & citiùs penetret, per utrumque forcipis foramen nictu quaſi trajiciat, ſtatimque retractum per ſe refrigerari ſinat: ſtylus enim candens, ſi humore aliquo extinguitur, inſtar ceræ molleſcit, & ad ulteriorem uſum ineptus redditur, quod obiter notandum duxi.

Fig. IV. Chirurgus, immotâ adhuc forcipe, per facta foramina aciculam (*g quæ in*

una



una extremitate globulum cereum, in altera ſericum trahit funiculum, ovique albumine imbutum) transmittat, uſque ad funiculi medietatem butyro recenti illitam quem ibi immotum relinquat.

Fig. V. Chirurgus remota forcipe, utrumque funiculi ſerici extremum ad anteriora colli paulatim ducat, partemque affectam linteo quadruplici (*ad prohibendam inflammationem*) in mixtura aquæ roſarum & albumini ovorum expreſſo, faſciaque convenienti deliget. Sequentibus, plerumque uſque ab ſeptimam, diebus, chirurgus funiculum, nunc verò ad dextram, nunc ad ſiniſtram aliquantulum ducturus, eam funiculi partem, quæ integumentis ſubmittenda eſt, unguento digerente oblinat, & externe linteum quadruplex, in dicta mixtura expreſſum & adhibitum conſervet, quouſque ulcus bonum generet pus, & timor inflammationis ceſſet. Pure laudabili apparente, partem funiculi ſubmittendam, ſequenti vel ſimili illinat unguento.

℞. *Tereb. venet. in aqu. roſ. lot.* ℥j.
Syr. roſ. Sol. ſ. ℥ß.
Pulv. turb. alb. & gum.
Rhabarb. ſel. ana. ℈js.
M. *pro unguento.*

Et deſuper emplaſtrum Dominici Galvani ad fonticulos Tab. LV. Fig. I. deſcriptum applicet, quam diu ulcus apertum tenere eſt animus! Tam diu autem ulcus in nucha conſervandum, donec patiens à morbo, cujus gratia ulcus excitatum fuit, liber, & quoad cætera ſanus videtur. Ceſſante ulceris indicatione, chirurgus funiculum in ſiniſtro latere decurtatum ſenſim & ſenſim extrahat, & integumenta ſubjectis muſculis citra ullius periculi metum adglutinet, adhibitis cerato divino, ſplenio quadruplici, & faſcia compreſſiva. Alii funiculum minuunt, ſeu forfice tenuiorem faciunt, & medicamento ſcarcotico illitum paulatim eximunt, ulcus deinde ſuper poſito cerato diachalciteos ad cicatricem ducentes.

Inuſtio occipitis ſimplex.

Fig. VI. monſtrat inuſtionem occipitis in adulto ſimplicem ferramento, quod candet, rotundo, ubi apoplexiæ aliorumque gravium affectuum eſt periculum. Solet autem occipitis cavitas, quæ eſt inter primam & ſecundam colli vertebram, ferramentis candentibus (*vid. Tab. VII. Fig. VIII. IX. X. & XI.*) potiſſimum aduri infantibus nuperrimè natis, puerisq; lactentibus, quos graviſſimus ille morbus, comitialis dictus, frequentiſſimè infeſtat, ob cerebri intemperiem frigidã & humidã: Pro hujus morbi tã curatione, quum præſervatione, Medici præſentaneum invenere auxilium, inuſtionem nempe occipitis, quæ ſicuti eſt tutiſſima, ita etiam pituitam caput aggravantem, ſæpe numero manifeſta cum utilitate evacuat, revellit, intercipit, & derivat. Hinc dicta occipitis inuſtio (*licet eam ſatis operosè disſuadeat Iohann Baptiſta Sylvaticus controverſ. 87.*) tam frequens in quibuſdam locis eſt, ut Florentiæ, in ampla Magni Ducis Hetruriæ urbe, nulli vel certe pauciſſimi reperiantur pueri, qui eam non ſtatim poſt Baptismum ſuſtinuerint. Abraſis igitur capillis, ferramentũ occcipitis cavitati reſpondens, ovale ſc. & oblongũ, candefiat, eoq; cavitas in tenella infantium ętate, ad præſervandum, ſemel tantum & le-

viter ſaltem tangatur. Ad curandum verò, in ætate puerili, in ipſo paroxyſmo, & ubi per multos dies ulcus conſervandum, idem ferramentum candens, dictæ cavitati, bis vel ter, altius imprimatur. Poſtea loco aduſto applicetur vel diapalma cum butyro recenti, vel emplaſtrum triapharmacon, ad ſperandam eſcharam, qua remota, ulcus per congruum temporis ſpatium, aut cerato ſacro Galeni, aut emplaſtro diachylorc. ſimplici apertum & fluens teneatur, tandemque cerato de ceruſſa, aliove epulatico cicatrizetur. *De abuſu huius cauterii in pueris leg. Dominici. Panarolæ obſervatio 37. Pentecoſt.* 4.

Fig. VII. curatur Ancyloblepharon, vel affectus, quo palpebræ vel inter ſe, vel cum alba, aut cornea, aut utraque oculi tunica coaleſcunt, & pro varietate coaleſcentiæ, chirurgiæ curam variant. Palpebrarum iſte inter ſe coalitus curatur ſcalpelli falcati (*Tab. VIII. Fig. VIII. cuius apex annexum habet argenteum globulum*) opera, qui ab interiore oculi angulo, ubi palpebræ ferè nunquam cohærent, inter oculum & palpebram (*ita ut ſcalpellus partem retuſam oculo, ſecantem verò commiſſuræ palpebræ exponat, unde adverſus quoq; appellatur.*) Uſque ad exteriorem angulum immittitur: quo facto, commiſſura palpebrarum digito percepta incidatur, & inter utramque palpebram ponatur linamentum ſiccum & mundum, ore diviſæ denuo coaleſcant.

Ubi palpebræ dictis oculorum tunicis adhærent, eas ſubſecare iubet Heraclides Tarentinus eodem ſcalpello falcato. Cornelius autem Celſus. *l. 7. c. 7. de ancyloblepharo* vult, ut adverſus ſcalpellus (*qui ipſi nil aliud eſt, quam latior ſpecilli pars* Tab. VIII. Fig VI.) magna cum moderatione inter palpebram & oculi tunicam immittatur, eoque connexa ſeparentur ob invicem, ſine læſione, ſi fieri poteſt, utriuſque partis: Si tamen aliquam lædere fuerit neceſſe, potius palpebra adnata, quam oculi tunica inciſionem patiatur. Poſt ſeparationem palpebræ ab oculo, interponatur quoque linteolum, ne ſeparata iterum invicem conglutinentur.

Fig. VIII. *pilorum monſtrat evulſionem Paulinam è palpebris.* Palpebra digitis invertatur, pili oculum pungentes & irritantes volſellæ dentibus extrahantur, cutiſque globulo ſpecilli candente comburatur, ut condenſetur, ne pili in ea renaſcantur.

Fig. IX. *oſtendit in dextro oculo palpebræ ſuperioris relaxationem, & in ſiniſtro eiuſdem curationem*, quam crudeli & obſoletæ Celſi Chirurgiæ Hieronym. Fabricius ab Aquap. præferre, verbiſque ſequentibus commendare videtur. Ego autem, quando oculum palpebra ſuperior operit, pono unum glutinum (*ſeu linteum glutine ſequenti imbutum.*

℞ Sanguin. Dracon.
Thuris
Sarcotoll.
Maſtich. aa. ℥j.

Miſce fiat pulvis, & cum albumine ovi agitato redigatur ad mellũ conſiſtentiam) cum duabus *vel tribus* habenis ſupra totam ſuperiorem palpebram; alterum verò *priori quoad habenas* ſimile ſupra ſupercilium in frontem, tum ambas, *vel omnes tres* habenulas ſuperiores attractas inferioribus *habenulis* alligo. Et ita aperitur oculus, fit quoque, ut ſpatio temporis congruo, curetur palpebra relaxata, beneficio dicti glutinis adſtringentis & ſiccantis, *ſimulque palpebram & frontem* contrahentis.

Hæc



Hæc curandi ratio optimè ſuccedit, quia non tantum exiccat humorem, qui iam influxit, verum etiam novum humoris affluxum prohibet, ut expertus ſum in Nobili quadam fœmina, teſte Iohann. Georgio Bauleto, qui huic curandi modo fidem adhibere noluit, donec ipſe effectum cum admiratione viderit.

TABVLA TRIGESIMA PRIMA.

De Lagophtalmi, ſtaphylomatis, ægulopis, pterygii, & ſuffuſionis curatione.

Fig. I. oſtendit mitiſſimam, tutiſſimam, & feliciſſimam Lagophthalmi (*quando ſcilicet ſuperior palpebra ita ſurſum contracta eſt, ut oculum totum contegere non poſſit, ſed per ſomnum etiam aliquantum apertus maneat*) curationem, quam Fabricius ab Aquap. excogitavit, & periculoſæ Celſi chirurgiæ ſubſtituit, ſequentibus verbis.

Applicetur igitur unum glutinum, *ſeu primum linteum glutine imbutum* (a.) quod duas aut tres habenulas habeat appenſas, ad ſuperiorem palpebram, & aliud *ſeu ſecundum glutinum* (b.) propoſito ex adverſo reſpondens ad genam. *Glutine exiccato, linteisque palpebræ & genæ firmiter adhærentibus*, eorum habenæ ſibi invicem adverſæ alligentur, & ſubinde valentius adſtringantur, contrahanturque, ita enim diſtendi, & ſuperior ad inferiorem palpebram perduci, & oculum tegi neceſſe erit. Quod ſi etiam, *his duobus non ſufficientibus*, aliud *ſeu tertium* glutinum (c.) *fronti* ſtatim ſupra ſupercilium applicetur cum ſuis habenulis, & aliud *ſeu quartum tertio* propoſito *ſimile* & exacte reſpondens (d.) inferius *genæ* agglutinetur, trahanturque & alligentur invicem habenulæ, erit & hoc aliud præſidium diſtenſionem *adducta* ſuperioris palpebræ adiuvans, per ſupercilii *ſcilicet* & frontis cutem deorſum protenſam. *Huc uſque Fabric. ab Aquap.* Hunc curandi modum ipſe nunquam ſum expertus, ſed ab aliis adminiſtratum feliciter ſuccedere, ſæpius vidi.

Fig. II. *docet ſtaphylomatis* (ſeu morbi in oculo, cum in ſumma eius tunica, ſive ruptis intus membranis, ſive laxatis, quiddam acino ſimile evenit, aut acini figuram refert) *curationem*, quæ fit per conſtrictionem dictam. Si ſtaphyloma (*quod interdum anguſtiorem, quandoque latiorem habet baſin, quam corpus eſt reliquum*) fuerit in dextro oculo, æger ad pedes Chirurgi commodiſſimè collocatus capite reflexo eiuſdem genubus innitatur. Si vitium tale in ſiniſtro oculo eſt curandum, patiens inſideat ſellæ Chirurgo adverſæ. Staphylomatis, quod in oculo dextro anguſtiorem obtinet baſin, conſtrictionem C. Celſus *l. 7. c. 7. ſub titul. de ſtaphylom.* deſcribit. *Diductis palpebris*, ad ipſas radices, per medium *ſtaphylomatis* fundum *ſeu baſin* transverſe (*ab eo angulo, qui manui dextræ eſt commodius, ad alterum*) acu (e.) duo lina, *ſeu filum duplicatum*, ducente *traiicere*; deinde, *medio fili duplicati inciſo, acuque remota*, alterius lini, *ſeu fili ſimplicis* duo capita (f.) ex ſuperiore parte, alterius ex inferiore (g.) *ſtrenuè* inter ſe adſtringere oportet, quæ paulatim ſecando id excidunt.

Staphylomatis, quod latiorem in ſiniſtro oculo habet baſin, curationem Paul. Ægineta

l.c.de re medic.c.19. tradit. Acum igitur *ſine filo* (1.) ab infernis ſurſum per ſtaphylomatis fundum trajicere, & alteram acum duplex filum ducentem, ab *eo oculi* angulo, qui ad manum eſt *dextram*, ad alterum, per ſtaphylomatis fundum tranſigere, & manente priore acu, *quæ trajecta fuit ſine filo*, fili anſam *ſeu medium* diſſecare, & ablata acu, *quæ filum duplicatum traxit*, alteram ſtaphylomatis partem ad ſuperna, alteram ad inferna, per fila (*ſimplicia f.g.*) deligare oportet.

Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, in utriusque ſtaphylomatis cura utitur filo ſerico, eoque ſimplici ſeu non contorto & rubro, quoniam fili ſimplicitas & tinctura conſtrictionem adjuvant, atque inciſionem. Filis, in utraque ſtaphylomatis ſpecie, arcte conſtrictis, albumen ovi agitatum, lanaque exceptum oculo imponatur, ad arcendam inflammationem. Altera die, poſt ſolutionem faſciæ adhibitæ, oculus medicamentis tractetur idoneis & lenibus, donec fila cum ſtaphylomate decidant. Chirurgia autem hæc Pauli, & ſuperior Celſi non adminiſtrantur, ut viſus abolitus reſtituatur (*hoc enim planè impoſſibile eſt,*) ſed ut ſaltem moderatus ægrotanti decor reparetur.

Fig.III.IV.& V.monſtrant curationem ægylopis, inter naſum & oculi majorem angulum ſuborti, ad interiora rupti, & Tab.XXV.Fig.II.delineati. Hoc tuberculum, quoniam ſolis medicamentis curari nequit, volſellæ dentibus apprehenſum in fundo circumciditur ſcalpello (K.Tab.VIII.Fig X.) ita tamen, ne ſimul tota abſcindatur caruncula illa ſpongioſa, quam non inepte lachrymarum frænum appellant; ei namque omnino ablatæ ſuccedit perpetuus lachrymarum effluxus, ſeu incurabilis Rhyas. Poſt dictam tuberculi exciſionem, ſupra oſtioli foramen fortiter imponitur cannula (h.*Tab.I.Fig.I.*) ut oculum ab igne defendat, cutisque vicinæ ſenſum obtundat, donec os ſubjectum (*quod vel cariem patitur vel nudatum eſt*) ferramento ovali (l.*Tab.XIX.Fig.VIII.*) candente, & per cannulam ter quaterve immiſſo aduritur. Oſſi ſatis aduſto filamenta ſaltem carpta applicentur, donec ſquama ejus abſcedat. Oſſis ſquama vi naturæ ſeparata, ſinus tuberculi reliquus ſpongiola in vino aluminoſo expreſſa, & inſtrumenti (m.*Tab.VIII.Fig.I.*) crinalis claviculo umbellato arcte compreſſus facile agglutinatur, ut ulcuſculum deinde medicamentis ſarcoticis & epuloticis tuto tractari poſſit. Fig.VI.exhibet vaſculum vitreum (n.T*ab.VIII.Fig.XI.*) oculo alligatum, per cujus infundibulum collyria liquida oculo guttatim inſtillantur.

Fig.VII.monſtrat oculum dextrum, *quem annulus* (o.Tab.VIII.Fig.V.) adhibitus *immobilem reddit*, & apertum conſervat, donec operationes chirurgicæ, imprimis autem ſequens, in oculo peragantur.

Fig.VIII.oſtendit curationem pterygii chirurgicam, quod ab interno oculi cantho ſubortum ultra pupillam ſe extendit & viſum impediens chirurgiam requirit, quæ tribus vel quinque manibus inſtituta optimè ſuccedit. Operatio tribus perficitur manibus, quando vitium eſt in dextro oculo, & caput ægri reflexum, velut in ſtaphylomatis cura, inter ambo chirurgi genua, quæ manuum vices ſupplent, collocatur. Quinque vero manus requiruntur, quando æger, ob pterygium in ſiniſtro oculo, ſellæ chirurgo adverſæ inſidere, ejusque caput à duabus miniſtri manibus erectum firmiter teneri debet.

Quomodocunque collocetur æger, Chirurgus primo digitis (*quoniam habennulæ operanti ſunt incommodæ*) diducat palpebras, oculoque applicet annulum, qui commoda miniſtri manu detentus (q.) & oculum firmat, & palpebras ejus diductas conſervat. Secundo chirurgus hamulum (*Tab.VIII.Fig.IX.*) pterygio elevando circa mediam pupillam cautus ſubmittat, ne cornea oculi tunica lædatur: deinde acum modice inflexam, quæ filum ex ſerico ſimplex & rubeum (p.) trahit, ſub pterygio jamjam elevato trajiciat, ambo fili ſimplicis capita manu ſiniſtra apprehendat, & pterygium manubrio ſcalpelli (*Tab.VIII.Fig.X.*) uſque ad extremitatem, quæ minorem oculi canthum reſpicit, ſenſim & ſenſim ſeparet. Tertio chirurgus filum removeat, extremitatem unguis, dimidiatim ſeparati, hamulo manu ſiniſtra comprehenſo (r.) attollat, & reliquam pterygii ſeparationem allegati ſcalpelli manubrio, in dextra (s.) detento continuet, donec pervenerit ad majorem oculi angulum, ubi acuminato ejusdem ſcalpelli cuſpide unguis tam accuratè excidendus eſt, ut nihil ex eo relinquatur (*ulceratus enim vix ullam recipit curationem*) nihilque aut parum de caruncula lachrymali detrahatur, ne incurabilis ille affectus, quem ῥύαδα vocant, excitetur. Hac finita chirurgia oculo apponantur medicamenta exiccantia, de quibus videatur Cornel. Celſ. Fabric. ab Aquapend. & Sennert.

Fig. IX. docet, quomodo oculus ſanus, ante depoſitionem ſuffuſionis perfectæ, goſſipio & faſcia (t.) claudatur: oſtendit eadem Figura locum, cui apponitur acus (u.*Tab.VIII.Fig.IV.*) & quem Albacaſis *l.2.c.32.* ſequentibus verbis deſcribit: pone acus extremitatem prope tunicam corneam, per craſſitiem radii (*ſeu ſpecilli obtuſi*) in ipſa albedine oculi, quæ reſpicit minorem ſeu externum oculi angulum.

Suffuſionis, ſeu cataractæ perfectæ, maturæ & quæ jam in pelliculam concrevit, per chirurgiam curatio.

Hæc pellicula ab ambitu pupillæ, cui accrevit, non niſi acu, per tunicam oculi duram immiſſa, ſecernitur. Chirurgia feliciter ſuccedente, ægrotanti fere cæco viſus ſtatim reſtituitur. Ophtalmiater verò ſive Oculiſta, antequam operationem tam arduam aggreditur, conſiderare debet, an unus ſaltem, vel uterque oculus patiatur ſuffuſionem. Quod ſi æger ob utramque pupillam cataracta affectam penitus nihil videat, Oculiſta ad deponendum ſit facilior, quoniam in hoc caſu malum pejus haud eſt metuendum, licet voto non reſpondeat operatio. Unico oculo male affecto, cum ſanus ad viſionem ſufficiat, minus temerè operatio depoſitionis eſt tentanda, præſertim ſi pellicula non omnino fuerit concreta, quæ concretio quandoque trium, quatuor, quinque, pluriumve annorum ſpatio vix perficitur. Nec tamen materia pelliculæ ullo modo incraſſanda eſt ob rationes, quas Johann.Baptiſt.Sylvaticus controverſ.56.adducit. Et licet plerique Authores requirant mediocrem cataractæ concretionem, experientia tamen conſtat, cataractam facilius deponi, quando perfecte concrevit: nam quæ immatura, mollis, & adhuc mucoſa eſt, apici acus non reſiſtit, nec integra removeri poteſt, ſed ſciſſa vel rurſus concreſcit, vel calloſior facta aut aqueo humore perfuſa facit, ut ægri non tantũ nihil videant, ſed & omnis ſpes ſanationis per reiteratam operationem (*quæ ſibi inſtituatur, certo, & indubitanter fruſtranea eſt, ut teſtabitur hodie cum aliis Chriſto-*

phori Schochen/ *sutoris Vlmani, conjux ob repetitam depositionem penitus nunc cæca*) ipsis omnino adimatur. Cæcitas quoque incurabilis operationem sequitur, quando humor vel chrystallinus, vel vitreus, eorumque tunicæ instrumenti acumine offendantur, vel sola uvea in ambitu pupillæ laceretur. Ex quibus patet, quod hoc auxilii genus valde anceps & dubium sit, & ob ejusdem summam difficultatem facile error immedicabilis committi possit: unde sanitas patienti temere promittenda non est. Ego, ut rem fatear, hanc chirurgiam nunquam tentavi, quamvis instrumenta parata habuerim, sed eam bis vidi ab Italo, bono successu (*in sinistro scilicet oculo Nobilis cujusdam Patavini & Monachi Veronensis*) administravi. Oculista autem, qui erat Patavinus, operationem sequenti instituit modo. Præparato corpore expectavit diem serenum & tranquillum, imploratoque Divini Numinis auxilio, elegit conclave aliquod mediocri lumine perfusum, & ægrum adhuc jejunum, tribus horis ante prandium, in sellam lecto proximam (*à cujus tergo erat fulcimen quoddam & pulvinar*) ita collocavit, ut facies ejus versus lucem spectaret. Quo facto, Chirurgus ex opposito sedens, diductis cruribus ægrum sellæ suæ insidentem excepit, illiusque manus, utrinque femoribus innitentes, sustinuit. Minister vero inter chirurgum & patientem pulvillos posuit, qui operantis brachium firmiter sustineant (*Multi quidem citra omne manus sustentaculum suffusiones felicißime deponunt, non pauci tamen ob tremulas manus instrumento indigent, cui cubitus, ut basi & columnæ, firmißime incumbat, quale depingit Guilhelm. Fabricius Hildanus cent. 4. observ. 16.*) oculum sanum gossipio & fascia obvolvit (*Tab. hujus Fig. IX.*) atque à tergo stans patientis caput ambabus manibus usque ad finem operationis firmum detinuit. His omnibus à ministro peractis, Chirurgus primo oculum male affectum pollice manus dextræ (palpebras sursum & deorsum movens) fricuit, & masticati seminis fæniculi halitu fovit. Postea sumpsit acum auream (*quoniam suffusio deponenda erat alba, requiritur vero acus argentea, cum humor concretus fuerit niger, vel alterius coloris ut per corneam oculi tunicam videri poßit*) quæ longa, manubrio striato & intorto, ad firmiorem apprehensionem, prædita, versus cuspidem sensim attenuata, & acutissima fuit. *vid. Tab. hujus Fig. IX.* Hanc itaque acum manu sinistra, prope oculi sedem innixa, in latere externo, in albo oculi parum ab iride, & paulo altiore sede, quam in media, impressit, & quidem non violenter, sed paulatim eam contorquendo, donec per scleroticam seu duram oculi tunicam penetraret, intrusit cum minima ægri molestia: sic intrusam acum mox versus pupillæ foramen direxit, & ad pelliculæ interiorem usque sedem paulatim propulit. Acu blande eo adacta, & aliquoties sursum deorsumve ducta telam ab ambitu foraminis, cui adhærebat, sensim & sensim separavit, penitus separatam depressit, & depressam in infimum oculi locum deposuit.

Cum tela seu pellicula in obscuram oculi sedem, quæ infra pupillæ regionem est, pervenisset, chirurgus, oculum, clausit, & acum ibi per quadrantem horæ reliquit, ut pellicula in parte oculi inferiore, in quam deposita est, libentius permaneret (*Tuta cognoscitur depositio, quando ex commotione oculi pellicula deposita non ascendit. Vt autem deposita cataracta non redeat, maxime cavendum, ne illa in plures partes scindatur; scissæ enim portiones,*

tiones, licet deponantur, in pristinam pupillæ sedem facile remeant, & illic fluitantes visum rursus obscurant.) His omnibus igitur feliciter peractis (*ob bonam enim depositionem pupilla statim nigra apparuit, & æger mox videre cæpit*) palpebraque depressa oculum clausit, &, elapso horæ quadrantis spatio, acum intrusam sensim retraxit, ad præcavendum pelliculæ reflexum, & evitandam humoris vitrei aut chrystallini læsionem.

Nec, acu extracta, metuendum est, ut aliquid humoris aqueo per foramen crassæ tunicæ profluat, cum hoc statim, post exemptionem acus, rursus collabatur.

Operatione bono successu finita, Chirurgus utrique oculo, sano nimirum & restituto, per sex dies clauso, plagulam gossipinam, & ex una parte imbutam aquis rosarum & fœniculi (*quibus modicum pulveris & croci & seminis fœniculi fuit adhibitum*) quotidie ter aut quater apposuit ad roborandum. Ad præcavendam vero inflammationem oculorum, fronti applicuit linteum illitum unguento, quod ex ovi albumine conquassato & pulveribus Galeni adstringentibus paratum fuit. Supra gossipium roborans, & linteum defendens oculos, applicuit splenium duplex, & fasciam superligavit. Ab eo tempore, ægro victus ratio non fuit libera, sed tenuis solum concessa. Et ægro præcepit Chirurgus ut in tenebris, obseratis undique fenestris ligneis, aliquandiu moram traheret, & sensim luci assuesceret, ne visus luce multa nondum assuetus obruatur. Ut spiritus nulla vi ad oculos ruerent, æger præcavit omnem vehementem motum, utpote tussim, sternutationem, clamorem, conatumque magnum in reddendis excrementis alvi & vesicæ. Supinus cibum & potum sumpsit, neque surrexit ad alvum deonerandum, sed vas ligneum ad recipienda excrementa ano submisit: atque sic æger pristinum visum adeptus, diligenti prophylacticorum usu & gestatione fonticuli brachio dextro inusti, per plures annos incolumis vixit.

Insignis ophthalmiater, Marianus Mariam Angelii, Romanus, Dn. Tobiæ Neubronnero, & Dominæ N. Kazenböckin, me præsente, in utroque oculo suffusionem felici successu deposuit (Ulmæ Anno 1937. Mense Decembris) juxta modum, quem Celsus *l. 7. c. 7. de natura oculorum & eorum suffusione* plene & perspicue tradit. Atque hæc de felici perfectæ suffusionis depositione sufficiant, quæ ex observato vicina mea ideo huc transtuli, ut Medicinæ & Chirurgiæ studiosi errores circumforaneorum, quorum curæ & fidei ægrotantes miseri hodie frequentissime committuntur, gravissimos errores reprehendere & corrigere possent. Circumforanei suffusionem patientibus certam restitutionem promittunt, pudore tamen, licet promissa non præstent, minime suffunduntur, dummodo ipsos tueri, numeratæque pecuniæ spes alat. Cum autem suffusionis chirurgia omnium operationum subtilissima sit, eam luculentissime proposuit Celsus loco allegato, quem consulat lector, & plura desiderans vel adeat Felicem Platerum, vel Georgium Bartisch, Oculistam Dresdensem.

Pro discussione cataractarum incipientium, multæ reperiuntur collyriorum descriptiones, quibus Autores præstantissimos effectus attribuunt. Ego expertum habeo fel lucii piscis, modico sacchari mistũ, & (*post purgationẽ totius, & usum vesicatorii retro aurem sinistram adhibiti*) sinistro oculo, nepotis ex fratre mei, instillatum, suffusionem in principio existentem, septimanæ spatio, resolvit. Hoc felle sæpius feliciter usus est Adrianus Spigelius,

gelius, qui ad ſuffuſionis principium valde mihi commendavit etiam oleum hepatis muſtelæ fluviatilis (*de quo vid. Foreſt. l. 11. obſ. 35.*) ut & aquam ophthalmicam Martini Rulandi, & illam ſocialem, utpote quæ valde utilis, & Neapoli in magno uſu ſit. Hujus aquæ ſocialis Sennertus *pr. l. 1 p. 3. ſect. 2. c. XXVIII.* mentionem facit, ejusque deſcriptionem poſuit Johann. Anglicus in practica ſua, quam Roſam Anglicam appellat. ℞. *Feniculi. Rutæ, Euphraſiæ, verbenæ, Tormentillæ, Betonicæ, Roſarum, End viæ ſylveſtris, Callitrichi, Anagallidis, Pimpinellæ, Chelidonii, Papyri, pæoniæ, Foliorum vitis, Apii, Agrimoniæ & caprifolii ana partes æquales. Terantur & pridie ponantur trita in vino albo; ſecunda, in urina pueri venerem non expati; Tertia, in lacte mulieris; & quarta in melle optimo, quo tempore deſtillentur, & ad uſum reſolvantur.* Ambas has aquas in uſum nunquam revocavi, easdem tamen ſtudioſæ juventuti proponere volui, ut data occaſione effectus earum, quæ mihi à celeberrimo Medico ſummoperè fuerunt commendatæ, explorarent.

TABVLA TRIGESIMA SECVNDA.

De exciſione polypi, narium inuſtione, oris cura leporini, inferioris labii deligatura, dentis carioſi aduſtione, dentis buccam offendentis præciſione, conſtrictorum dentium diductione, patientis per tubulum nutritione, & maxillæ inferioris depreſſione.

Fig. I. oſtendit modum ſimul apprehendendi, ſecandi & extrahendi polypum è naribus inſtrumento (a. *Fig. I. Tab. XII.*) ab Hieronymo Fabricio ab Aquapendente invento; exhibet inſuper polypum forcipe (æ.) comprehenſum, & in latere (b.) poſitum. Matthæus Glandorpius perfectiſſimum tractatum de natura & curatione polypi conſcripſit, quem Chirurgiæ tyrones ſummo cum fructu perlegent.

Fig. II. docet, quomodo nares ſimpliciter, vel cum oſſe corrupto exulceratæ ſtylo candente (e. *Fig. IV. Tab. XXI.*) per cannulam idoneam (c. *Fig. I. II. & III. Tab. XXI.*) immiſſo adurantur. Curavi ſartorem Patavinum ozæna Gallica domi detentum, quam, poſt internum decocti ex ligno guaiacino uſum, barbitonſor Patavii primarius, per duos annos continuos, medicamentis ex antimonio & mercurio præparatis tractavit. His tamen nihil conferentibus, patiens D. Doct. Adriani Spigelii conſilium & operam petiit. Spigelius autem tum temporis valetudinarius domo exire, ægrumque viſitare non potuit, unde me barbitonſori, ſeu Chirurgo patientis ordinario adiunxit, mihique præcepit, ut turundam ex linteo mundo conficerem, eamque nari dextræ ceu læſæ immitterem, ibique per diem naturalem relinquerem, ut exinde ſitus, quantitas & qualitas ozænæ addiſci poſſit. Mandatis Dn Spigelii obtemperans turundam extraxi, quam ferè in apice ejuſque dextro latere, velut in orbem, commaculatam, nigram, ſummeque fætentem monſtravi Dn. Spigelio, qui, hanc videns, ſubito dixit, ulcus eſſe in ferè ſummo naris loco, ſupra partem cartilagineam, in latere dextro, non adeo quidem magnum, ſed cum oſſis corruptione conjunctum, quod actualem inuſtionem poſtulet. Quærenti mihi dictorum rationem, dedit ſequentem: quia turunda fere in apice eſt contaminata, ulcus ſitum habet in ſummitate naris; quia turunda ſolum commaculata eſt exterius, neceſſario dextrum duntaxat latus afficitur ulcere, non

adeo



adeo magno, quoniam macula est parva. Ulceri jungitur os corruptum, quoniam turunda est nigra & valde fœtet. Affectus chirurgiam requirat adurentem, quoniam ipsi, in præsens usque tempus, medicamenta fuerunt incassum adhibita, & quidem talia, quæ, si os corruptum non fuisset, ulcus jam pridem ad cicatricem duxissent. Quam chirurgiam mihi perficiendam reliquit, utpote facilem, & quæ mearum operationum prima fuit. Quare cannulam elegi (*habebat enim Dn Spigelius varias*) idoneam (*eam scilicet quæ in latere foramen habet* Tab. XXI. Fig. II.) illamque linteo, quod vino nigro & austero expressum erat pro illæsarum partium defensione, involvi, & nari exulceratæ ita immisi, ut foramen allegatæ cannulæ ulcus exacte æquaret. Præparata hunc in modum, & nari immissa cannula, recepi stylum, (*Tab. XXI. Fig. IV.*) optime ignitum, quem per cannulam immisi usque ad locum affectum, statimque retraxi, repetens styli candentis immissionem ad summum quater vel quinquies, quam citissime tamen, unde ad minimum duo requiruntur styli igniti, ut loco sæpius citato monui. Post inustionem, natura (*mitigato prius dolore & ablata eschara*) medicamentis exiccantibus adjuta intra 14. dies asperam ossis particulam separavit, ulcusque epuloticorum beneficio cicatricem acquisivit. Hanc chirurgiam posthac in pluribus felicem expertus sum (*licet Germani, & inter hos præcipue Vlmæ Suevi ab inustionibus quibusvis maxime abhorreant*) prius ambos ægrotantium oculos, ad evitandum instrumenti candentis aspectum gossipio & fascia claudens.

Ozæna narium cum vel sine venereæ luis suspicione, citra tamen ossis cariem, si medicamentis curari nequit, exposcit cannulam omnino solidam (*Tab.* XXI. *Fig.* I.) quam, ut verum fatear, nunquam adhibui, nec unquam adhibere vidi. Mihi autem narravit studiosus quidam Mediolanensis, semetipsum inustionem per cannulam omnino solidam ab Excellentissimo Hieronymo Fabricio, felicissimo successu, admisisse. Modus adhibendi absque dubio fuit, quem Autor Fabricius ipse describit verbis sequentibus. Immittenda est cannula ferrea (*omnino solida, nec linteo involuta, sed albumine ovi probe agitato oblinita*) tam longa, ut ulceris longitudinem adæquet, nariumque cavitatem æmuletur, & per ipsam ferramentum candens indendum, quod tamen non nisi cannulam attingat. Sic fiet, ut ferrum candens calefaciat cannulam, & hæc nares & ozænam: nolo autem ut nares ex hoc doleant, sed locus exulceratus citra dolorem calefiat, ad bonam laborantis tolerantiam, qua perspecta, tunc cannula è naribus e vestigio eximenda, rursumque immittenda, totiesque ferramentum candens, quod tantum calefaciat, repetendum, quousque exiccata sufficienter pars extiterit: ex pluribus enim iteratis vicibus fit, ut sine dolore iterata calefactio suppleat vicem adustionis, partem scilicet exiccando & corroborando, & humores digerendo atque ita ulcus sanando.

Fig. III. monstrat, quomodo labium superius in medio ad dentes usque incisorios, instar ossis leporini, fissum, chirurgiâ corrigi possit. Labium inter os & nares divisum in utraque parte hamulis apprehendatur, & à gingiva scalpello idoneo (*Tab. II. Fig. I.*) separetur, deinde linteum inter gingivam & labium, ne rursus invicem agglutinentur, immittatur, & linteolum duabus habenulis donatum glutinoque imbutum utrinque (e.f.) applicetur.

Linteolis cuti firmiter adhærentibus, fiſſuræ labia forfice excorientur, & excoriata ad mutuum contactum adducantur ſuturis, quæ connexis habenulis conſerventur, donec labia vel ſolius Balſami Hiſpanici beneficio in totum coaleſcant.

Fig. IV. exhibet labium inferius exulceratum, & ad Galeni mentem deligatum faſcia, in quatuor partes ſciſſa, cujus deſcriptionem in gratiam tyronum chirurgiæ, & barbitonſorum in primis, quibus Galeni liber de faſciis raro eſt ad manus, tranſcribere volui, ut hanc faſciam, ejusque applicandi modum ad curandos inferioris labii affectus (*præcipue vero cancrum exulceratum*) utiliſſimum pariter ac chirurgiam exercentibus ſcitu ſumme neceſſarium addiſcerent. Medium fundæ, *inquit Galenus l. de faſc. c.* 62 quod integrum eſt (g.) injicito ſuper labium inferius, ſuperiores verò partes (h.i.) ad mentum adducito, atque inde ad occipitium, ibique in ſpeciem literæ x, altera ſub alteram excedente, ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem trahito, miniſtroque tradito, reliquas verò partes (k.l.) ſub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ x. ad frontem attrahito, & has & quæ à miniſtro continebantur inter ſe devincito.

Fig. V. docet, quomdo dentes carioſi & perforati, ad cariem ſiſtendam, ferramentis ignitis (*vid.* T*ab.* XIX) *Fig.* IX. X. *&c.*) & in foramen ſæpius adactis tuto adurantur.

Fig. VI. exhibet, quomodo dens præter naturam natus & buccam offendens, inſtrumento roſtrum vulturinum habente (T*ab.* XI *Fig.* II.) commode præcidatur.

Fig. VII. oſtendit maxillæ inferioris à ſuperiore diductionem, quæ peragitur inſtrumento oris dilatorio, quod Tab. XII. Fig. V. ex Ambroſio Pareo depinxi. Quando maxillæ inferioris convulſio, aliusve affectus prohibet oris apertionem, tunc vel per infundibulum argenteum cibus liquidior in æſophagum mittendus, vel dentes inſtrumento ab invicem diducendi, quo ægrotanti cibus per os apertum præberi poſſit. Si æger ob pertinaciam aut mentis alienationem cibum, potumque recuſet, ipſi nares adeo conſtringantur digitis, ut non ſolum ex reſpirationis neceſſitate os aperiat, ſed etiam cum attracto aëre cibum ori infuſum in fauces atque æſophagum rapiat. *At quæritur, quomodo Chirurgus ſe gerere debeat, cum deglutio læditur ob faucium & æſophagi vitia, quæ neque dilatorium requirunt, neque infundibulum aut ob ſuffocationis periculum, aut ob inſignem dolorem, admittunt?* Quotidie tres quatuorve clyſteres nutrientes per anum curet infundi, quas feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum in Melchiore Frickhen, ob vulnus in ventriculi fundo acceptum, per quatuor dies ſolis clyſteribus nutrito.

Fig. VIII. exhibet explicationem infundibuli (*Tab. X. Fig. XI. delineati*) cujus anguſtior extremitas convulſis per extremas gingivas faucibus immittitur, latior vero cibum, ex vaſculo (m.) ad latus poſito infuſum recipit & per anguſtam ad æſophagum derivat.

Fig. IX. oſtendit applicationem ſpeculi oris (*Tab. XI Fig. VI.*) quod ad explorandos & curandos faucium affectus ſumme neceſſarium eſt, quoniam non modo, ut ſpeculum ſimplex & commune (*Tab. XI. Fig. V.*) linguam, ſed etiam maxillam inferiorem deprimit, & depreſſam tamdiu facile conſervat, donec loco affecto penitius inſpecto vel inſtrumenta vel medicamenta fuerint adhibita.

TA-



TABVLA TRIGESIMA TERTIA.

De foraminis in palato præter naturam facti obstructione, vinculi sub lingua incisione, uvulæ corruptæ abscissione & inustione, faucibus inhærentium remotione, & meliceridis in maxilla superiori exortæ curatione.

Fig. *I.* monstrat palatum Johannis Rawen/civis Ulmani ex lue Gallica adeo erosum, ut foramen illud in nasi usque cavitatem penetrans vocem articulatam pronuntiari prohiberet. Hoc foramen instrumento aureo (a. T*ab. XI. Fig IV.*) quod spongiolam habet adnexam, obturavi tam exacte, ut patiens animi sui sententiam, veluti sanus, verbis articulatis & distinctis in mediū proferre potuerit. Post usū decocti ex ligno Hydrotici, ulcus ferramentis benè cādentib⁹ aliquoties tactū natura, separatis prius aliquot officulis, carne replevit, repletū ego collutionib⁹ oris, errhinisq; exiccātibus ad cicatricē duxi.

Fig. II. ostendit excrescentiam carnis instar fungi, in anteriore palati parte, retro dentes incisorios exortam, quæ magnitudinem nucis juglandis superavit, & quoties digito, vel etiam lingua, leviter saltem, tangebatur, magnam sanguinis copiam profudit. *de quo casu vid. infra. Observ. 35.*

Fig. III. docet, quomodo juxta Hieronym. Fabricium ab Aquapendente vinculum sub lingua strophiolo apprehensa incidendum sit scalpello falcato, *Tab. XIV. Fig. II.*

Fig. IV. monstrat eandem linguæ chirurgiam. Attollitur enim lingua argenteo elevatorio (*Tab,* XI. *Fig VII.*) & vinculum nimis strictum forfice inciditur.

Vinculi sub lingua incisio.

Usus fere ubique invaluit, ut vinculum linguæ in pueris statim post ortum vel digito frangant obstetrices, vel phlebotomo vulgari imprudenter incidant barbitonsores. Existimant enim juxta opinionem etiam doctissimorum Medicorum auctoritate confirmatam, loquelam integram non futuram, si integrum remaneret hoc vinculum. Sed multum errant. Negandum quidem non est, quod vinculum linguæ nonnūquam correctione opus habeat: Ausim tamen affirmare, intolerabilem esse obstetricum inprimis errorem, quæ fractionem in omnibus tentant, cum sciam, quamplurimos sine hac perfectissime locutos, plures verò ex sanguinis profluvio statim suffocatos, & non paucos paulo post esse mortuos, ob excitatam inflammationem, quæ dolorem efficiens suctionem impedivit. Quodsi igitur tale vitium in lingua suspicamur, expedit chirurgiam vel in tempus locutionis differre, vel petitam statim administrare juxta modum, quem Fabritius ab Aquapend. verbis sequentibus describit.

Præter linguæ depreßionem & detersionem, tertia linguæ chirurgia est, ut administretur, quando subjectum linguæ vinculum inciditur, de qua antequam dico, vos admonitos velim, de obstetricum *ubiq; locorum* temeritate, quæ passim *& sine discrimine* in quocunq; *recens nato* infante, *digiti indicis* ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuo gestant, incidunt sub eorum lingua ligamentum, quod *incisionis* opus, nisi præstarent, posse *in futurum* loqui infantem nequaquam credere possunt: quasi verò natura (*O admirabilem*

& nondum satis deploratam obstetricum fere omnium inscitiam) non possit loqui homo, qui locutionem, tanquam hominis propriam actionem, obtinet, sine alicujus fatuæ mulierculæ opera, quæ ipsi auxilietur, & præsidio sit.

Et ego vidi infantem nuperrime natum, qui dum diutius detinebatur, ut expectaret secundinas, neque plorabat, nec quicquam molestum persentiebat, postquam verò obstetrix vinculum sub lingua imprudenter incidit ungue, statim ex dolore ploravit. Sed hoc minimum est, illud certe longe majoris momenti est, videlicet propter eam unguium chirurgiam, inflammatione oborta sæpenumero infantes papillam *genitricis, aut nutricis conductæ*, apprehendere nequeunt, nec lac sugere, propter quam causam aut sæpissimè moriuntur infantes, aut ob eandem lactantibus intumescunt mammæ, *&* quod adhuc longè pessimum est, parentes *omnem mortis causam* potius vel in partum *præmaturum & difficilem*, vel in simplicem impotentiam apprehendendi papillam, vel in quodcunque aliud *vitium*, quam in veram obstetricis *imperitæ* culpam rejiciunt. Quæ cum verissima *sint*, miror valde, quod lege sancitum, cautumqae non sit, ut prohibeantur infantum neces, *ab obstetricibus sæpissime illatæ*. Vos igitur moneo, ut præcipiatis, ne unquam obstetrices filios, prolemque vestram aut aliorum, *unguibus ad linguam*, attingant. Quod si vinculum illud in lingua majus fuerit, poterit quocunque *ætatis* tempore exscindi, quod ligamento tamen huic raro, imò rarissimè accidit, quia natura non hominem conderet ad loquendum idoneum, nisi etiam instrumenta ad id aptissima construeret, concederetque. Quod si ex centum millibus unus nascitur *infans*, cum ligamento *majore*, quod chirurgiam expostulet, nihil interest, *sive statim post partum sive post lactationis tempus, sive etiam postea, ab exercitato Chirurgo caute incidatur.* Quod si hoc eveniat, solemus præcipere, ut æger linguam extra dentes exerat, quam Celsus quidem Volsellæ *dentata* parte, sed nos forcipe apprehendimus. Interdum neque volsella, neque forcipe linguam apprehendere possumus, ut in infantibus *recens natis*, aut aliis pueris, qui linguam exercere aut nesciunt, aut nolunt.

In his curandum ut plorent, deinde posito inter duos digitos, pollicem *nimirum* & indicem sinistræ manus, linteo quodam tenui & aspero, quo lingua apprehendatur, foras trahatur, sursum revellatur, & incurvetur, ut vinculum appareat, quod dextra tandem manu excidimus. Sumptoque (*non Phlebotomo barbitonsorum vulgari & ad hanc operationem inepto, sed*) scalpello ad cuspidem modice recurvato, vinculum linguæ, *si majus, quam par sit*, transverse secamus, semel, bis, iterumque, donec universum sit dissectum, magna cura adhibita, ne subjecta vasa (*quorum incisionem sequitur sanguinis fluxus, huncque aut suffocatio, aut virium saltem, in hac tenerrima ætate, dispendium*) violentur, quod sub perito Anatomiæ Chirurgo evenire non potest, qui vasa sub lingua exactissime novit, & scalpello falcato evitat. *Hucusque Hieronymus Fabr. ab Aquapend.*

Fig V. monstrat, quomodo uvula ad medietatem sphacelo corrupta per filum admotum & constrictum præcidenda sit, antequam corruptio serpat, & integram uvulam cum vicinis partibus afficiat. Lingua & maxilla inferiore per ministrum speculo oris depressa (*Tab.XXXII.Fig.IX.*) Chirurgus partem uvulæ corruptam annulo (*Tab.IX. Fig.III.*) præparato apprehendat, commodaque manu filum. (b.) validissimè attrahat, atque

atque sic arctissime constringat. Facto ad uvulam nodo, filum (a.) forcipe abscindat, &, extracto annulo, utrumque filum (a.b.) extra os propendere relinquat, donec uvula spontè, vel secundo, vel tertio die, decidat. *Nota* I. Chirurgus Bartholini instrumento instructus speculo oris non indiget, & nictu oculi uvulam abscindere potest. *vid. supr. Tab.IX.Fig.I. & II.*

Nota.II. Si uvula ob influxam pituitam relaxabitur, optimo successu ipsi pulvis simul adstringens & digerens applicatur, *vid.* Tab.IX.Fig.VII.

Fig.VI. docet modum applicandi cauterium (*Tab.IX.Fig.IV. delineatum*) quo bene ignito semel, bis, vel iterum tangitur uvula, ad comprimendum sanguinis fluxum, roborandamque partem residuam, si vel statim, *iuxta Hieronymum Fabricium*, forficula, vel nictu oculi instrumento (*Tab.IX.Fig.I.II.*) abscissa fuerit.

Fig.VII. spina piscis, vel officulum, vel aliud inter comedendum faucibus inhærens, nec in ventriculum descendens cannula argentea (*Tab.X.Fig.II.*) extrahitur.

Faucibus inhærentia convenientibus instrumentis vel extrahuntur, vel in ventriculum depelluntur. Si extranea fuerint in conspectu, volsella recta (*Tab.IV.Fig.I.*) facilè apprehenduntur, è faucibusque eximuntur, adhibito, inter volsellæ usum, oris speculo. Quod si verò spina, officulum, vel aliud quodvis extraneum, lingua speculo oris depressa, in conspectum non veniat, quoniam altius in guttur descendit, tunc illud vel volsella recurvata (*Tab.X Fig.I.*) apprehensum, vel cannulâ (*Tab.X. Fig.II.*) sæpius gulæ immissa impactum extrahitur. Alii penna, aut digitis oleo amygdalarum dulcium inunctis, & in fauces demissis ventriculum à cibo sumpto ad vomendum irritant; ut spina vel quodcunque extraneum una cum cibo rejecto per gulam & os expellatur.

Depulsio extraneorum in ventriculi cavitatem tentatur quando illa neque extrahi instrumentis, neque vomitu expelli queunt. Hinc Hieronym. Fabricius sumit candelam nonnihil incurvatam (*conficitur ex cera alba ad crassitiem digiti minimi*) quam patienti tradit, ut eam ipse in fauces detrudat, donec corpus extraneum in ventriculum descenderit.

Nonnulli in eundem finem bolos extraneo corpore majores ægrum deglutire jubent. Quidam globulum plumbeum filo fortiter alligant, quo sæpius deglutito & retracto extraneum in æsophago firmiter hærens in ventriculum detruditur. Cum autem gulæ quicquid infixum est, nulla ratione per os eximi, nulloque modo in ventriculum detrudi potest, Fabricius ab Aquapend. totum curandi negotium, ex Paulo & Leonide, tempori & naturæ committit.

Fig VIII. ostendit, quomodo ad tumoris tunicati, qui inter musculos superioris labii subortus honestissimam & pulcherrimam matronam planè deformem & melancholicam reddidit, scalpello (c. *Tab.XIV.Fig XVI.*) intra os excisionem, patientis labia minister duobus hamulis diduxerit. vid. infr. histor. 31.

Fig.IX. monstrat tumorem tunicatum, qui inter cutem & musculos maxillæ superioris exortus, propter folliculum adamante (d.) imprudenter ruptum, materiæque contentæ effluxum concidit, & in ulcus degeneravit. Quapropter cutem cum subjecto folliculo

loculo per longitudinem simpliciter incidi, & tunicam à cute & musculis specillo lato separavi, usque ad radicem, quam scalpello (*Tab. VIII. Fig. X.*) præcidi, & ostiolum cauterio actuali (*Tab. XIX. Fig. VIII.*) optimè ignito tetigi, ulcus renovatum deinde, seu vulneris labia linteolis emplasticis cruciatim appositis ad mutuum contactum adducens.

TABVLA TRIGESIMA QVARTA.

De asperæ arteriæ perforatione, tumoris tunicati constrictione, setacei in auriculæ lobo inustione, atheromatis in media fronte suborti excisione, & labiorum vulneris ad mutuum contactum adductione.

F*iguræ quinque priores* docent, quomodo in tumoribus faucium suffocationem minantibus Laryngotomia, quæ in tam periculosis affectibus præsentaneum erigit auxiliũ, ab Anatomiæ peritis tutissimè administretur, de qua operatione tyrones consulant Nicolai Fontani commentarium *super caput 32. opusculi Sebastiani Austrii de morbis puerorũ editi.*

Laryngotomia.

Fig. I. Inclinetur *primo* ægrotantis caput, non solum ut aspera arteria reddatur conspicua, sed etiam, ut longior fiat, ejusque interstitia membranosa magis appareant. *Secundo* infra caput asperæ arteriæ digitis inventum ducatur atramento linea per mediam anterioris colli longitudinem ferè pergens usque ad juguli cavitatem. *Tertio* in eadem colli parte inferior laryngis extremitas quæratur, eaque exactè inventa descendere oportet Chirurgum, usque ad asperæ arteriæ quartum vel quintum circulum, ibique sectionem instituere, ne inflammatio sectioni forte superveniens laryngi communicetur, antea plusquam satis occlusæ. Inter tertium & quartum sectio fit in brevi collo præditis, inter quartum verò & quintum annulum in longiori donatis.

Hunc terminum cognoscimus vel sensu tactus, vel ratione. In collo excarni nos tactus non facilè fallit, in carnoso autem ratione metimur annulorum latitudinem, eorumque numeramus interstitia, ob quam causam contulerit, sæpius asperam arteriam, non solum in dissectis hominum cadaveribus vidisse, sed etiam in vivis, macilentis, & sanis subjectis tetigisse. *Quarto* locus inter duos annulos cartilagineos incidendus, ducta secundum colli latitudinem linea, notetur, cutisque cum adhærente sibi membrana carnosa utrinque ministri digitis, pollice nimirum & indice, apprehensa duplicetur, ita ut linea transversim collo inducta in medio duplicaturæ appareat. Ubi *quinto* lineæ, longa scilicet & transversa, crucem efficiunt, ibi scalpello falcato facienda est sectio (*hic enim nullum est periculum, ut vasa aut musculorum tendines lædantur*) tã longa, ut vulnus digitis dilatatũ transversi pollicis latitudinem adæquet, & scalpelli ancipitis usum admittat.

Fig. II. Sectione cutis & membranæ carnosæ facta, *primo* labia vulneris diducantur digitis, ut, sanguine per spongiam absterso, musculi sternohyeidei appareant: *Secundo*, ubi dictos musculos alba quædam distinguit linea, ibi musculi per longitudinem manubrio scalpelli ancipitis distrahantur, ut aspera arteria, cui immediatè incumbunt, in conspectum veniat.

Fig.



Fig.III. aſpera arteria detecta, vulneris labia utrinque applicito hamulo retuſo conſerventur diducta, donec acie ſpathæ dimidiæ membrana, quæ eſt inter duos aſperæ arteriæ annulos cartilagineos, & atramento tranſverſim inducto exactiſſime reſpondet, tranſverſim fuerit inciſa.

Scalpellus autem tam altè immittatur, ut ad cavitatem aſperæ arteriæ penetret, cujus penetrationis indicium erit ſpiritus, cum murmure per vulnus erumpens.

Fig IV. Laryngotomia finita, vulneri aſperæ arteriæ immittatur cannula foraminata, & ex argento incurvata, ut pro neceſſaria patientis reſpiratione apertum conſervetur. Hæc cannula magnitudini vulneris aſperæ arteriæ reſpondeat exactè, & non modo brevis, ne latera ejus attingat, ſed etiam alata ſit, ne à ſpiritu recipiendo ſimul attrahatur.

Fig.V. Cannula aſperæ arteriæ immiſſa, ne excidat, & ut metu inflammationis ceſſante, extrahi poſſit, duobus filis collo alligatur. Extracta cannula, & renovato, ſi opus fuerit, cutis & membranæ carnoſæ vulnere per ſcarificationem, labia adducantur ſutura, adductaque conſerventur linteolis emplaſticis, & decenti ligatura. *Tumor poſt auriculæ lobum exortus* intra biduum amputatur per validam fili ſerici, tenuis & rubei conſtrictionem, de qua conſulatur *Tabula LV. ſub* Fig.IV. *de tumoribus tunicatis.*

Fig.VI. oſtendit ſetaceum, quod ſiniſtræ auriculæ lobo inuritur ad intercipiendam materiam, quæ illinc per venam acu nunc perforatam & aduſtam quotidie affluxit ad nutriendum & augendum tumorem, qui ex craſſiori baſi de collo propendens, ob venas jugulares, & arteriæ carotidis internum ramum nulla ratione amputari, nulloque modo à cute ſeparari potuit. Eſchara ſetacei butyro ablata, foramini immiſi primo annulum plumbeum, donec illud undique conſolidaretur: quo facto, ſubſtitui annulo plumbeo aureum, margaritaque pulcherrima adornatum, qualem hodie mulieres Arabum in utroque aurium lobo geſtare decorum exiſtimant. Hac annellatione non modo fuit impeditum tumoris incrementum, verum etiam tumor per accidens in tantum decrevit, ut ipſum patiens nobilis induto thorace facili negotio occultare potuerit: *cui volupe, legat Thom. Bartholin. cent. 4. obſerv. 80. de auris perforatione.* Tres ſequentes figuræ monſtrant exciſionem atheromatis, quod in medio frontis enatum ſua magnitudine nucem juglandem ſuperavit.

Fig VII. cutis, quæ atheromatis in fronte folliculum tegit, duplicata tranſverſim inciditur ſcalpello falcato. Circa hanc inciſionem duo notanda cenſeo. I. quod Chirurgus in anatomicis diſſectionibus benè exercitatus cutem neque duplicet, neque ſcalpello falcato incidat, ſed digitis expanſam vel ſcalpello ancipiti, vel alio, ſi manu ſuſpenſa detinentur, facile ſecet citra læſionem folliculi, *ut ex figura octava & nona hujus tabulæ patet.* II. quod aliàs inciſionem frontis tranſverſam conſiderabiles ſequantur affectus: fibræ enim muſculorum frontis tranſverſim diſſectæ importunum ſuperciliorum in palpebras caſum, & nervi ibidem læſi incurabilem palpebrarum paralyſin cauſant, ut hoc Adrianus Spigelius *l. 7. fabric. corp. human. c. 2.* & illud Plempius *Ophthalmograph. l. 1. c. 2.* ac Rolfincius *diſſ. Anatom. l. 1. c. 2. teſtantur.* Quia tamen noſter tumor in medio ferè muſculorum frontis interſtitio oriebatur, ſectioque tranſverſa pau-

cissimas

cissimas musculi dextri fibras lædebat, nam nulla sequebatur aut paralysis, aut alia affectio, quæ palpebrarum elevationem impediret. Hæc figura ostendit insuper in maxilla superiori vulnus linteolis emplasticis unitum.

Fig.VIII. facta simplici cutis incisione, *quam Figura proxime antecedens ostendit*, si tumor tunicatus separari nequit, cruciformis requiritur sectio, quam Chirurgus partim hic, & partim in sequenti figura præstat scalpello recto, quo tamen interdum nimis velociter inciditur cutis, atque tunc huic subjecta tumoris tunica necessario læditur. Hinc moderni Chirurgi meo judicio rectius sequuntur Anatomicos, cutem abdominis scalpello ancipiti cruciatim incidentes, & citra læsionem à panniculo carnoso separantes.

Fig. IX. monstrat duos cutis angulos a folliculo atheromatis jam per manubrium scalpelli osseum separatos, at, quoniam ad tumoris excisionem non sufficiunt, Chirurgus reliquam cutis partem, quæ adhuc integra est, scalpello recto incidit. *Plura de amputandi & separandi tumores tunicatos ratione, tyrones invenient sub explicatione Fig. IV. Tab. LV.*

TABULA TRIGESIMA QUINTA.

De Paracentesi thoracis, vulnerumque & fistularum pectoralium curatione.

FIg. I. ostendit tyronibus chirurgiæ duodecim thoracis costas omnino detectas, suisque numeris signatas, ut ea, quæ de paracentesi dicenda sunt, melius & facilius intelligant.

Fig. II. monstrat musculos costarum externos, & internos, qui in empyemate scalpello perfodiuntur. Locus autem, in quo aperitur pectus, juxta Autores variat. Hippocrates enim eligit interstitium costarum septimum (o.) Paulus quintum (a) & nonnulli ex recentioribus sextum. (e.) quod inter Pauli & Hippocratis locũ mediam occupat sedem.

Fig. III. & IV. varia exhibet instrumenta, scalpellum scilicet falcatum (b. *Tab. XIV. Fig. I.*) & ancipitem (d. *Tab. II. Fig. I.*) siphonem (f. *Tab. XIII. Fig. I.*) filum triplicatum (c.) cannulam alatam (i. *Tab. XIII.*) pileolum argenteum (u. *Tab. XIII. Fig. VIII. &c.*) spongiolam (æ.) instrumentum Hieronym. Fabric. ab Aquap. (*h. l. Tab. XIV.*) Syringotomum (k. *Tab. XIV. Fig. IX. Fig. XV. & XVI.*) & catheterem aureum (m. n. *Tab. XIII. Fig. XII. & XIII.*) quibus omnibus in empyemate, vulneribusque & fistulis thoracis Chirurgo opus est.

Fig V. ostendit non modo rationem extrahendi materiam fluxilem è cavo thoracis, cujus alto vulneri (p.) canalis aureus (m *Fig. IV.*) videtur immissus; sed etiam juxta recentiores cutem duplicatam scalpello falcato (b. *Fig. IV.*) incidendi, ante musculorum intercostalium spathâ (d. *Fig. VI.*) perforationem.

Fig. VI. vulnere cutis, eique adhærentium partium gladioli opera facto (b. *Fig.* V.) interstitium costarum (q.) à recentioribus spatha (d.) pertunditur.

Fig. VII. vulnus in thoracis cavitatem penetrans ob nimiam angustiam dilatatur scalpello falcato, quod in apice argenteum habet globulum, ne pulmones apicis acumine lædantur.

Fig.

TABULA. XXXV




Fig VIII. ostendit *in dextro pectoris la ere* sinum non modo subcutaneum, sed & callosum, qui Syringotomo (k.) totus inciditur. Hic enim ad cuspidis extremitatem globulo cereo donatus, ne in immissione carnes pungendo dolorem excitet, fistulæ sensim & sensim immittitur, & ad fundum ejus pertingens per cutem callosam dextra adigitur, ut cuspis Syringotomi, globulo cereo intra ulcus remanente, per foramen recenter factum exeat, qua digitis sinistræ apprehensa, amborum sinus foraminum interstitium, uno ferè oculi nictu dissecatur. *In sinistro thoracis latere* monstrat applicationem instrumenti (h.) quo Hieronym. Fabric. ab Aquapend. pertundit fistulas, à spatio intercostali superiore subtus costam unam vel alteram sese insinuantes, donec in aliquod costarum subjectarum spatium terminentur.

Immittitur autem cannulæ argenteæ & incurvatæ (l.) extremitas inter pleuram & costas usque ad fistulæ fundum, ita ut spectet exterius: quo facto per cannulam fistulæ subtercostali immissam impellitur acus (h.) longa, & longe à cuspide filum ducens, ut fistulæ fundus perforetur, & filum per utramque fistulæ portam, superiorem scilicet & inferiorem, propendeat. Perforato fistulæ hujus fundo, retrahatur acus immissa per superius foramen, & ambæ fili extremitates colligantur, arcteque connectantur, & ambo fistulæ foramina teneantur aperta, ut materia purulenta liberè per foramen inferius effluere possit, donec sinus subtercostalis vel carne repleatur vel agglutinetur.

De Empyematis. per paracentesin thoracis, curatione.

Ante paracentesin, seu thoracis apertionem quatuor nobis consideranda sunt. *Primo*, an sit facienda, nec ne? *secundo*, quo tempore instituenda? *tertio*, quo in loco? & *quarto*, quibus instrumentis & quo operandi modo?

I. *An sit facienda* significabunt quatuor, morbus scilicet, anni tempus, vires ægri, & magnitudo mali, seu quantitas materiæ evacuandæ.

I. *Morbus*, pectoris apertionem requirens, empyema dicitur, cum scilicet in capacitate thoracis, seu spatio, quod est inter thoracem & pulmones, *vel pus* ex rupto abscessu pulmonum aut pleuræ, *vel biliosus ichor* ex erysipelate dictarum partium, *vel serosus humor* ex hydrope thoracis, *vel sanguis ex vulnere*, aut vena intus disrupta colligitur, ad cujus curationem convenientissimum, tutissimum, citissimum auxilium est paracentesis, quando collecta materia *neque per sputum*, *neque per urinam*, *neque per alvum* assumptis medicamentis extrahi potest. Hanc collectionem verò cujuscunque materiæ dignoscimus, *primo*, ex respiratione, quæ tantum est difficilis in inspiratione, ob pulmones, propter materiam collectam, liberè se expandere non valentes; facilis verò in exspiratione, cum materia suo pondere pulmones comprimat: *Secundo*, ex pulsibus celeribus, vehementibus, frequentibus, parvis, inæqualibus & inordinatis: *Tertio* ex prægressa febre, cum accidentibus vehementioribus: *Quarto* ex decubitu in sanum latus difficili, quia materia peccans in tali patientis situ pulmones adeo comprimit, ut liberè moveri nequeant: *Quinto*, ex inundatione, quæ interdum in thoracis cavo percipitur; *Sexto* ex tussi, tunc saltem empyemati conjuncta, quando scilicet materia in brõchiis pulmonum continetur, & interiorem asperæ arteriæ tunicam, ejusque summum caput partes certè exquisito sensu præditas, sua vel copia, vel acrimonia ad expulsionem irritando, tussim excitat.

2. *Anni quoque tempus*, vel aëris potius temperamentũ considerandum est. Hippocrates enim solstitium hyemale & æstivum, si per occasionem licet, evitare jubet, quod iis temporibus maxima & quasi repentina fiat permutatio aëris, qui semper post apertionem cavum thoracis ingreditur, præsertim vero, dum materia per viam paracentesi paratam egreditur: quare, quantum licet & possibile est, dicta tempora sunt fugienda.

3. *Vires ægri* nisi bene aut mediocriter constent, intermittenda erit paracentesis, ne, ægro mortuo, diffametur nobilissimum alias & tutissimum præsidium. Metiuntur autem vires Medici constantes plerumque ex pulsibus, qui tamen Medicos in hoc casu decipere possunt, cum materia in thorace ægri adhuc satis validi collecta pulsus faciat, virium debilitatem denunciantes, utpote parvos, celeres, frequentes, & inordinatos. Certissimum tamen virium, si constant, signum est, cum ægri vel sedere, vel ambulare possunt, hocque aut naturæ beneficio valentis, aut scipionis alicujus subsidio.

4. *Quantitas materiæ* in thoracis cavo pauca non indiget paracentesi: natura enim ipsam vel insensibiliter digeret, vel per dicta loca è corpore secernet. Si verò quantitas materiæ magna fuerit, sine mora & incunctanter instituenda est apertio thoracis, ne copia materiæ suffocetur æger, & qualitate prava pulmones corrumpantur.

II. *Sed quo tempore?* Id nobis insinuasse videtur Hippocrates *l. 6. epid. s. 7. text. 9.* inquiens: *hydropicos in thorace θᾶσσον secare oportet, tabescentes verò αὐτίκα urere. Interpretes utrumque vocabulum verterunt, statim, sed θᾶσσον hic minus significat; quasi Hippocrates dicat, Hydropicos minus citò; Tabescentes verò citissime seu statim secandos aut urendos esse.* In hydrope thoracis non opus est, ut statim ab initio morbi fiat operatio, quia materia serosa sensim colligitur in thorace, & tunc nocere incipit, quando partes respirationi dicatas quantitate nimium aggravat. At tabescentibus & empyematicis, purulentam materiam, rupta vomica, unico quasi tractu colligentibus statim thorax aperiendus, 1. ne ipsi suffocentur à puris copia pulmonum dilatationem impediente. 2. ne in ipsorum pulmonibus, aliave thoracis parte ob puris acrimoniam ulcus oriatur, quod aut nullius aut difficilimæ est curationis.

III. *Quo loco?* in quo tutissime apertio fieri potest. Loca autem sunt multiplicia, anterior scilicet, posterior, & lateralis. Sed anterius & posterius, neque bene, neque tuto instituitur paracentesis, propter musculum pectoralem & musculos dorsi admodum nervosos, quorum incisio valde est periculosa. Restat igitur, ut apertio thoracis fiat in latere, ubi costæ aream formare incipiunt, & musculi non ita adhærent pectori. Latus thoracis dividitur in partem superiorem & inferiorem. Hinc Paulus *l. 6. c. 44.* in superiori lateris parte (*inter costam scilicet quintam & sextam, numerando à supernis, a. Fig. II.*) Hippocrates verò *l. 2. de morb.* in inferiori (*inter costam nimirum septimam & octavam* (o. Fig. II *à supernis etiam numerando*) thoracem aperit. Hippocrates quidem, *loco allegato*, ad paracentesin denominat interstitium costæ tertiæ & quartæ ab ultima, inferne sursum numerans, quia tamen is ipse duodecimam, ut tactu difficilem, haud numerat, suumque numerum ab undecima incipit exclusive, locus ejus coincidit cum interstitio (o. *Fig. II.*) quod est inter costam septimam & octavam. Paulus, quem imitatur experientissimus Fabricius ab Aquap. ad locum suum inveniendum, numeratis vertebris thoracis, inter quintam & sextam vertebram, in apice spinæ dorsi, filum imponit, illudque ad medium sternum deducit: deinde tertiam fili (c. *Fig. III.*) partem sumit, eamque à sterno versus spinam thoraci adhibet, & locum, quo altera fili triplicati extremitas pertingit, atramento signat. Hic Pauli locus in quibusdam fere rectam & perpendicularem lineam cum papilla mammarum facit. *Fig. V. & VI.* Hippocrates eligit eminentiam seu flexuram costarum, ad evitandos tamen musculos nervosos, non super illam, aut retro versus dorsum, sed paulo anterius versus sternum, apertionem suam instituit. Videtur quidem in hoc Hippocratis loco periclitari diaphragma: in nullo tamen versatur periculo, quia materiæ copia depressum, ubi costis adhæret, tam alte non ascendit, ut scalpello lædi possit. In quo latere collecta sentitur materia, in illa paracentesis molienda est. Si igitur in parte dextra, in latere dextro aperiatur thorax: si in sinistra in sinistro, si in utraque in utroque. Ex recensitis locis certe optimus & Hippocraticus, eo quod pus aliave materia in thorace collecta, ob decliviorem apertionis situm, melius effluat, quam in Paulino. Paulinus tamen non simpliciter contemnendus est, siquidem, re paulo diligentius considerata, in latere dextro locus Pauli Hippocratico præferendus videtur, quia hepar gibba sui parte diaphragma sursum pellit.

In latere sinistro, si administranda fuerit apertio thoracis, *quia diaphragma ob humiliorem lienis situm minus ascendit, & copia materiæ ad inferiora truditur*, eligendus est locus vel Hippocraticus, (*unde Hippocrates l. 2. de morb. inquit: optandum esset, ut in sinistra parte materia evacuanda semper decumberet*) vel ille, qui inter Paulinum & Hippocraticum mediam occupat sedem. In vivis namque non ita altè ascendit diaphragma, ut in demortuis. His igitur in locis thorax aperitur sine læsione vasorum, pericardii, pulmonum, mediastini, & diaphragmatis.

IV. *Qua ratione & modo?* Apertio thoracis vel fit sectione, vel ustione, vel perforatione. Sectionis & ustionis mentionẽ Hippocr. facit *sect. 7. aph. 47.* perforationis verò *l. 2. de morb.* in his trib⁹ modis considerãdus est ægri decubitus, respiratio, instrumenta, & operatio.

Decubitum quod attinet, æger corpus & brachium lateris aperiendi in media teneat figura, ne musculi nimium contrahantur: unde, in loco Pauli si instituitur paracentesis, supinus jaceat æger, in Hippocratis autem pronus.

Respirationem quod concernit, Chirurgus Pauli locum eligens jubeat ægrum respirare, ut pulmones concidant: cui verò locus Hippocratis placet, is patienti imperet, ut, ad deprimendum diaphragma, spiritum contineat. *Instrumenta* ad paracentesin necessaria, pro vario operandi modo, multum variant. Hippocrates enim ad sectionem thoracis solo utitur scalpello ancipiti (Fig. III. d.) Paulus verò thoracem aperit unico σκολοπομαχαιρίῳ, seu scalpello falcato (Fig. III. b.) Recentiores quidam utrimq; in hac operatione adhibent scalpellum, ancipitem scilicet primo & falcatum deinde, prout Fig. V. & VI. ostendit. Hippocrates suppuratos inurit cauterio cultellari, seu scalpello ignito, quod quidem est oblongum, non tamen admodum crassum, eo quod, post inustionem, eschara decidente, foramen majus fiat, quam scalpelli est crassities. Is idem Hippocrates empyematicis thoracem aperit, commodam costam terebra cava & ad cochleæ formam fabrefacta (*solidæ enim, quibus sutores calceorum soleas trajiciunt, ut periculosæ rejiciũtur*) perforanda. Pro diversitate quoq; materiæ (*quæ nũc tenuis est, nũc crassior in thoracis cavo colligitur*

tur) modus operandi variat juxta Paulum & Hippocratem, qui in craſſa collectione pectus ſectione, in tenui verò vel ſectione vel uſtione aperiendum eſſe cenſent. Recentiores tamen periculoſæ veterum uſtioni & perforationi haud immerito præferunt ſectionem, quam minorem faciunt in hydrope thoracis, majorem in ſuppuratis, & maximam in materiæ craſſæ, ſeu pituitoſæ collectione. *Sectio autem thoracis juxta Hippocratem ita inſtituitur.* Invento, ſignatoque per atramentum loco ſectionis, æger in medio collocetur ſitu, ipſique thorax ſcalpello ancipiti (*d. Fig. III. & VI.*) cui Paulus Scolopomacherium ſubſtituit, oblique poſteriora & ſuperiora verſus incidatur.

Scalpellus autem Hippocratis linteamine quodam obligatus (*ita ut cuſpis, ſeu ſumma ipſius extremitas ad latitudinem magni digiti expedita reſtet, nec altius forte, quam par eſt, intromiſſa partes pectoris internas lædat*) muſculiſque coſtarum externis adhibitus ſenſim & ſenſim adigatur, donec ultra pleuram in thoracis cavitatem penetret. Quod ſi vulnus præter ſpem Medici anguſtius factum fuerit, aut materia craſſior extiterit, tunc vel illud ſcalpello falcato (b. Fig. VII.) qui in extremitate ſua obſtaculum habet argenteum, ſufficienter dilatandum, vel hæc ad facilitandam ejus evacuationem attenuanda eſt, thoraci per ſiphonem (f. Fig. III.) injecta mulſa ſimplici. Ego tamen in ſummo ſuffocationis periculo vulneris dilatationem, quæ cito, & tuto fit, longe præferrem mulſæ injectioni, quæ, nô diminuta prius empyematis materia, pectoris anguſtiam procul dubio adauget.

Finita paracenteſi, emittatur per thoracis vulnus empyematis materia paulatim & partitis vicibus, quotidie ſcil. ad ℥vj. ſemel vel bis, prout vires ægri ferunt.

Ægri namque, qui ob confertim & unica vice emiſſam materiam viribus exhauſti non moriuntur, ob ſubitaneam tamen naturæ mutationem certè majus priori empyema expectare debent: natura enim, ſi aſſueta ſibi materia univerſim & ſimul tota evacuatur, ad correctionem vacui ſubito exorti, transmittit multos ex reliquo corporis humores, adeo, ut empyema & majus priori & pejus oriatur. Poſt emiſſam dicta quantitate materiam vulnus, à prima die uſque ad undecimam, turunda tantum ex ſtupa cannabina, vel lino crudo confecta, filoque alligata obturetur, & ubi materia ferè omnis evacuata fuerit, per quinque dies mixtura vini & olei tepefacta Syringæ beneficio infundatur thoraci (ne pulmones humidis diutius aſſueti derepente exſiccentur) vulnerique indatur cannula alata (i. Fig. III.) cujus orificium turunda obſtruatur, ne vulnus tempeſtive concidat, & liquor immiſſus ſtatim effluat; mane enim thoraci infuſa ad veſperam evacuanda ſunt, &, quæ veſperi injiciuntur, mane ſequenti emittenda. Poſt decimam quintam ſectionis diē, ne vulnus in fiſtulam immedicabilem degeneret, & vel minimum materiæ in thoracis cavo remaneat, cannulæ argenteæ ſubſtituatur turunda cava, paranda ex linteo cera alba bene oblinita. Quando thorax omnino exſiccatus eſt, turunda illa ex linteo incerato cava, quotidie tenuior & brevior reddatur, donec vulnus paulatim carne ſolida repletum tuta cicatrice obduci poſſit. In materia vero ſeroſa, aut pure tenui, ſtatim poſt apertionem thoracis, vulneri imponatur exacte reſpondens cannula argentea, & emiſſa, quantum vires concedunt, materiâ, alatum cannulæ orificium turunda ex lino contorta obturetur, non ſolum, ne pus tenue vel aqua univerſim effluat, & ægri ob nimiam ſpirituum diſſipationem (*juxta Hipp. ſect. 6. aph. 27.*) moriantur, ſed etiam,

iam, ut Chirurgus extracto cannulæ pennicillo, tantum materiæ collectæ, quantum ratio virium permittit, evacuare poſſit. Quod ſi ob aeris frigiditatem (*iis præſertim regionibus, in quibus ægri cubile calefieri nequit*) viriumque debilitatem conſultum non eſt, ut quotidie ſemel aut bis concedatur materiæ effluxus, canalis argenteus, immiſſa prius in orificium ſpongiâ, pileolo argenteo obtegendus, & commodæ beneficio faſciæ in vulnere conſervandus eſt, ut materia evacuanda per ſpongiam cannulæ immiſſam & foramina pileoli argentei, citra læſionem ex aere frigidiore metuendam, citraque virium jacturam, omni ferè momento paulatim quaſi tranſudet. Canalem, pileum & ſpongiam, quorum facta hic mentio, oſtendit i. æ. u. Tabul. hujus. Fig. III.

De vulneribus thoracis in genere.

Vulnus thoraci inflictum, vel in thoracis cavitatem penetrat, vel non. Si vulnus penetrat vel eſt anguſtum, vel latum, & utrumque vel cum partium internarum læſione, vel citra eam exiſtit. Vulnus infra ſextam thoracis coſtam acceptum, ſi in cavitatem penetrat & ſine partium internarum læſione ſatis latum eſt, Chirurgus non conſuat, nec per primam intentionem curet, ne materiæ, quæ in cavitatem thoracis fluxit, cum ægrotantis vitæ periculo, præcludatur exitus: ſed ipſi prima die immittat turundam ex lino crudo paratam, filo alligatam, & ſtegnoticis imbutam, ut apertum maneat vulnus, & prohibeatur maior ſanguinis collectio, citra metum, ne æger reſpirans turundam in thoracis cavitatem rapiat. Secundo & reliquis diebus idem vulnus turunda ex linteo detrito confecta, & medicamento pus movente imbuta digerat & apertum conſervet, ut materia collecta libere poſſit expurgari. Quod ſi materia in thorace collecta ob craſſitiem per vulnus dictum exire nequeat, Chirurgus illam attenuet iniectis per aliquot dies lavacris (*ex decoctione hordei, paſſularum minorum & mello roſaceo deſpumato*) vulnerique imponat cannulam argenteam (i. Fig. III.) digeſtivo oblinitam, ſpongia (æ. Fig. III.) obturatam, & pileolo (u. Fig. III.) coopertam, ut pus, iniectaque per Syphonem decoctio ſenſim & ſenſim expurgetur. Materia purulenta convenienter expurgata, Chirurgus loco cannulæ argenteæ vulneri immittat turundam ex linteo incerato cavam, medicamentoq; ſarcotico imbutam, quam, ne carnis generationem impediat, quotidie tenuiorem & breviorem facere neceſſe eſt, ut in paracenteſis vulnere monui. Quando vulnus infra ſextam coſtam thoraci inflictum, & citra partium internarum læſionem penetrans nimis fuerit anguſtum, Chirurgus illud ſtatim dilatet ſcalpello falcato (b. Fig. III. & VII.) ad materiam expurgandam.

Vulnus ſupra quintam thoracis coſtam penetrans, nullamque partem internam offendens (*ſive latum ſive anguſtum fuerit*) Chirurgus turunda ſtegnotico imbuta & filo alligata apertum conſervet, ut vel eodem vel ſequenti die ſanguinem in thorace collectum, nec adhuc concretum, per applicitum canalem (m. Fig. IV. & V.) extrahere poſſit. Quod ſi vero ſanguis vel ob craſſitiem, vel ob altiorem vulneris ſitum per hunc canalem attractus effluere nolit, Chirurgus apertionem thoracis maturè proponat, eamque ab ægro vel adſtantibus conceſſam peragat modo, in empyematis per paracenteſin cura fuſius tradito. Hoc præſentaneum chirurgiæ præſidium ægro non admittente, cum materia per alti vulneris orificium, vel per ſe ſatis latum, vel ſcalpello dilatatum, effluere nequeat,

queat,illam,indicato prius ægrotanti periculo,exhibitis potius diureticis,quam medicamentis expectorantibus evacuare tentet.

In vulneribus thoracis cum parva pulmonum, vel diaphragmatis ad partem carnosam læsione, Chirurgus non modo statim procuret materiæ vel per vulnus ex se latum, vel scalpello dilatatum,vel novum,vel per vias urinarias expurgationem, sed etiam beneficio Siphonis thoraci infundat decoctum primo venas sanguinem fundentes constringens, secundo materiam crassam attenuans,tertio vulnus internum detergens, & quarto illud consolidans.

TABULA TRIGESIMA SEXTA.

De modo extrahendi occultas lactantium papillas, aperiendi maturos mammarum abscessus,abscindendi mammas cancrosas, & ligandi thoracem vinculo Sostrati & cataphracta Galeni.

Fig.I.ostendit in mamma dextra extractionem papillæ,in sinistra apertionem abscessus. Papillæ lactantium non raro intra mammas ita occultantur,ut infans recens natus eas ore apprehendere ad lactendum nequeat.In hoc casu necessarium est,ut vel nutrix infantis basin instrumenti suctorii. (*Tab.XII.Fig.VIII.*) papillæ latenti admoveat, & beneficio fasciæ(a,)eam mammæ alliget;deinde orificium fistulæ (b.) vitreæ proprio apprehendat ore,& valido suctu papillam extrahat;vel puella natu grandior mammæ areolam apprehendens labiis,fortiter sugendo latitantem papillam evocet; vel alius, Amati Lusitani consilio,commune angustioris orificii vitrum aqua ferventi impleat,quã, eo impense calefacto,rursus effundat,vitrique orificium statim papillæ admoveat;hoc namque subito papillæ firmiter adhæret, eamque tam valide extrahit, ut ore infantis facilime apprehendi possit.Hi tres suctionis modi non solum papillas, verum etiam lac evocant.Quod si consultum non est,ut simul cum papillis extrahatur lac,ipsis tutissime applicatur digitale,ex ligno hederæ paratum.

Tumores mammarum suppurati sæpius sponte rumpuntur: interdum verò spontanea illa abscessus ruptura ob situs profunditatem purisque crassitiem longius protrahitur,quam vires doloris vehementia jam perpessi & adhuc durantis debilitatæ concedunt,& tunc necesse est, apostema incidere scalpello, quod tamen pueri & fœminæ difficulter admittunt.Quare Chirurgus dextræ manus indici annulum aureũ (*Tab.XIV. Fig XIV.*) adhibeat,& insciis ægrotante & adstantibus,quasi aliud acturus abscessum scalpelli (c.) annulo absconditi acumine incidat.Hæc decipiens ratio aperiendi apostemata, non tantum in abscessibus mammarum, sed & reliquarum corporis partium, quando patientes timidi scalpellum recusant,observari debet.

Fig.II ostendit mammæ sinistræ carcinomate exulcerato affectæ basin, duabus acubus(*Tab.XIV.Fig.VIII.*) filum ex lino contortum trahentibus trajectam.

Fig.III. monstrat,quomodo Chirurgus omnia filorum transmissorum capita manu sinistra(d.)colligat,& mammam cancrosam scalpello ancipiti (*Tab.XIV.Fig.VII.*) in dextra comprehenso radicitus abscindat.

Fig.IV. exhibet cancrum à pectore abscissum,qui sex libras medicinales pependit.

Fig.



*Fig.V.*docet,quomodo Chirurgus, post abscissionem mammæ cancroso ulcere affectæ locum ferramento bene ignito (*Tab.*XIX.*Fig.*I.*&*II.) leniter adurat. *vid.inf.obs.*44.

*Fig.VI.*ostendit deligaturam thoracis,seuSostrati vinculum,quod maximè convenit, ubi pectus morbo deligationem requirente afficitur *Hanc Galenus l.de fasc.c.* 81. *ita describit.* Rectum Sostrati vinculum maximè convenit,ubi medium pectus,vel dorsum & latera,seu thoracem(*vel ob vulnus & fistulam thoracis,vel ob fracturam costæ*)volumus devincire:duas igitur fasciolas(g.)tres digitos latas,justæ longitudinis,summis humerorum capitibus injicimus,earumque ambo capita recta finimus dependere: deinde fascia glomerata(1.)vel unius capitis (*vid.Tab.LI.Fig.*I.E. F.) thoracem totum obvolvimus & latera,ut contegantur, extremamque fasciam nodo alligamus: capita vero (h.) quæ & à priori & posteriori parte pendebant,fasciæ circuitibus (1.)assuimus, ac, si longiora fuerint,sursum conversa,quæ jugulum cum lato scapularum osse committitur inter se colligamus.

*Fig.VII.*exhibet deligaturam pectoris,*quam Galenus cataphractam vocat, & describit l. de fasciis c.*79.Deligatura cataphractæ nomen habet à similitudine thoracis Romani, & prodest iis,quibus deligare juxta iugulum convenit latum scapularum os, pectus, dorsum aut latera.Fascia autem unius capitis glomerata(*vid.Tab.LI.Fig.I.E.F.*)ita obvolvitur. Alæ primo circumdatur,tum oblique per pectus ducitur prope illam regionem,ubi iugulum cum osse pectoris committitur,inde per cervices ad latum scapularum os humeri contrarii atque ad alam subiectam, ab eoq; ad cervices super partem prius iniectam, ita ut prope cervices similitudo X.literæ fiat, post hæc obliqua datur ad latũ scapularũ os ex altera parte,atque ad alam,ab ala ad cervices,ut in vertebra colli X.literæ figuram accipiat,deinceps sub ala & oblique propè regionem, ubi iugulum cum osse pectoris committitur,sic,ut hic quoque similitudo X.literæ repræsentet,nimirum semel à priori parte,semel à posteriori,bis prope iugulum.

Ad eandem autem rationem, quoties opus est,circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera sic,ut tota iunctura thoracem referat.

TABVLA TRIGESIMA SEPTIMA.

De ratione dilatandi angusta, & magna in abdomine vulnera consuendi, modoque duplici hernias umbilicales curandi.

Fig.I.docet modum,quo vulnus abdominis penetrans & angustum tuto dilatatur,ut intestina prolapsa facile reponi possint.Ex vulnere enim abdominis penetrante, vel prolabitur omentũ,vel intestinũ,vel utrũq,. Si omentum prolapsum fuerit, Chirurgus cõsideret,an illud sanum adhuc sit,an putrefactũ?Sanum vino calido statim lavet.eoq; digitis blande in abdomen reducto,labia vulneris coniuncta fibulis(*Fig.II.*)conservet.

Putrefactum verò omentum magis extrahat, & in confinio sani serico simplici & rubro arctissimè stringat, portionem corruptam, supra fili serici stricturam, scalpello abscindat, reliquumque, quod sanum adhuc est, vino calido abluat, & blan-

de in

de in abdomen mittat, filo longo extrorſum propendente. Repoſito omento vulneris labia ad mutuum contactum adducat, adductaque fibulis (Fig.II.) cuſtodiat, turunda tamen linea tam diu conſervans foramen, per quod fili omento annexi extremitas propendet, donec natura conſtrictam omenti portionem ſeparaverit.


Quod ſi inteſtinum de loco excidit, illud Chirurgus ſtatim, antequam ſcilicet intumeſcat flatibus, digitis citra violentiam in abdomen recondat. Aliquando inteſtinum prolapſum, ob longam extra ventrem moram, & frigidi aëris contactum, flatibus adeo fit turgidum, ut ſola manuum opera intromitti non poſſit. In hoc caſu Chrirurgus inteſtinum valde inflatum, vel ſpongia in vino albo & calenti imbuta, vel maſſa lini cruda, in lixivio acri decocta & expreſſa tam diu foveat, donec flatibus diſcuſſis illud in ſuam cavitatem reduci, & vulnus fibulis (Fig.II.) uniri poſſit. Si tentata flatuum diſcuſſione inteſtinum reductori adhuc periculoſe reſiſtit, tunc neceſſum eſt, ut Chirurgus abdominis vulnus, proturgidi repoſitione inteſtini anguſtius, Syringotomo ſufficienter dilatat, &, repoſito inteſtino, gaſtroraphia (Fig.II.) iterum uniat. Cum ſub magno abdominis vulnere inteſtinum aliquod craſſum cæſim vulneratum fuerit, tunc Chirurgus illud, quantum poſſibile, blanda manu extrahat, & unus eo modo conſuat, quo pelliones pelles ſuas conſuere ſolent, relinquens tam longam fili ex lino contorti portionem, ut extra abdomen propendere poſſit.

Conſutum inteſtinum vino calido abluat, &, pulveribus (ex thure, maſtiche &c.) ſuturæ inſperſis, ſenſim in priſtinum reponat locum, deinde vulnerati abdominis labia ad mutuum contactum fibulis (Fig.II.) decenter adducat, propendente per foramen (*turunda conſervandum*) fili inteſtino adhærentis extremitate.

Fig.II. docet Gaſtroraphiam, qua partim à Galeno *libr.6.meth.med.c.4.* & partim ab Albacuſi *l.2.c.87.* deſcripta, vulneris in abdomine accepti labia ad mutuũ contactum adducta tuto conſervantur, ne repoſita inteſtina rurſus prorumpant: conſuitur enim in noſtra Figura, juxta Galeni mentem, peritonæum cum muſculis, & muſculi cum peritonæo: perforatisque ambobus labiis, juxta Albacuſin, eximitur acus, & connexis fili extremitatibus fit punctum. Collocetur patiens in loco lucido, vel ſupinus, vel in latus vulneri oppoſitum, ut eo minus impetum ad vulnus faciant inteſtina. Hoc facto, Miniſter manibus apprehendat labia & Chirurgo tantam vulneris partem porrigat, quanta ad conſuendum eſt neceſſaria; Chirurgus autem infigat (1.) acum, quæ filũ ex lino contortum trahit, ab externis (d.) introrſum, per cutem ſcilicet & muſculos ipſi ſubjectos uſque ad peritonæum; deinde intacto peritonæo hujus partis (d.) per alterius partis (c.) peritonæum atque etiam per muſculos & cutem, ab internis ad extra, acum tranſmittat, poſt, exempta acu, ambo fili capita conſtringat, punctumque faciat.

Hinc (2.) interjecto ſpatio unius digiti tranſverſi, per abdomen ejuſdem partis (c.) ac externis introrſum, intacto peritonæo acum tranſigat, poſtea per alterius partis (d) peritonæum, muſculos & cutem, ab internis ad extra, acum tranſmittat, punctumque faciat. Et ſic deinceps (3.4.5.& 6.) pergat, modo perforans, modo præteriens peritonæum, donec tot fecerit puncta, quot ad perfectam abdominſs ſuturam fuerint neceſſaria. Chirurgus ſemper gaſtrorophiam in decliviori vulneris loco incipiat,

ea[illegible]e



eaque ad finem perducta primum punctum ſcalpello incidat, ut immiſſo datæ portæ penicillo vulneratum abdòmen quotidie expurgari poſſit. Hæc ratio conſuendi abdomen obſervari etiam debet, poſt partum Cæſareum, de quo Tab. 42.

Tres ſequentes figuræ oſtendunt prominentiæ umbilicalis chirurgiam, quam laudant caſtratores quidam, ſequentes ex parte Celſum, qui *l. 7. c. 14.* reſupinato corpore ægrotantis (*ut ſive omentum, ſive inteſtinum, ſive utrumque, per umbilicum plærumque dilatatum prolabitur, vel ſponte recedat*) umbilicum forcipe apprehendit, ad ſe trahit, & ad baſin acu (*quæ duo fila ſerica ſimplicia & rubeo colore infecta, ducit*) trajicit: poſtea filorum anſam ſcalpello incidit, & colligatis utriuſque fili extremitatibus umbilici exaltati baſin validiſſime conſtringit, ut id, quod ſupra vinculum eſt, paulatim emoriatur & tandem decidat.

Fig. III. prominentia umbilici manu ſiniſtra apprehenditur ipſique dextra retinaculum (e.) applicatur, ut acu tuto poſſit perforari.

Fig. IV. umbilicus elevatus ad baſin, ſupra retinaculum (e.) applicitum, acu (f.) ducente filum validiſſimum trajicitur.

Fig. V. umbilicus in baſi perforatus oſtenditur colligatis fili extremitatibus in latero dextro & ſiniſtro arctiſſime conſtringendus, prout Fig. III. Tab. XXXIX. docet.

Quoniam verò neque deſcriptam Celſi, neque depictam Caſtratorum chirurgiam ægri herniam umbilicalem patientes facile admittunt, Fabricius ab Aquapendente mitiorem curandi modum excogitavit, quem ſæpiſſime bono ſucceſſu expertus ſum, apponens loco affecto ceratum Fabricii conſtrictivum, & cingulum ejus umbilicale, ut Figuræ ſequentes oſtendunt.

Fig. VI. eſt cingulum Fabricii umbilicale (h.) ex linteo duplici goſſipino paratum, quod ea parte, qua umbilicum contegit, ſcutum continet duriuſculum (i.) in cujus centro eſt globulus ex adſtricto linteo paratus, qui in umbilici dilatationem ſe ſe inſinuet, ut repoſita rurſus exire prohibeat: ſed prius ceratum conſtrictivum, ſuper alutam extenſum, debet apponi, poſtea cingulo applicito abdomen conſtringi. Aliqui cingulo huic Fabriciano (h.) addunt faſcias ſcapulares (k. l.) ut tribus transverſis linteis (m. n. o.) colligatæ cingulum humeris annectant, ne deſcendat, & ut firmiter regioni umbilicali inhæreat. Sed faſciæ ſcapulares non ſunt neceſſariæ, quoniam oſſa ilii deſcenſionem cinguli, ſubligamina verò (p. q.) ejuſdem aſcenſionem prohibent.

Fig. VII. exhibet cinguli modo deſcripti applicationem, in viro herniam umbilicalem patiente: hoc deligandi modo in multis tam viris, quam fœminis, cum adultis tum pueris mediocres umbilici prominentias curavi, & mediocribus majores, ne creverint, prohibui.

TABVLA TRIGESIMA OCTAVA.

De paracenteſi abdominis, bracheriis inguini applicandis, & apparatu neceſſario ad caſtrationem ſeu curam enteroceles cum deperditione teſticuli.

FIg. I. umbilicus (a.) inſtrumento Sanctorii cannulato (c. æ. *Tab. XIV. Fig. XX.*) & latus

abdominis ſiniſtrum (b.) ſcalpello (d. *Tab.* XIV. *Fig.* I.) falcato perfoditur, ad evacuandam hydropicorum aquam.

Fig. II. educitur hydropicorum aqua, ex vulnere umbilici per penicillum (e. *Tab.* XXI. *Fig.* IX. *&* X.) Tulpii ligneũ, & ex latere abdominis aperto per cannulam (c.) inſtrumenti (c. æ.) figura prima delineati. Ut has duas figuras tyrones chirurgiæ melius intelligant, pauciſſimis agam.

De Paracenteſi abdominis.

Circa quam quatuor conſideranda ſunt, *primo* an ſit facienda, *ſecundo* quo tempore, *tertio* quo loco, & *quarto* qua ratione ſeu modo. An facienda ſignificabunt morbus & ægri vires. Morbus eſt tumor abdominis recens, qui à copioſiſſimo, præſertim aquæ, potu, brevi temporis ſpatio ad inſignem magnitudinem pervenit, & medicamentis per os exhibitis haud cedit, eo quod virtus eorum à calore naturali, humoris copia oppreſſo, in actum deduci minime poſſit. Paracenteſis vires requirit conſtantes, quas agnoſcimus, quando æger adhuc erectus ſtare, & ſedili ſine incommodo aſſidere poteſt.


In malo itaque inveterato, viriumque debilitate (*quam indicant ſenium, pueritia, tußis, ventris fluxus, cachexia, febris ardens prægreſſa, viſcerumque ſcirrhus & corruptela.*) operatio hæc nullum habet locum. Tempus eſt ſtatim, antequam ſc. in abdomine concluſus humor viſceribus & cæteris interioribus partibus noxam notabilem inferat. Locus in quo fit paracenteſis, vel eſt in umbilico (*Fig.* I. *a.*) vel tribus aut quatuor digitis ægri transverſis infra umbilicum non in linea alba, ſed ad latus muſculorum rectorum aut dextrum, ſi lienis vitio hydrops contingit, aut ſiniſtrum, ſi hepar hydropis cauſa eſt. Ubi umbilicus relaxatus ita tumet, ut inter exteriorem partem, internamque cavitatem & aquam, tenuiſſima tantum cutis intercedat, quæ vel leviſſimo digiti contactu & perſpicuitate deprehenditur, commodiſſime abdomen in umbilico aperitur.

Verum ſi laxitas illa umbilici non apparet, tum abdominis pars umbilico inferior inciditur, & quidem dextra, ut dictum, cum ex lienis vitio, ſiniſtra autem cum ex hepatis culpa aſcites originem traxerit. Modus comprehendit ſitum patientis, inſtrumenta & operandi rationem.

Inſtrumenta, quibus hydropicorum abdomen in umbilico & parte ventris laterali commodiſſimè aperitur, duo ſunt; acus ſcil. cannulata (c. æ. *Fig.* I.) & ſcalpellus (d. *Fig.* I.) falcatus.

Emiſſurus aquam ex umbilico, vel inſtrumentum (c. æ. *Fig.* I.) faſciæ longæ aſſutum in medio umbilici (a *Fig.* I.) adigat uſque ad cannulæ aſteriſmum, poſtea acum (æ.) ex cannula (c.) trahat, & cannulâ uſque ad alam ſuam intruſâ, extremitates faſciæ ad latus ductas nodo gemino colliget; vel ſcalpello falcato (d. *Fig.* I.) umbilicum perforet, & vulneri recens facto tubulum faſciæ annexum, ſcalpelloque exactiſſime correſpondentem, immittat, aut penicillum ligneum (e. *Fig.* II.) aut cannulam argenteam (*ex Tab.* XIII.) eligens. Emiſſo quantum licet ſero, penicillum ligneum obturet turunda lignea (g. *Fig* II.) cannulam vero penicillo lineo (i. *Fig.* I.) ne liquor invito Chirurgo effluat. Paracenteſis infra umbilicum, ſeu in latere abdominis neceſſaria, quantumvis

velut



velut in umbilico tutissime institui possit vel acu sanctorii cannulata, vel scalpello falcato; hic tamen quia Fallopio & Fabricio ab Aquapendente placet, eorum operandi modos tradam. Fallopius cutem abdominis duplicatam, ad pollicis magnitudinem, gladiolo falcato (d. *Fig.I.*) transversim incidit, & reliquum, seu musculos cum peritonæo, caute perforat vulgari Germanorum phlebotomo. Fabricius ab Aquapendente eodē utitur scalpello, sed, omissa cutis duplicatæ sectione, illud statim quadantenus oblique in cutem demittit, donec per musculos & peritonæum ad cavam usque regionem penetraverit. Ad cavitatem scalpellum penetrasse, non solum aquæ exitus indicio est, verū etiam dignoscitur à chirurgo in apertione obscessuum exercitato, quando prementi nihil renititur. Sectione facta, scalpellum extrahit, & cannulam argenteam, tersam, alatam, à lateribus perforatam, in extremo obliquā (*Tab.XIII.*) scalpello exacte correspondentem, & fasciæ annexam vulneri immittit. Per hanc cannulam (*primo longiorem, deinde breviorem, ut sua extremitate tantummodo in cavitatem pertingat*) Fabricius humorem serosum non confertim, sed tantum emittit, quantum vires concedunt, quæ ex pulsu rectissime & certissimè explorantur. Sero in debita quantitate evacuato, cannulam vulneri immissam non extrahit, sed in abdomine relinquit & turunda ex linteo parata obturat. Educturus iterum aquam, extrahit è cannula turundam. Hydropici in quocunque loco, & quocunq; instrumento perforati diligenter custodiendi sunt, ne iis insciis solvatur fascia, procidat cannula, unica vice effundatur aqua, & cum patientis interitu, paracentesis, hydropis aliàs unicum fermè auxilium, infamis fiat.

Anno 1625. die 7. Augusti, Ulmæ abdomen Nobilissimæ cujusdam virginis, quæ simul ascite, anasarca, & tympanitide laboravit, ad imitationem Fabricii in latere aperui. Hæc annum unum & dimidium à perforatione abdominis integerrime vixit, postea syncerum tympanitidem patiens obiit.

Fig.III. est bracherium, seu retinaculum herniæ, inguini adultorum dextro applicandum. Bracherii cingulum (α.) & subligaculum (β.) multis foraminibus pertusum est, ut, quantum opus est, adstringi possit. Utrumque conficiunt ex corio levi, vel linteo xilino duplicato.

Scutum (γ.) pilis capreoli aut lana, ad duorum vel trium digitorum transversorum altitudinem, implent, ut duriusculum fiat, & repositorum novum impediat prolapsum. Scuto (γ.) etiam pronexum (ε) addunt, ne transmissum ab eo subligaculum declinet.

Fig.IV. est bracherii modo descripti subligaculum, quod in medio bene infarctum prohibet læsionem interfemenei, cum per crurum divisionem reflectitur ad scutum, & ibi arctissimè adstringitur.

Fig.V. ostendit bracherium pueris, sanitatem non curantibus, adhibendum, quod ex eadem materia est confectum, & à superiori differt, quod hujus neque cingulum in latere, neque subligaculum anterius, sed utrumque ad posteriora ligulis adstringi debeat, ne ligaturam pueri, nunquam quiescentes, tam facile possint solvere.

Fig.VI. ostendit apparatum, ad Chirurgiam herniæ intestinalis necessarium, ipsumq; secandi modum. Apparatum quod attinet, ille requirit labrum (ζ) aqua moderate calida impletum, cui insidere debet herniam patiens, antequam chirurgicæ operationi se sub-

ſubiicit; duas patinas (η.θ.) quarum illa continet medicamentum ſtegnoticum, hæc verò aquam ſalitam; ſplenium (ι.) quadruplex in aqua dicta expreſſum; plagulam rotundam (κ.) ex lino pexo confectam, in medio perforatam, in aqua expreſſam, & ſtegnotico imbutam; turundam (π.) cannabinam; globulos ex fomite paratos & medicamento ſanguinem ſiſtente infectos (λ.) & inſtrumenta (*Tab. XVII. Fig I. II. III. & IV.*) videlicet acum (μ.) novaculam (ν.) caſtratorem (ξ.) & forficem (ο.) idoneam. Modus operandi includit primo collocationem ægri, & ſecundo ipſam Chirurgi operationem.

I. Implorato Divino auxilio, patiens (A.) in labro ſatis calefactus ſuper tabulam (B.) longam, linteo quadruplici (ρ.) tectam, menſæque (c.) aut ejus trabi (E.) & ſcamno (D.) firmiter innixam collocatur ſupinus, ita ut pedes ejus ſurſum, & caput deorſum ſpectent.

Hic patientis ſitus inteſtini prolapſi juvat repoſitionem, & reſtituti facilem aliàs recidentiam impedit.


Collocatus ita patiens alligatur tabulæ duabus faſciis validis, longis, & latis, ut, dolorificam ſectionem percipiens, corporis truncum & artus movere nequeat. Unus etiam ex tribus miniſtris Chirurgi (F.) gremio molli excipit ægri caput, & oculos ſtrophiolo tegit.

II. Ægro ritè collocato Chirurgus (*poſtquam alteri miniſtro imperavit, ut operanti diligentiſſime intenderet, & mox petitum quodvis porrigeret*) in dextro ſtans latere, manu dextra (i.) ſcalpellum tenens, & ſiniſtra (k.) dextram inguinis duplicati extremitatem apprehendens imperat miniſtro tertio, ut, in latere ſtans oppoſito, manus ſiniſtræ digitis (L.) alterum duplicaturæ extremum apprehendat, & palma dextræ (M.) infimam abdominis partem fortiter comprimat, ne inteſtina inter operationem prorumpant. His dictis & factis, Chirurgus integumenta inguinis communia, & ſuper peritonæi proceſſum elevata ſcalpello dextræ (1.) infixo ſurſum verſus tutiſſimè incidit, tunicam vaginalem à darto ſeu carnoſa ſcroti membrana ſeparat, ulteriuſq; procedit, ut Tabula ſequens docet.

TABVLA TRIGESIMA NONA.

De caſtratione, & Enterocelis cura partim chirurgica, partim pharmaceutica.

HErnia inteſtinalis recens quandoque ſola ligatura, interdum ligatura & medicamentis ſimul curatur. Inveterata enterocele, quia ligaturam & medicamenta eludit, opus habet chirurgia vel pungente, vel ſecante. Puncti aurei celebrationem docet Paræus *l. 7. c. 16.* Punctum & ſectionem accuratiſſimè tradit Malachias Geigerus Kelegraphia *c. 9. &* 10. Sectio autem duplex eſt, una fit citra extractionem teſtis, altera peragitur cum ejuſdem deperditione: illam veri cum Medicis Chirurgi, queis hodie parum fidit ægrotus, bene proponunt; hanc verò circumforanei, quos æger, ſpreto melius ſentientium conſilio, facile admittit, valdè commendant. Quamvis operatio per punctum aureum, & ſectio prior dolore & periculo non vacent, tutiores tamen & tolerabiliores crudeli ſunt caſtratione, cui Medicus nunquam debet ſubſcribere, niſi hernia fuerit carnoſa, quæ medicamentis fruſtra uſurpatis, exciſionem teſtis requirit. *Vt autem Sarcoceles*



coceles Chirurgia tyronibus magis innotescat prius explicabo Fig.I.II.III.IV.V.VI. VII. *&* VIII. *hujus Tabulæ, deinde totum castrationis processum, qua circumforanei in cura herniæ intestinalis communiter utuntur, cujusque apparatum & principium præcedentis Tabulæ Figura Sexta tradit, paucissimis docebo.*

*Fig.*I. monstrat, quomodo vulnus inguinis, in præcedenti Tabula scalpello falcato factum, si præter spem angustius fuerit, dilatatur novacula (*Tab.XXXVIII.Fig.V.VI.*) versus scrotum, ut tunica vaginalis, quæ testem & vasa spermatica continet, à membrana scroti carnosa melius separari, & separata facilius eximi possit.

Fig II. processus peritonæi à darto separatus, è scroto exemptus, & sursum valide attractus (supra applicitum retinaculum (*Tab XXXVIII.Fig.*VI ξ) acu validissimum trahente filum (*Tab.XXXVIII.Fig.VI.*M.) perfoditur.

Fig.III. processus peritonæi transfixus nodo fili gemino (*Vid Tab.XXXVII. Fig. V.*) supra retinaculum adhuc applicitum arctissime constringitur.

Fig.IV. processus peritonæi validissime constrictus, supra retinaculum & ligaturam forfice abscinditur. Absoluta sectione, cessat etiam retinaculi usus, qui est retinere intestinum intra abdomen, ut processus tuto perforari, constringi & abscindi possit.

Fig.V. ostendit processum peritonæi resectum, qui statim, ac remittit valida illa extensio, iterum contrahitur, indeque brevior & crassior evadit.

Fig VI. monstrat nodum ligaturæ ad interiora tractum, extremitates fili de vulnere propendentes, & turundam (*ϖ Tab.XXXVIII.Fig.VI.*) scroto immissam.

Fig VII. est fascia, quo deligatur exectus, ne medicamenta vulneri inguinis & scroti apposita decidant.

Fig.VIII. patientem ostendit fascia præcedenti deligatum: connectuntur autem cinguli extremitates (✱ ✕) in latere affecto, subligaculorum verò (a.b.) capita, facta prius in peritoneo cruce (*vid.Tab.XL.Fig.III*) supra cingulum connectuntur.

Castratio

Ob enterocelem instituta non modo aptorum instrumentorum apparatum, sed etiam commodam ægri collocationem requirit. Præparatis igitur præparandis, ægro bene collocato, & inguinis duplicatura per longitudinem scalpello incisa (*hæc omnia Fig. VI.Tab præcedentis declarat*) operator vulnus, si fuerit angustius, novacula versus scrotum dilatet (*Fig.I.hujus Tab.*) tunicam vaginalem digitis à scroto separet, separatam extrahat, extractam valide extendat, extensam, applicito priùs retinaculo, acu transfigat (*Fig.II.*) transfixam filo constringat (*Fig.III.*) & constrictam forfice, (*Fig,IV.*) abscindat.

Finita operatione, & sanguine per spongiam absterso, vulnus inguinis obturet globulis ex fomite paratis, scroto imponat turundam cannabinam, & desuper apponat primo plagulam rotundam, in medio perforatam, & in parte adversa medicamento stegnotico, sicut globuli & turunda, imbutam; secundo plumaceolos duos, tres, vel etiam plures aqua salita probè expressos, & tertio fasciam (*Fig.VII.& VIII.*) depictam. Bene deligatus æger defertur in lectum in quo supinus per multos dies quietissime jaceat.

Sarcoceles chirurgiam quod attinet, in omnibus cum prædicta quidem convenit, abdominis tamen infimi per ministrum compressio, & retinaculi usus non videtur necessari-

cessarius, nisi herniæ carnosæ jungatur intestinalis. Nec opus est, ut operator processum à scroto separatum & extractum valide a trahat, nisi affectus inguen & scrotũ occupet.

Fig.IX. monstrat bracherium (*Tab.XXXVIII.Fig III.*) inguini dextro applicitum. Repositis reponendis, super adhibitum ceratum pulvillus bene infarctus & cingulo assutus apponitur, & (*ut firmiter hæreat, & tam facile loco moveri nequeat*) partim cingulo, per lumborum regionem & inguina ducto, atque ad latus constricto, & partim subligaculo (*quod cingulo posterius assutum ducitur deorsum, sub crurum divisione sursum denuo reflexum scuti pronexum permeat, & interius eidem cingulo loris arcte alligatur*) compressus confirmatur. NB. o signat cingulum, l. pronexum &c.

Fig.X. ostendit bracherium (*Tab.XXXVIII.Fig.V. pueris commodum*) posterius loris constrictum, ut solutu sit difficilius.

Ratio curandi enterocelem, à me sæpissimè experta.

Partim chirurgica est, partim pharmaceutica: consistit autem in tribus. 1. intestini prolapsi intra abdomen repositione; 2. conservatione repositi, ne rursus per inguina ad scrotum descendat; & 3. peritonæi vel relaxati constrictione, vel disrupti cõsolidatione. Ante repositionem prolapsi intestini Chirurgus diligentissime consideret, an hernia sit parva vel magna? an recens vel phlegmone correpta? an intestinum flaccidum, vel materia aliqua repletum?

Si hernia parva fuerit & recens, intestinumque vacuum, repositio erit facilis, si æger supinus in lecto collocetur, capite paululum declivi & pedibus elevatis: quoniam hac ratione intestina ad septum transversum ruentia secum trahunt id, quod ad scrotum descendit.

Si autem hernia fuerit magna & recens, Chirurgum oportet intestinum nulla materia distentum digitis tractare, & illud, capite prius patientis declivius posito, sensim & sensim, tam diu molliter circumagere, donec paulatim rursus abdomen ingrediatur. Quod si Chirurgus manu lassus fuerit, opus est ut ministrum habeat in hujusmodi operatione optime informatum, qui ipsum adjuvet, & intestinum digitis similiter tractet.

Herniæ nõ admodum recenti associatur aut inflammatio quem indicat dolor, rubor, calor & febris; aut flatus, quorum indicium est rugitus & dolor sine gravitatis sensu extendens; aut fæces, quæ cognoscuntur ex biduana vel triduana alvi suppressione, magna scroti duritie, & dolore scroti gravissimo: tunc à reductione intestini est resistendum, donec inflammatio cessaverit, fæces egressæ, & flatus dissipati fuerint. Inflammationi simplici confert sequens cataplasma.

℞. *Farinæ hordei* ℔ j.
Furfur. Tritic. ℔ ß.
Ol. rosar. compl. ℥ iiij.
vin. rubr. q. s. M.

Quod calide scroto & inguini impositum valde digerit, humores modice repellit, & partes efficacissime roborat. Si post 24. horas sub cataplasmate non extinguitur inflammatio, illud toties renovandum & applicandum est, quoties ad curandum phlegmone opus videbitur. Cataplasmati, ob caloris vehementiam, nimis exiccato atq; ideo separa-

tu difficili affundatur ænelæum calidum. Cum dolor inflammationis est ingens, oleum rosatum in majori sumatur quantitate. Locus simpliciter inflammatus pari utilitate fovetur juxta Fallopium lixivio calido & acri, in quo cineres ligni fagini ebullierint. Accipiantur massæ duæ fili crudi (*quod suam digerendi vim lotura fullonum nondum amisit*) & coquantur in lixivio ex dictis cineribus parato: deinde massarum una extrahatur, inter duos discos exprimatur, expansa calide, quantum ferre potest æger, circa scrotum apponatur, tepescens removeatur; & calida substituatur: hæc tepescentis massæ remotio & calidæ appositio toties repetatur, donec inflammatio omnino sublata fuerit. Si inflammationi junguntur flatus, cineribus addi potest manipulus seminum cymini: si dolor magnus, fomento addatur aliqua olei rosati portio.

Si cum inflammatione concurrant fæces, quæ repositionem intestini impediant, casus quidem est maxime desperatus, nihilominus tamen (*omissis purgantibus per os exhibitis, quæ maiorem humorum ad partem affectam causarent affluxum, & ut ipsa mors, teste Fallopio, ægrotantibus acceleretur*) fœcum tentetur eductio, balneis aut fomentis distensionem relaxantibus, & clysteribus lenientibus, moderata quantitate, injectis. Vitetur iterum nova fæcũ generatio, exhibitis patienti cibis boni succi & pauci excrementi, qualia sunt juscula carnium tenuia, contusa, ova sorbilia, &c.

Flatus etiam sæpissime intestinum replent absque inflatione, quo in casu nihil præstantius est fomento ex lixivio acri, seminibus cymini, filo crudo, & pauca quantitate vini malvatici potentis parato. Cineres ligni fagini cum cymino coquantur in aqua, in decocto bulliant fili massæ, & in fine decoctionis addatur vinum malvaticum.

Inflammatione curata, fæcibus excretis, & flatibus dissipatis, reponatur intestinum in propriam sedem, digitis sensim & sensim impulsum.

Post repositionem intestini, quod ob relaxationem peritonæi in scrotum prorupit, Hieronymus Fabricius ab Aquapend. l. operat. Chirurg. ceratum de tegula constrictivum valde commendat, cuius descriptio hæc est.

℞. *Pulv Bol. Armen.*
Sanguin. Dracon.
Mastich.
Sarcocoll. ana ʒ j.
Fol. Bisling. vel ophioglossi
Tegul. ana ʒ iij.
Resin. pin. ℥ is.
Album ovor. ij.
Ceræ ℥ ß.
M. & f. ceratum.

quod extendatur super corium tenue & molle (*ad magnitudinem loci affecti, ita ut eum non multum excedat*) ac, derasis undique pilis, inguini apponatur, nec renovetur, nisi amplius cuti adhærescere nolit. Apposito cerato, bracherium (*Tab. XXXVIII. Fig. III.*) inguini arcte adalligetur (*huius Tab. Fig IX.*) ut peritonæi processum per quod intestina in scrotum prolabuntur, comprimat.

Si propter disruptionem peritonæi intestina in scrotum prorumpunt, adstringentibus glutinantia misceantur. v. gr.

℞. *Pulv. Mastich.*
Aloes. ana. ʒ jß.
Sarcocoll. ʒ iij.
Tegular. ʒ ix.
Bol. arm. præp. ʒ v.
Sanguin. Drac. ℥ß.
Lapid. Hæm. præp. ʒ iij.
Thereb.
Ceræ. ana. ℥jß.
Colophon ℥iiij. M.

Vel ℞. *Cerat. de tegul. constrict. Fabr.*
Empl. Apostolic. Nicol. ana p. æqu.
M. & malax. oleo mastichin.

Horum quodvis extendatur super corium, & cum bracherio applicetur inguini, pro conservatione intestini in suo loco, & consolidatione aperturæ, per quam illud sibi viam parat ad scrotum. Præcipua quidem herniarum cura consistit in remediis externis, & bona bracherii ligatura: his autem solis non conferentibus, necessaria est universi corporis expurgatio ab humoribus præsertim serosis & pituitosis, qui peritonæi rupti consolidationem, & constrictionem dilatati, quamlibet per se difficilem, valde impediunt: adde quod corpus excrementitiis humoribus scatens, internaque constringentia assumens omissa universalium administratione, facile viscerum obstructionibus corripi, & in febres inde aut alios morbos incidere possit.

Expurgatio fiat blandis medicamẽtis. Præmissis universalibus, cõfugiendũ erit ad constringentia interna & externa. Inter assumenda expertissimũ habeo seq́uẽs Electuarium.

℞. *Conserv. Symph.* ℥ij.
Rosar. antiqu. ℥j.
Cortic. citr. cond.
arant. condit. ana ℥ß.
Pulv. Herb. persol.
Herniar.
Ophiogloß.
Radic. cons. maj. ana. ʒjß.
Pulv. *Semin. plantag.* ℈iiij.
Cichor.
Fænicul. ana. ʒj.
Corall. rubr. præp. ʒjs.
Margar. præp. ℈iß.
Lapid. Chrys. præp. ℈j.
Syr. myrtin. vel corall. q. s.
M. & f. electuarium.

De quo patiens, quatuor horis ante prandium, & tribus ante cænam deglutiat quantitatem nucis moschatæ vel juglandis, & superbibat scyphum vini rubri (*aut albi, in quo tamen infusus fuerit sequens sacculus.*

℞. *Herb. Fragar.*
consol. med.
vinc. pervinc.
Herb. Equiset.
Ling. serpint.
Perfoliat. a. mj.
Radic. Sigill. Salom. ℥js.
Consol. maj. ℥j.
Sem. plant. ℥ß.
Cichor. ʒiij.
Fænicul. ʒij.
Cumin. ʒj.

Incisa & contusa misceantur ad sacculum, qui in tribus mensuris vini albi infundatur.)

Si ob febrem, qua Herniosus quandoque laborat, vinum merum non conceditur, illud aqua diluatur, & infusis alchimillæ foliis alteretur. In curandis infantibus præstantissimus est pulvis sequens.

℞. *Radic. consol. maj.*
Herb. Ling. serp.
Persol.
Herniar. a. ʒj.
Semin. plant. ℈iiij.
Fænicul.
Cochor. a. ʒj.
Corall. rubr. ppt. ℈ij.
Marg. ppt. ℈j.
Lapid. Chrys. ppt ℈ß.
Sacc. ros. tabul. q. s. ad grat. sapor.
M. & f. pulvis in scatula asservandus.

De quo bis in die, mane sc. & vesperi exhibeatur cochlear parvum in pulmento. Assumpto pulvere infans bibat de mixtura aut decocto sequenti.

℞. *Aqu. Plantag.*
Fragar. a. ℥vj.
Man. Christ. s. ℥jß.
M.

℞. *Radic. consolid. maj.*
Herb. vinc. perv.
Consolid. med.

Sem.plantag.a ℥ii.
Incis.coqu.in aqu. & decoctum
Sacchâro edulcoretur.

Inter usum remediorum internorum ceratum etiam idoneum sub bracherio accommodato inguini applicetur, & quotiescunque renovandum, locus affectus, dum æger resupinus in lecto decumbit, foveatur sequenti decocto.

℞. *Radic consol. maj.*
Torment.a. ℥ĳß.
Herb.vinc.perv.
Fragar.
Ling.serp.
Bisling.
Herniar.
Perfol a.mj.
Flor.Ros.rubr.
Balaust.a.mß.
Cortic.granat.
Cupul.gland.
Semin.Sumach.a.℥ij.
Incis.coqu.in vino rubro.

Fotu finito ceratum inguini novum applicetur, ibique relinquatur, donec cuti non amplius adhæret.

Hæc autem cerati mutatio locique affecti fomentatio repetatur, donec peritonæi dilatatio constricta, vel illius ruptura agglutinata fuerit. Proposita medicamenta, tam interna quàm externa minimè proderunt, nisi æger bonam victus rationem diligenter observet. Evitanda igitur edulia quæcunque dulcia, flatulenta, & pravo succo prædita, è quorum classe sunt omnes herbæ crudæ, legumina, fructus hortarii, lacticinia & his similia, utendum panibus probè coctis, addito anisi vel cymini semine. Vescendum est carnibus siccis ad constringendum, & viscidis ad consolidandum: illas suppeditant turdi, merulæ & perdices; has vitulorum, anserum, anatumque pedes & alæ, sed elixæ potius quàm assæ subministrant. Potus ordinarii sit vinum minimè dulce, nec album, sed rubrum subadstringens, aut saltem medii saporis. Sed cibus & potus in parca quantitate assumptus ad maturam sanitatis recuperationem plurimùm conducit. Æger supinus, sed capite & pedibus parumper elevatis, in lecto se contineat ad minimum per quadraginta dies, & summam bracherii appliciti curam gerat, nec unquam sine bracherio per brevissimum temporis spatium surgat, multo minus absque eo ventrem exoneret, ne intestina procidentia id, quod jam medicamentorum assumptorum & adhibitorum beneficio vel constrictum vel consolidatum fuit, rursus aperiant. Opera etiam danda est, ut quotidie alvus laxa sit, ne, dum induratæ fæces cum labore excernuntur, conatus ille plurimum obsit. Ad leniendam alvum strictiorem prosunt pruna laxativa Augu-

Augustanorum, si horum quatuor, quinque vel plures unica ante cænam vel prandium hora assumantur. Nec obest semel in septimana superfluitates primæ regionis expurgare pilulis Aloëticis Hieronymi Fabricii, scrupuli pondere hora ante cænam assumptis, vel clystere ad vesperam injecto, qui si componatur ex decocto è molliente & refrigerante, melle rosato, electuario lenitivo & oleo Chamomillæ, per plurimos dies alvum lubricam reddet. Elapsis quadraginta diebus æger surgat quidem è lecto, sed ceratum sub bracherio gestet, donec ambo tutissimè removeri posse videantur.

Etsi nullus castratorum herniosos absque periculosissima illa testis excisione, de qua in principio hujus Tabulæ paucis egi, citra recidivæ metum curari posse credat: innumeros tamen, quorum cognomina silentio lubens prætereo, longo temporis progressu, magnâ adhibitâ curâ, dictis remediis, bracherio, victusque ratione bona pristinæ sanitati tutissimè restitui: quos verò vel ob affectus magnitudinem, vel ejusdem diuturnitatem integrè sanare non potui, dicto curandi modo saltem prohibui enterocelis incrementum.

TABULA QUADRAGESIMA.

De scroti apertionibus, penis perforatione, calculi ex meatu urinario exemptione, mitigatione ardoris urinæ chirurgica, modoque duplici, quo exploratur calculus vesicæ.

Fig I. ostendit modum & rationem, quo Nursini meo tempore in Italia celeberrimi castratores instrumentum (*Tab. XIV. Fig. IX.*) ad cuspidem globulo cereo munitum, post extractionem & resectionem testis, inguinis vulneri immittunt usque ad scroti fundum, quem perforant ad expurgandam materiam, quæ ex inguinis vulnere in scrotum quotidie labitur, perforatumque immissa turunda conservant, usque dum vulnus inguinis curatum fuerit Sed hæc scroti perforatio videtur superflua, quia scrotum, extracto cum vagina teste, statim contrahitur, ejusque parietes conglutinantur.

Fig. II. docet rationem aperiendi scrotum in hydropicis prope lineam intermediam, quæ scrotum in dextram & sinistram dividit partem. Infigitur instrumentum (*Tabul. XIV. Fig. XX.*) Sanctorii usque ad asterismum, quo facto, acus extrahitur, & cannula usque ad alam scroto intruditur. Emissa sufficiente seri quantitate, cannula scroto alligata obturatur penicillo lineo. Hanc chirurgiam felicissimo successu expertus sum in Samuele Aschen/cive & textore Ulmano. *Vide Observat 67. & Tab XXXVIII. Fig I & II. de paracentesi agentes, quia, cæteris paribus, eadem scroti & abdominis est habenda ratio.*

Fig. III. monstrat perforationem penis. Evenit interdum, ut infantes sine foramine in glande, per quod urinam reddant, nascantur: cui malo statim est occurrendum gladiolo utrinq; acuto (*Tab XIV. Fig. XVIII.*) & quod cuspidem habet angustiorem. Æger supinus collocetur & colis prope glandem sinistrâ apprehendatur, ac gladiolo in dextra detento, foramen clausum aperiatur, quo facto, foramini immittatur penicillus ex plumbo subtilis, solidus, & medicamento epulotico inunctus, qui, dum æger mingit, debet

 auferri,

auferri, postea iterum intrudi, idque per tres aut quatuor dies, donec labia foraminis cicatrice obducantur Quodsi infantes nascantur cum foramine glandis valdè stricto, illud quam citissimè ampliandum immissa parva turunda (*quæ conficitur ex medulla Sambuci compressa & unguento rosaceo oblita*) ut imbibita humiditate intumescat, & tumefacta foramen dilatet.

In glande penis & præputio oriuntur excrescentiæ Gallicæ, quarum cura commodissimè vinculis perficitur. Nam cùm hæ carunculæ angustam habeant basin, filo serico, simplici, tenui & rubro arctè constringuntur, ut bidui spatio decidant. Utilissimè nonnunquam dictæ excrescentiæ tanguntur vel oleo antimonii, vel oleo logadorum. Pari successu verrucæ illæ pensiles volsella apprehenduntur, & scalpello singulari abscinduntur: quo facto, locus ferro optimè ignito aduritur, ne sanguis profluens partes vicinas inficiat.

Fig IV. educitur calculus, urinæ transitum intercludens, ex meatu urinario, sine sectione, quæ aliàs instituitur subtus prope lineam intermediam in musculis uretræ dilatationi dicatis. Quodsi enim ex angustiore loco calculus exivit, puta ex vesicæ collo & orificio, certè multo magis ex latiore protrahetur, ut est canalis virgæ. Sumo specillum Hieronymi Fabricii ab Aquapendente (*Tab. XVII. Fig. V.*) quod in extremitate ad cochlearis auricularis similitudinem excavatum est, & in canalem demitto, ita ut calculum prætereat, ipsumque quadantenus cochleari suo comprehendat: tum per specilli stylum cannalatum uretræ oleum amygdalarum dulcium infundo, & specillum sensim ad me traho, ita enim educitur sensim lapillus, tum ipsam virgam retro calculum comprimendo, tum specillum cavum trahendo. Imò sæpissimè observavi lapillos, qui in urinarium meatum prolapsi sunt, sine sectione & citra specilli operam exiisse, si patiens balneo ex emollientibus parato frequenter insederit, & lithontriptica moderata prius assumpserit, & in canalem urinarium eadem stillari permiserit.

Fig. V. demulcet urinæ ardorem, qui in Gonorrhæa virulenta, dum redditur urina, tam vehemens est, ut patientes ferè malint mori, quàm mingere. Quando igitur talis inter mingendum percipitur dolor & ardor, qui nullis medicamentis, sive assumptis, sive infusis, mitigari potest, patiens meatui urinario immittat fistulam ex auro vel argento politissimam (*Tab. XVII. Fig. VIII.*) filisque alligatam duobus, quæ manibus apprehendit, ne fistula ab irruentis urinæ impetu extra colis meatum protrudatur, sed firmiter maneat, donec per ipsam urina absque meatus contactu & doloris sensu profluxerit.

Fig. VI. ostendit, quomodo urina suppressa per catheterem (*Tab. XVII. Fig. VII.*) educatur. Hæc operatio sicuti sub experto Chirurgo est facilis, ita sub imperito non tantùm est difficilis, sed etiam periculosa. Hanc Celsus l. 7. c. 26. describit. Res verò interdum cogit emoliri *manuali opera* urinam, cùm illa non redditur, aut quia senectute ejus iter collapsum est, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex sanguine intus se opposuit. At mediocris quoque inflammatio, *aut caruncula meatum urinarium obstruens,* sæpè eam reddi naturaliter prohibet. Idque non in viris tantummodò, sed in fœminis quoque interdum necessarium est Ergò æneæ, *vel potiùs argenteæ,* quas καθετῆρας appellant, fistulæ fiunt, quæ ut omni corpori grandiori minorique sufficiant, ad mares tres, ad fœminas duæ Medico habendæ sunt.

Ex virilibus maxima decem & quinque sit digitorum, media duodecim & minima novem: ex mulieribus major novem & minor sex. Incurvas verò esse eas, *muliebres scilicet,* paulum, sed magis viriles oportet, *omnesque* læves admodum: ac neque nimis crassas, neque nimis tenues. Homo *æger* tum resupinus super subsellium aut lectum collocandus est. Medicus autem è dextro latere sinistrâ quidem manu colem masculi continere, dextrâ verò fistulam *argenteam oleo inunctam* in iter urinæ *leniter* demittere debet. Atque ubi ad cervicem vesicæ ventum est, simul cum cole fistulam inclinatam in ipsam vesicam compellere, eamque urina reddita recipere. *Huc usque Celsus.* In hac chirurgia maximè animadvertendum, ne in immissione fistulæ argenteæ valvula carnosa (*quæ vasorum seminalium commune orificium, in meatum urinarium desinens, claudit*) violetur: hæc valvulæ læsio cognoscitur ex intrusionis difficultate, dolore & sanguine emanante. His enim signis apparentibus, retrahenda est paululum fistula, rursusque leniter intrudenda, donec valvula intacta vesicam ingrediatur, per eamque urina reddatur.

Alii filo argenteo (*quod fistulæ cavitati exactè respondet*) gossipii floccum alligant, & in catheteris cavitatem immittunt, eumque cum fistula in vesicam impellunt. Ubi fistula in vesicam pervenerit, filum cum lana alligata ex fistula trahunt, & ita quasi per siphonem eliciunt urinam. Sed neque gossipium, neque filum est necessarium. Non gossipium, quia per syringam ad latera perforatam urina liberè fluit. Non filum, quia propter dictam rationem magis officit, quàm prodest; dum enim filum è cannula trahunt, non raro fistulam simul educunt, cum majori difficultate iterum immittendam. Ubi urina supprimitur ob vesicæ inflammationem, catheteris immissio non caret periculo; lacerata enim cervice augetur inflammatio, & ea cessante, sequitur quasi inemendabilis urinæ incontinentia. Satius igitur est, parvâ candelâ cereâ (Tab. XVII. Fig. XII. & XIII.) modicè inflexâ, oleoque communi illitâ prius chirurgiam tentare, quàm catheteris usu malum exasperare. In Ischuria renum vitio suborta frustraneo labore syringa & cereolum adhibetur, cum in vesica lotium non contineatur. Non raro caruncula ex ulcere meatus urinarii oritur, atque interdum ita augetur, ut urinam supprimat. Hæc manuali operâ & medicamentis idoneis, quæ erodendi vim obtineat, extirpatur. Ne tamen aliæ partes in meatu urinario erodantur, urinave profluens medicamentum carunculæ applicitum eluat, Hieronymus Fabricius ab Aquapend: excogitavit instrumentum, cujus beneficio nil nisi caruncula excuditur, prohibeturque, ne medicamentum carunculæ admotum ab urina, *quæ sæpiùs excernitur,* elui possit. Fit autem cannula ex linteo cera alba oblito (*longitudine digiti transversi, & latitudine ea, ut æquet argenteum catheterem Tab. XVII. Fig. VII.*) quæ filum longum habeat appensum. Hæc cannula medicamento Prævotii erodente

(℞. *Mell. in ciner. ust.*
Tut. ppt.
Butyr recent. in aqu. plant lotæ
Tereb. similiter lotæ
Ceræ flav ana. ℥ß.

Alum.ust.℈ß.

M.f.linimentum.

Quod crebrâ experientiâ teste carunculas meatus urinarii absque dolore & sanatum partium excoriatione consumit. Quidam experimentum Rochi Cervicri summis laudibus extollunt.

℞. *Pulv.Sulph.viv.*
Merc.præcip.
Virid.æris.
Antimon.crud.a.℥iij.
Cer.alb.℥j. Misc.

Secundùm artem in mortario plumbeo ad formam unguenti) oblita stylo extra fistulam argenteam prominenti adaptetur, atque unà cum argentea fistula & stylo retrahatur, cannula verò ex linteo incerato parata, & in colem immissa relinquatur in meatu supra carunculam, ut prohibeat, ne medicamentum carunculæ adhibitum ab urina transfluenti possit elui.

Fig. VIII. & IX. docent duos modos explorandi calculum vesicæ. Prior perficitur cathetere per virgam vesicæ immisso, & digitis duobus (*indice scilicet & medio*) in anum inditis. Posterior peragitur manu sinistra infimam abdominis partem comprimente, & digitis dextræ in intestinum rectum intrusis. *Ambos quidem comitatur dolor, major tamen est, qui oritur ex compressione abdominis, quàm ille, qui sequitur catheteris applicationem.*

TABULA QUADRAGESIMA PRIMA.

De vulgari ratione perinæum incidendi, & calculum extrahendi vesicæ, bonaque deligatione ægroti, qui sectionem sustinuit.

UT Ambrosius Paræus *l.* 17. *à cap.* 35. *usque ad* 48. extractionem calculi accuratè docet, ita Fabricius Hildanus absolutissimum quoque Tractatum de Lithotomia vesicæ typis mandavit, quos tyro attentissimè legens omnia inveniet ad laudabilem calculi excisionem necessaria. Hîc nobis saltem placet Lithotomiam vulgarem, quæ parvo fit apparatu, depingere.

Fig. I. ostendit modum extrahendi calculum, qui hisce temporibus apud lithotomos vulgares est usitatissimus, & sequenti perficitur ratione. Ægro commodè collocato, &, ut par est, deligato, Chirurgus indicem & medium manus dextræ digitum, *oleo ovorum illitos*, in anum immittit, sinistrâ verò inferiorem ventrem deorsum versus vesicam deprimit. Reperto calculo, illum digitis dextræ in anum missis ad collum usque vesicæ protrudit, compressionem abdominis ministro committit, & scalpello in sinistra detento incisionem perinæi supra calculum protrusum instituit, eumque digitis in anum missis foràs propellere conatur, quod, cùm calculus est parvus, felicissimè succedit.

Fig. II.

Fig. II. docet rationem, quâ vulgaris Lithotomus calculos sectione majores eximit, quando solis digitis foràs expelli nequeunt: tunc enim immissis retro calculum uncis (*Tabul. XVII. Fig. IX. & X.*) violentam extractionem tentat. Hujus incisionis *apparatu parvo factæ* periculum & incommoda multa Hildanus *Lithotom. c.* 7. recenset, quibus ex Observatoricina mea addi possunt, quod calculus, licet membranis vesicæ fuerit inclusus, digitis ad collum usque compelli queat, &, si supra hunc fiat incisio, incurabile excitetur ulcus: quod etiam calculus magnus ad vesicæ collum non protrudatur, nisi violentissimâ abdominis compressione, cui facilè gangræna & sphacelus intestinorum & vesicæ succedit.

Fig. III. monstrat deligationem eorum commodam, quibus calculus è vesica fuit extractus: detinet enim hæc firmiter medicamenta vulnerato perionæo applicita, ne decidant. *Vid. Tab XXXIX. Fig. VII. & VIII.*

TABULA QUADRAGESIMA SECUNDA.

De Partu cæsareo.

CONvenit hoc loco, de eo fœtum ex utero extrahendi modo tractare, qui fit sectione abdominis & uteri. Fit autem in tribus casibus: Primus est, cùm fœtus mortuus est, & mater vivit. Secundus, cùm mater mortua est, & fœtus vivit. Tertius, cùm mater & fœtus vivunt: & qui hisce duobus ultimis modis vivi eduntur, *Cæsares*, quod ex utero excisi sint, nominantur, ipsaque illa actio, *Partus Cæsareus*. Fœtus mortui gratia raro sectio ista instituitur, sed is vel medicamentis expellitur, (Vid. Tabul. proximè sequens, Fig. VIII.) vel Chirurgiâ extrahitur, aut naturæ opus relinquitur, quæ eum particulatim expellit. Secundò, interdum mortua matre fœtus vivi ex utero materno secto extracti, & inde *cæsares* ac cæsones dicti sunt. Ita enectâ parente Scipionem Africanum priorem natum fuisse, primumque *Cæsarem* à cæso matris utero dictum, &c. Monet quidem Roderic. à Castro *de morbis mulierum lib.* 4. *cap.* 3. Infantem supervivere non posse in utero, mortua matre, nisi in eodem ictu temporis, quo anima ex matris corpore migravit, ab utero extrahatur, aut paulò antè, dum in agone puerpera est, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, idque ideò, quia vitâ & motu puerperæ cessante, cesset quoque infantis vita. Verùm vix possibile est, ut ictu temporis uno operatio ista perficiatur: neque semper constat, quo momento anima è corpore emigret; neque semper, dum adhuc in agone mater est, sectio ista admittitur. Ratioque, quam adducit, falsa est, quod cessante vitâ matris cesset etiam vita infantis. Habet enim infans suam animam, & si tempus legitimum partus adsit, atque omnia corporis organa jam perfecta & absoluta habeat, sine matris beneficio vivere potest, mortuâ matre, eodem modo, ut in lucem editus, sine matris adminiculo vivit. Ne tamen in utero suffocetur, danda opera. Ideoque Carolus Stephanus monet, ut matre in agone constitutâ, aliquâ re inter dentes interpositâ, apertum morientis os servetur, & obstetrix nunquam ab ostio

vulvæ

vulvæ manum dimoveat, & incurva ac diducta mulieris femora, quantâ poterit, diligentiâ contineat, donec chirurgicâ manu fœtus exsectus & extractus fuerit. Infantem autem matre mortua in utero ejus adhuc vivere, ex motu ejus & subsultatione quasi cognoscitur.

Tertius casus est, cùm fœtus vivus è viva matre sectione extrahitur. Id quod faciendum, cùm partum aliàs nullum secuturum certum est. Tum enim ne vel mater, vel infans, vel mater & infans simul de vita periclitetur, ad hoc extremum auxilium accedendum est.. Posse autem hanc operationem salvâ manente matre & fœtu administrari, multæ historiæ docent, quarum plurimas peculiari libello, de fœtus vivi ex matre viva sine alterutrius vitæ periculo cæsura, Franciscus Roussetus collegit, in cujus sectione prima necessitatem hujus operationis ostendit; quod scilicet, si ob causas alibi enumeratas nullus fieri potest partus, hoc modo fœtus vivus servari potest, qui aliàs in utero materno suffocaretur, & ipsa mater servatur incolumis, cui aliàs etiam moriendum esset, & ita quidem, ut in posterum quoque utero gestando apta futura sit.

Deinde possibilitatem hujus operationis probat historiis variis, primò quatuor ab aliis relatis, quarum prima est de muliere quadam, quæ sexies, cùm aliter parere non posset, sectione ejusmodi fœtus viventes semper est enixa; Septimò verò gravida, cùm Chirurgus, qui priores sectiones obierat, mortuus esset, nec alius esset, qui ipsi subveniret, mortua est; Secunda, de alia, cui tres infantes vivi è latere extracti; Tertia, de Johanne Marasio Chirurgo, qui è propriæ conjugis latere inciso filium extraxit; Quarta similem casum recenset. Sex verò historiis à seipso visis & notatis, quarum prima est de quadam muliere, in cujus latere cicatricem & factæ suturæ conspicua puncta, quæ post apertionem abdominis manserunt, vidit, quæ tamen ampliùs non concepit, etsi ipsa & maritus juvenes essent; Secunda de alia, cui ipse sectionem suasit, & cùm secaretur, adfuit, quæ postea rursum concepit & peperit, herniosa tamen mansit. Tertia, de quadam, è qua sectione fœtus mortuus extractus fuit, quæ postea aliquoties peperit. Quarta, de quadam, quæ primò gravida feliciter secta fuit, & postea iterum concepit, sed cùm nec tum parere posset, & Chirurgus prior mortuus esset, alii verò idem audere nollent, mater unà cum prole miserè periit. Quinta, de alia, quæ felicissimè fuit incisa, & postea rursum gravida reddita, naturali modo iterum enixa est. Sexta, de quadam, cui fœtus mortuus sectione extractus fuit, quæ cùm convaluisset, septimanis quinque post rursum menstruas purgationes habuit, statimque post concepit & peperit.

Sectione verò secunda ejusdem operationis possibilitatem rationibus probat, dum docet, & musculos abdominis, & peritonæum, & uterum posse absque periculo vitæ incidi.

Sectione verò tertia id, quod rationibus probaverat, exemplis & historiis confirmat, variasque historias adducit, quibus probat, vulnera musculorum epigastrii, peritonæi, & uteri fuisse sanata.

Sectio-

Sectione quarta casus longè periculosiores, quàm est sectio cæsarea, qui utero accidêre, qui tamen sui respectu non fuerint lethales, proponit, quos in quinque classes disponit: In prima classe agit *de mulieribus*, quæ seipsis ignorantibus utero gestârunt, in quibus fœtus mortuus ac putridus causa fuit, ut & uterus in corpore putresceret, ita ut temporis progressu interierint, quæ tamen supervixissent, si malo cognito tempestivè sectione hac ipsis auxilium latum fuisset. In altera, *de mulieribus*, quarum aliquæ puerperæ fuêre, aliquæ verò non, quæ apostemate uteri laborantes apertæ fuêre, non sectione Cæsareâ, sed cauterio actuali abdomini impresso, quæ tamen non modò non mortuæ, sed nec facultate concipiendi privatæ fuère: quæ tamen operatio, quam sit cæsarea sectio, longè periculosior. In tertia, *de morbis uteri*, circa interiorem partem fundi ipsius putrefacti, & quidem tanto cum ulcere, ut fœtus mortui è capacitate uteri ad intestina fuerint prolapsi, & inde per epigastrium extracti, (quo loci magnum solùm apostema esse suspicio erat) absque tamen matris internecione, aut postmodum utero gestandi facultate ablatâ, utero naturæ beneficio consolidato. In quarta classe recenset *historias mulierum*, quibus uterus prolapsus & putridus absque vitæ periculo totus & quidem sectione, ustione, aut ligaturis ablatus fuit. In quinta itidem *historias mulierum*, quibus uterus valdè absumtus & putridus, tandem sponte, absque tamen morte aut morbo subsequente excidit, proponit.

Quinta Sectione idem eorum, qui bruta castrare solent, exemplo confirmat.

Sexta Sectione probat, sectione hac fœcunditatem fœminis non auferri, sed ubi post sectionem convaluerint, iterum concipere posse.

Eandem Rousseti sententiam aliis etiam historiis confirmat Casparus Bauhinus in Appendice ejus libelli, inter quas notabilis prima est, quæ hoc modo refertur: Cùm circa annum Salutis 1500. Elisabetha Alespachin, Jacobi Nufer, ὀρχοτόμȣ, in pago Siegershausen/ (Præfecturæ Gottliebianæ in Turgavia, Parochiæ Altishuvilanæ) uxor primò utero gestaret, & jam doloribus partûs per aliquot dies divexaretur, ad se obstetrices tredecim & aliquot Lithotomos vocavit, à quibus, frustrà tamen, opem sperabat, cùm nec fœtus excludi, nec etiam dolores mitigari possent. Quare jam desperatâ salute maritus uxori consilium suum communicat: quod si consentiret, velle se, quod speraret, annuente Domino, felicem successum, in ipsa suam experiri industriam. Annuente ergò ipsâ, ad Archipræsidem Frauenfeldensem abiit, rem, uti se habebat, exposuit, conatum aperuit, licentiamque sibi dari rogavit. Re intellectâ Archipræses primùm quidem difficiliorem se exhibuit: dein verò fiduciæ mariti confidens annuit. Quare licentiâ impetratâ domum redit, obstetrices alloquitur, & hortatur, ut quæ cordatiores sint, sibi & uxori in hypocausto assistant, timidiores verò ex conclavi recedant; moliturum enim se aliquid, quo benedicente Domino, salutem uxoris speraret. Obstetrices ergò, consilio magnâ cum admiratione intellecto, ex ipsis undecim ex conclavi recessêre: duæ cordatiores cum Lithotomis mulieri parturienti adstitêre. Quare maritus, implorato priùs divino auxilio, & januâ diligenter clausâ, uxorem mensæ imponit, abdomini vulnus (non secùs ac alicui porco) infligit. Verùm primo statim ictu ita feliciter abdomen aperuit, ut subitò infans absque ulla læsione

N extra-

extractus fuerit. Cùm jam undecim obstetrices, quæ præ foribus stabant, infantis vagitum audirent, intrare (sed frustrà) expetebant: non enim intromissæ fuêre, antequam fœtus mundatus, vulnusque veterinario more consutum foret, quod postmodum absque aliquo superveniente symptomate feliciter coaluit. Eadem post hancce τομολοκίαν, Secundò gemellos enixa est, quorum unus Johannes Nufer nomine, pagi Siegershausen Præfectus, annum jam agens sexagesimum, Anno 1583. adhuc in vivis fuit. Post hos gemellos quatuor alios liberos enixa est. Exsectus verò infans primùm Anno Salutis 1577. diem suum clausit. Reliquæ ejusmodi historiæ, ut & aliquot uteri exsecti exempla, vivâ manente matre, ibi videantur.

Tandem Roussetus Chirurgos, qua ratione hæc Sectio institui possit, instruit hoc modo: Primò, inquit, tibi considerandum erit, aliquáne sit spes alio faciliori modo fœtum nanciscendi. Dein, sitne mulier robusta, & an signa lethalia adsint: præcipuè autem an non nimium ab obstetricibus, aut ob summos & violentos in partu conatus læsa fuerit, aut quorundam Tonsorum carnificina crudeliter dilacerata, quod frequentiùs ab ipsis, quàm à matronis fieri solet. Si enim eam tum mori contingeret, causa mortis sectioni tuæ, non autem ipsorum erratis adscriberetur. Sic, postquam (invocato tamen priùs Numine divino) aliquis, qui tibi ad id commodus visus fuerit, jussu tuo mulieri animum addiderit, & ut primò Deo benè confidat, dein etiam de tuo auxilio rectè speret, admonuerit: conveniet te instrumenta hæc pauca habere ad hoc opus peragendum necessaria: ita tamen ut hæc instrumenta ab ipsa non conspiciantur. Novaculam nimirum acutâ, novaculam rotundæ aut globosæ cuspidis, acum cuspide triangulari filo instructam, spongiam mollem, pannum lineum mollem, veterem, complicatum, consutum & jam imbutum decocto calido, de quo in sequenti agetur, vel alio simili decocto, quo dein benè expresso melius, quàm spongiâ, uteris tam ad sanguinem imbibendum & exsiccandum, quàm ad labia ipsius vulneris fotu adstringente, & calore suavi ac blando fovenda. Præterea etiam linteamina sint in promptu, quæ ipsi mulieri substernantur & circumponantur, quo sanguis, qui promanabit, tegatur, cujus etiam parva quantitas magnam profusionem ostentat, & tam mulieri patienti, quàm adstantibus terrorem incutit. Adsint etiam fasciæ, linimenta, splenia, stupæ benè pexæ, pulvilli, usitatis medicamentis adstringentibus imbuti: quæ omnia in primo post sectionem apparatu separatim habere oportet, aut eadem, si tibi ita videatur, conjunges. Postmodum ubi, te monitore, urinam, si fieri poterit, reddiderit, (quò vesica vacua concidat deorsum & minus impediat, quamvis ea locum sectionis non attingat) situanda est, si vires valeant, supralecti extimam partem in dorsum inversa & inflexa, ita ut tibiæ aliquantum propendeant, sed firmiter conjunctæ serventur, ipsa verò blandè à familiaribus robustis & animosis sustineatur. Aut si vires sint prostratæ, semidecumbens continenda, (hic enim situs à Syncope præservat, quod in Sectione venæ eorum, qui Lipothymiis obnoxii sunt, observare solemus) ita tamen ut versus pedes aliquantum propendeat, tibiæ verò æqua-

æqualiter sint extensæ. Tum unum aut alterum, quod voles, latus eliges: hoc enim in idem recidit, ut ex suprà citatis historiis colligere licuit. Attamen si epatis aut splenis aliqua durities adsit, consultius videtur fore, si oppositum latus incidatur, idque variis de causis, de quibus alibi acturi sumus.

Si verò Hernia sit in latere eo, quod incidere est animus, & quod censeatur intestinum ibi, nimirum inter peritonæum & uterum non hærere, (difficulter enim ibi esse potest, quia uterus in muliere valdè gravida prius, quàm intestinum se offert) tum ibi sectio fieri poterit, eò enim citiùs, quàm in oppositum latus uterus decumbit. Hac ratione fiet, ut postmodum ægrota non ex utroque latere sit herniosa. Et licet intestinum se ibi offerret, (quod tamen fieri non potest) nil idcircò mali esset, modò in altum novacula non adigatur, ne ipsum lædatur. Olim enim in curatione herniæ magna supra rupturam incisio, absque tamen noxa, fiebat, ut Celsus & Ægineta testantur.

Hoc facto, optimo atramento locum incidendum notabis lineâ oblongâ & rectâ per abdominis longitudinem ductâ, cujus exsiccatio exspectanda, ne rursus deleatur, quo recto tramite abdomen secetur. Fiat autem sectio inter umbilicum & Ilia, tribus vel quatuor digitis ab inguine pectinem versus, & id secundùm recti musculi longitudinem, cavendo tamen, ne vel caput, vel cauda ipsius musculi lædatur. Notandum autem hoc loco, quod si sectio paulò altiori in loco potius, quàm nimis infernè fiat, eam meliorem & tutiorem ratione hæmorrhagiæ fore: minus etiam molestum, si hernia remaneat: adhæc minus etiam doloris causabit. Sed & eodem atramento, in quatuor aut quinque æqualiter distantibus locis, quatuor aut quinque parvas lineas transversales decussatas, super lineam primam per abdominis longitudinem ductam notare oportebit, & ut exsiccetur, curandum; supra quas puncta futuræ suturæ sibi invicem rectè respondentia locanda, quo recta fiat Gastroraphia.

His peractis, sectio ipsius cutis supra lineam dextrè adhibenda ad pinguedinem usque, sed cautè novaculam adigendo: cujus vulneris longitudo erit dimidii circiter pedis, plus minusve, prout mulier magno parvove corpore fuerit, postea eodem prioris sectionis tramite prudenter, & quidem secundùm longitudinem musculi ipsius Epigastrii incidendi, & etiam peritonæum. Sed cautè inquam peritonæum secandum erit. sub eo enim ipsius uteri corpus tum prætumidum se offert, ipsis intestinis, quæ abscondita subjacent, incumbens. Tum, implorato divino auxilio, uterus incidendus erit, ita tamen ut alta non fiat sectio, ne fœtus, si adhuc fruatur vitâ lædatur: si enim mortuus sit, tum citiùs omnia peragi possunt, cavendo solùm, ne nimiùm mater lædatur. Incipienda erit sectio in summo ipsius uteri, & deorsum inter latus & anteriorem partem ducenda, quò iis locis, ubi sunt epididymi, vasa spermatica, & testiculi muliebres, caveatur.

Quod ut tutius fiat, consultum erit, tum ad manus habere novaculam alteram, dorso crassiore, acie acutissimâ, ita tamen ut ipsius acuminis principium globulo plumbeo aut

aut buxeo muniatur, (ad instar cultri ejus, quo utuntur ii, qui omusa præparant, & intestina repurgant) ne acumine infans, dum se in utero movet, alio pacto lædatur.

Post fœtus & secundinæ extractionem, linteamine tenui, molli, blando & veteri, octies vel decies breviusculè complicato, & sequenti decocto imbuto (quo loco spongiâ uti licebit) diligenter & blandè is, qui aderit sanguis, abstergendus est: ita tamen ut blando calore foveatur, quo duabus satisfaciamus indicationibus, & quidem contrariis, idque eodem tempore, habitâ ratione brevitatis temporis, quo id fieri debet, decoctio sit talis:

℞. *Herb. Artemis.*
Absinth.
Agrimon.
Betonicæ.
Althæ.
Flor. malvæ arboresc. (quam Rosam transmarinam aliqui vocant) si reperiatur;
Fol. aut flor. granatorum.
Ros. sylvestrium odoratar.
Ros. rubr. exsiccatar. an. Mj.
℞. *ad Aristol. longæ & rotund.*
Cyperi
S. Mænanthi an. circiter unc. ß.

F. Omnium decoctio usque ad tertiæ partis consumptionem, in vini crassi, rubri & austeri ℔. VI. (sunt duæ pintæ Parisienses) dein coletur: Colaturæ addatur Aq. fabrorum hemina, id est, quartarii duo (est dimidia cheopina Parisiensis) & rursus unà bulliant. In hoc decocto temperati caloris linteamen complicatum, eo modo, ut dictum fuit, intingatur & exprimatur: hoc eadem operâ & saniem absterget, partem læsam fovebit, sanguinis fluxum sistet, partem defatigatam corroborabit, & Lochia, quæ fluere debent, commovebit.

Sed hoc loco studiosè dictum illud, *Festina lentè*, observandum. Hæc ubi ratione uteri peregeris, & eum blandè in locum convenientem absque tamen sutura reposueris, (uteri enim in seipsum contractio, quàm sutura melior est) tum statim Gastroraphia adhibenda (id autem festinanter fieri non debet) vulneri ipsius abdominis, ne frigore interiora afficiantur, observantes, & aptè vulneris labra committenda secundùm lineas decussatas, ut jam dictum fuit. Quæ quidem res & secundi alicujus operam requirit, qui intestina, quæ tum juxta vulnus, quod consuitur, occurrunt, intrò trudat, ne ipsa vel acu lædantur, aut inter puncta suturæ occludantur, dum locum eum, quem prius uterus jam retractus obtinuerat, occupant. Nec etiam nimis cunctanter res agenda, uti prædictum, vel in curiosâ Gastroraphia administranda, vel aliquid cum ægrotæ periculo experiundo, ne totum opus corrumpatur: siquidem experientiâ compertum, quod in iis, quæ incisæ, omnium optimè convaluere, nihil aliud quàm cutis, & quidem paucis punctis consuta fuit, nec tamen propter herniam, quam-

quamvis valdè magna foret, aliquid molestiæ pertulerunt. Nam, (ut est in proverbio Gallico) melius est, infantem mucosum relinquere, quàm nasum omninò avellere.

Post suturam abdominis reliqua, quæ in aliis etiam recentibus vulneribus fieri solent, erunt administranda usque ad cicatricis generationem: frigus tamen summè cavendum: fiet autem id per unguenta, cataplasmata, emplastra, fotus, palvillos, stupas benè pexas pro ratione temporis & indicationibus convenientibus.

Ratione autem uteri duo potissimùm convenient: Pessaria nimirum & injectiones in uterum. Pessaria erunt effigiata in formam penicilli, pollicis crassitie, aut paulò minora & satis longa, quò usque in concavitatem uteri absque offensa indi possint. Parabitur autem pessarium ex linteo, aut ex candela cereâ perforata in modum penicilli fistulati (quas tentas cannuleas vocant) linteo, aut bombace obducto, butyro recenti, pinguedine gallinæ, oleo rosato, vitello ovi inuncto: quod sæpiùs extrahendum, & rursus intrudendum erit. Proderit tale pessarium, tum ratione longitudinis, tum etiam ratione perforationis, quo saniei pateat transitus: dein etiam ut collum & os uteri muniat, ne saniei acrimoniâ afficiantur. Hippocratis consilium imitantes, si modò communem interpretationem sequi velimus: Si uterus inter coxas jacens suppuretur, necessarium est eum motum fieri. Quod si sæpiùs id extrahamus, non impediet, quò minus puri, humori pituitoso, aut grumis ipsius sanguinis detur exitus, sed potiùs ea secum ducet. In eundem usum clysteres uterini convenient, qui ipsum fovebunt, abluent, abstergent, roborabunt & consolidabunt: quæ parabuntur ex decocto Artemisiæ, Agrimoniæ, Absinthii, Althææ, Plantaginis, rosar. rubrarum, floribus aut foliis Malvæ arborescentis, Nepetæ; Radicis Aristolochiæ, Salsæ-parillæ, Cyperi, Schænanthi, quæ omnia decoquentur in Aq. chalybeata, addendo parum vini crassi, austeri & optimi hydromelitis aliquid. Horum nihil, aut parum in suprà citatis historiis observatum fuit, quæ nihilominus tamen rectè, & citò curatæ fuere. Quare si prædicta omnia reperire non liceat, non tamen ob absentiam (ut est in vulgari proverbio) unius Monachi, Abbatis electio intermittenda.

Victus ratio sit ex cibis euchymis, & sit, quoad vires concedent, tenuis. Mulieres enim modò enixas & tali pacto exercitatas corroborare convenit: at in vulneribus & apostematibus interioribus exquisita victus ratio requiritur: quare medium servare oportet.

Quod si alvus non respondeat clysteribus ex saccharo rubro, diapruno simplici, butyro recenti, oleo rosato, cum jure gallinæ pinguis, absque herbis & sale paratis uti oportet. Reliqua pro judicio Chirurgi & prudentis Medici, qui fortè aderit, fient. Hæc Fr. Roussetus.

TABULA QUADRAGESIMA TERTIA.

De vulvæ clauſæ apertione, hymenis integri inciſione, clitoridis inutiliter auctæ abbreviatione, uteri extra abdomen prolapſi repoſitione, enematis uterini in fuſione, partium genitalium dilatatione, fœtus mortui extractione, & ſubligaculo uterinis affectibus accommodato.

FIg.I. docet, quomodo Hieronymus Fabricius ab Aquapend. in agglutinatis vulvæ labris Chirurgiam, juxta Paulum, adminiſtret. Fœminam reſupinat, ita ut crura ad ſummum ventrem contracta habeat, femora verò inter ſe disparata. Subjicit autem ulnas fœminæ ad poplites ipſius, & vinculis idoneis ad cervicem deligat, eo ferè modo, quem Lithotomi obſervant. *Vid. Tab. XLI. Fig. I.* Ægra ſic collocata vulvæ labra agglutinata per longitudinem atramento ſignat, & ſcalpello fiſtulis incidendis deſtinato (*qualis eſt vel Syringotomus in altera extremitate acutiſſimus Tab. XIV. Fig. X. vel ſcolopomacherium dictus Tab. XIV. Tab. XIV. Fig. I.*) incidat. Labris ab invicem ſeparatis, & ſanguinis fluxu ſtegnoticis ſedato, vulvæ fiſtulam plumbeam & medicamento epulotico illitam, ne labia rurſus concreſcant, quotidie immittit, uſque ad perfectam labrorum conſolidationem.

Fig. II. oſtendit membranam pudendo muliebri transverſim inductam, quam veteres pro hymene habuerunt & diſſecarunt, quando integra expurgationem ſanguinis menſtrui & craſſior ſolito congreſſum conjugalem prohibuit.

Fig. III. Membrana hymen dicta, quæ ad expurgationem menſium ſuperiùs perforata eſt, & ob ſolam craſſitiem concubitum denegat, ſcalpello falcato (*Tab. XIV. Fig. IV. cujus apici globulus cereus affigatur*) tutiſſimè inciditur, ita ut patiens viro in futurum aptiſſima fiat.

Quodſi membrana hymenis carnoſior vaginam uteri penitùs & omninò obvelat, ut neque vir admitti, neque menſes expurgari poſſint, tunc Paulus l.6 c.27. illam per vulvæ longitudinem incidit ſcalpello, quam *Tab. II. Fig. I.* Spatham ex Celſo vocavimus.

Fig. IV. monſtrat, quomodo Hieron. Fabr. ab Aquapend. enorme, inutile, moleſtum & damnificum generi fœminino clitoridis incrementum (*malum Ægyptiis & Arabibus endemium*) inſtrumento ad polypum accommodato (*Tab. XII. Fig. I.*) abſcindat. *Hæc chirurgia planè ſimilis eſt exciſioni polypi*, quam tradit *Tab. XXXII. Fig. I.* Miram clitoridis productionem vidit in Picena meretrice Panorolus Pentecoſt. 4. obſ. 6.

Fig. V. agit de uteri extra abdomen prolapſi repoſitione. Patiuntur hoc malum fœminæ, quando ipſis ligaměta uteri lata & membranoſa vel ab humoribus immodicè relaxantur, vel per vim fortuitorum abrumpuntur. Hujus mali curatio tria requirit: 1. Repoſitionem uteri prolapſi. 2. Repoſiti in loco conſervationem, & 3. Ligamentorum vel laxorum obſtrictionem, vel ruptorum agglutinationem. Ante repoſitionem uteri conſiderandum, an illius procidentia ſit ſimplex, vel cum inflammatione aut tumore quodam frigido conjuncta. His enim morbis apparĕtibus, repoſitio uteri non eſt tentanda, donec idoneo remediorum uſu evaneſcant. Inflammationem curabit vel cataplaſma ex

radix, quæ ſola à ſordibus terræ repurgata, recens collo appenſa, & per aliquot dies nudo corpore geſtata, ad miraculum uſque hæmorrhoides cum dolore tumentes mitigat & reſolvit, ut præter experientiam *Tabernæmontanus Tom. 2. Herbar. fol. 431. & Crato conſil. 207.* teſtantur.

Quod ſi hæmorrhoides absque doloris ſenſu & phlegmone intumeſcant, accipio, præmiſſis præmittendis, ferramentum latum (*Fig. III.*) quod optimè ignitum hæmorrhoidibus ita adhibeo, ut non ignis contactum, ſed ejus ſaltem calorem percipiant ad bonam ægri tolerantiam. In ægris timidis & chirurgiam ſæpiuscule expaveſcentibus, hæmorrhoides hirundinibus, ſingulariter præparatis, aperio, & extracto ſatis ſanguine, ad corroborationem parti affectæ ſpongiam novam in vino nigro auſtero (*aut albo, in quo tamen idonea ebullierint adſtringentia*) probè expreſſam applico.

Hippocrates quidem ad prædictam Chirurgiam requirit cauterium capite rotundo *ſeu potiùs ovali præditum, & Fig II. allegatum*, quo omnes hæmorrhoidum tumores ſigillatim reſiccat. Meo tamen judicio, hîc magis probatur latum & *Fig. III* adhibitum, quoniam eodem citiùs finitur operatio. Quando autem hæmorrhoides Chirurgia curandæ non ſaltem intumeſcunt, ſed una quoq; vel altera tumentium fluit, ovale Hippocratis ferramentum præſtantius eſt lato: illud enim hæmorrhoides ſanguinem cum conferentia fundentes facilè præterit; hoc verò tam fluentes quàm ſimpliciter tumentes indifferenter quandoq; exiccat, non ſine magno patientis detrimento, quod ex animadverſionibus Spigelianis monere volui. Aliquando hæmorrhoides internè intumeſcunt, ob altiorem tamen in inteſtino recto ſitum, nullo dictorum modo in conſpectum trudi, multo minùs repetito ferri igniti (*ſive lati, ſive ovalis*) contactu curari poſſunt. Quid tunc medicamentis etiam fruſtrà uſurpatis faciendum? nonne aliud auxilium ex Chirurgiæ Promptuario repetendum? imò certè, requiritur enim cannula illa omninò ſolida (*Tab. XXI. Fig. V*) quæ actu frigida, & albo ovi agitato tantùm illita leniter ano immittatur, ac ſtylo ignito ſibi ſæpiùs intruſo calefiat, ut calefacta hæmorrhoides tam altè ſitas paulatim exiccet. *Vid. Tab. XLV. Fig. II.*

Hæmorrhoidum nimis fluentium & exulceratarum Chirurgia.

Cùm hæmorrhoides diuturnæ ſanguinem immodicè profundunt, omnes ferro (*Tab. XIX. Fig. IX. & X.*) ignito ſigillatim tangendæ ſunt, unâ ſaltem ſervatâ, per quam corpus ſanguine melancholico plenum expurgari poſſit, donec mala victus ratio & inde ſuborta viſcerum intemperies bona diæta commodisque remediis emendetur & corrigatur. Hæmorrhoidum fluxus quandoq; tam pertinax eſt, ut eum, factâ etiam revulſione, medicamentis adſtringentibus, tam ore aſſumptis & per anum infuſis, quàm extra adhibitis ſiſtere, peritiſſimo Medico nonnunquam impoſſibile ſit. Talem fluxus hæmorrhoidalis pertinaciam expertus ſum Venetiis (*ubi Medicis hæmorrhoides ſæpiſſimè occurrunt, & Chirurgiam per integrum annum exercui*) in Nobili Veneto, ex Contarenorum ſtirpe nato, Juvene 26. annorum, temperamenti ſanguinei, tempore veris, laborante primum (*ante hac enim nunquam*) hæmorrhoidibus externis nimium fluentibus, ad quem vocatus, revulſionis gratia, venam brachii dextri internam incidi, dorſoq; cucurbitulas, ſine ſcarificatione ſiccas, applicari juſſi, non neglectis partium ſuperiorum liga-

curis. Per Os ſæpius exhibui conſervam roſarum antiquam, Croco Martis permixtam, parti affectæ medicamenta validiſſimè adſtringentia, ovi albumine ſubacta & uſto goſſipio excepta cum convenienti ligatura appoſui, nihilominus tamen fluxus iſte ſemper vehemens duravit, ita ut æger rubicundus aliàs in pallidiſſimum mutatus de vita ſua periclitaretur. Nobili viribus exhauſto & adſtantibus conſanguineis, ad ſupprimendum ſanguinis fluxum & vitam conſervandam, *juxta Hippocratem l. 2. de hæmorrhoid. & Aëtium Tetrab. 4. Serm 2. c. 15.* venarum ſanguinem fundentium aduſtionem contra Hieron. Fabricium ab Aquapend. propoſui, propoſitamque confirmavi Hippocr. *aphoriſmo 6. ſect. 1, ad extremum morbum extremum requiritur remedium: & aphoriſmo 6 ſect. 8. Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat:* ſtudio verba illa omittens quæ ignis non curat, ea incurabilia judicare oportet; ne patiens anſam capiat de reſtitutione ſanitatis dubitandi. Patiens autem cùm ſentiret mortem non longè diſtare, Hippocratis ſententiæ fidem adhibuit, mihique & adſtantibus porrectâ manu promiſit, quod Chirurgiam adurentem ſibi adhuc reliquam incunctanter admittere vellet Unde domum feſtinans neceſſariis me inſtruxi inſtrumentis, punctualibus ſcilicet ſeu ovalibus (*Tab. XIX. Fig. IX. X. & XI.*) quæ retrocedens famulo, ut ea ignita redderet, tradidi: quibus optimè ignitis, *omnium venarum hæmorrhoidalium oſtiola ſa guinem* fundentia ſigillatim tetigi, ipſiſq; cruſtam induxi, à ſuperioribus aduſtionem incipiens, ne ſanguis, ex intactis qui defluit, ferramenta ignita ante operationem extingueret. *Vid. Senn p. l. 3. p. 2. c. 13. & Ludov ſeptal l. 7. animadverſ. 112. lect. digniſ.* Sanguine per aduſtionis Chirurgiam ſuppreſſo, & optima victus inſtaurantis ratione, quam præſcripſi, obſervata, nobilis priſtinam conſequutus eſt ſanitatem, cui conſului, ut ſingulo trimeſtri quatuor cucurbitulas ſcarificatas, duas ſcilicet ſtapulis & totidem dorſo adhiberet, ne natura in futurum ſanguinis abundantiam per venas ani expellere aſſueſcat. His ritè obſervatis, reſtitutus ab hæmorrhoidum fluxu liber per decennium integerrima ſanitate vixit. Quodſi natura prædicti Nobilis antehac ſæpiùs hæmorrhoides aperuiſſet, & ad hanc ſolùm partem ſuperfluum ſanguinem transmittere fuiſſet aſſueta, unicam hæmorrhoidum ferro ignito intactam reliquiſſem, poſtmodum pulviſculis ſaltem emplaſticis & adſtringentibus occludendam, ita ut vel ſponte, vel arte facillimè reſerari, & datâ quaſi portâ per eam ſanguis (*qui in corpore indies aggregatur, ſtatiſq; temporibus evacuari ſolet*) expurgari poſſit ad præcavendos illos affectus, quorum Hippocrates mentionem facit Sect. 6. Aphoriſm. 12. *A diuturnis Hæmorrhoidibus curato, niſi una quæpiam ſervetur, periculum eſt aquæ inter cutem.* Et quidem l. 6. ſect. 3. text. 33. & 34. *Qui ſanguinem per ora venarum, qui in ano ſunt, profundere ſolent, neq; inflammatione pulmonis, neq; ulcere excedente, neq; furunculis corripiuntur, neq; tuberculis, quæ à cicerum ſimilitudine Terminthi dicuntur, ac fortaſſis ne lepra quidem, fortèque nec aliis id genus morbis. Intempeſtivè tamen ab Hæmorrhoidibus curati non cunctanter hujuſmodi morbis correpti ſunt, eamque ob cauſam malitioſè habuerunt.*

Hæmorrhoidum internarum ulcera, ne in fiſtulas degenerent, quandoque per aduſtionem ſingularem exiccanda ſunt. Quapropter ano indatur cannula (*Tab. XXI. Fig. VII.*) in latere pertuſa, & huic ſæpiùs immittatur ſtylus optimè candens (*Tab. XXI. Fig. VIII.*)

VIII.) ſtatimq; extrahatur, ſimili planè modo, quem *Tab. XXXI. Fig. II.* de Spigeliana narium inuſtione pluribus docui. Sic enim & hæmorrhoidum ulcera tutò aduruntur, & partes hæmorrhoidibus ulceratis vicinæ ab ignis offenſione defenduntur. Dolore anodynis mitigato, eſcharaque ſublata, ulcus medicamentis ſarcoticis incarnandum, & epuloticis conſolidandum. *Vid. Tab. XLV. Fig. II.*

TABULA QUADRAGESIMA QUINTA.

De exploratione & curatione ulcerum & fiſtularum ani, duobusque monſtris humanis.

Fig. I. anus blandè dilatatur dioptra (*a Tab. XXII. Fig. II.*) calefacta parum, oleoq; oblita, ad explorandam hæmorrhoidum internorum ulcerumq; inteſtini recti quantitatem & qualitatem. Ulcerum dicti inteſtini ſitum & magnitudinem absq; ſpeculo exactiſſimè etiam cognoſcimus turundâ in anum miſsâ, per integrum diem ibi relictâ & tandem extractâ. *Vid Tab XXXII. Fig. II.*

Fig. II. oſtendit modum utendi tutiſſimum cannulis (*b Tab. XXI. Fig. V. VI. & VII.*) ac ſtylo (*d. Tab. XXI. Fig. VIII.*) quæ tumoribus hæmorrhoidum internis, exulcerationibusq; inteſtini recti curandis accommodata ſunt. Exulcerationes inteſtini recti ſuperficiales, hæmorrhoidesq; internæ citra dolorem tumentes amant cannulam omninò ſolidam (*Tab. XXI. Fig. V.*) oviq; ſolo albumine oblitam. Ulcera verò hujus loci profundiora vel calloſa deſiderant cannulam ad latus perforatam (*Tab. XXI. Fig. VI.*) linteolo pariter pertuſo, inque vino auſtero expreſſo obductam. Requiſita igitur ab affectu cannula præparetur & leniter in anum miſſa ſtylum optimè ignitum ter quaterve recipiat, prout narium Chirurgia, (*Tab. XXXII. Fig. II.*) quæ huic ſimillima eſt, fuſè declarat. Operatione finita, locus affectus medicamentis infuſis & appoſitis ad perfectam uſque curationem tractandus eſt.

Fig. III. IV. V. VI. & VII. docent Chirurgias, quibus ani fiſtulæ tutiſſimè curari ſolent. Sunt autem fiſtulæ ani duplices: quædam excitantur ab ulcere inteſtini recti neglecto, quod varias habet cauſas, pituitam ſcilicet ſalſam, bilem acriorem & morbum (*in regionibus præcipuè calidioribus*) Gallicum. Aliæ ortum trahunt à tuberculo (*ob æquitationem vel caſum*) exteriùs circa anum ſuborto & ſuppurato, cujus ſanies exitum non habens ſinum efficit profundum. *Priores* ſeu internæ fiſtulæ *vel* exedunt inteſtinum rectum, ſimulq; perforant quatuor integumenta communia, ita ut purulenta materia, vel potiùs ſanies per externam cutem egrediatur: *vel* circa partes muſculoſas aut communes conſiſtunt. *Poſteriores* ſeu externæ itidem *vel* inteſtinum rectum planè perforant, *vel* ad inteſtini recti tunicas ſaltem pertingunt. Signa fiſtularum propoſitarum accuratè tractavit *Hieron. Fabric ab Aquapend. l. 3. Pentateuch. c. 12.* ſingulas ab Adriano Spigelio ferramentis dextrè inciſas & feliciſſimo ſucceſſu curatas vidi. Nec mihi deſunt magni nominis viri, animo forti militiam ſequuti, & ex lue Gallica talibus ani fiſtulis vexati, quos Præceptoris mei crebrâ experientiâ fretus in patria curavi modo ſequenti.

Fistularum ani penetrantium Chirurgia.

Fistulam ani (*sive ab ulcere intestini recti, sive à tuberculo in natibus exorto proveniat*) perforantem & adhibitis medicamentis minimè cedentem curaturus, specillum depromo argenteum in utraque extremitate *Fig. III. & IV.* capitibus rotundis (*d e*) præditum, illudq; pro necessitatis ratione incurvo. Specilli extremitati (*e*) & syringotomi globulo (*f*) filum ex lino duplicatum (*g*) alligo His ritè peractis, fistulæ externo orificio (*h*) lentè intrudo specillum, illudq; ut & filum duplicatum, & globosum syringotomi caput per ani orific um (*i*) traho, *ut ex Figuræ IV. literis constat*. Postea manu sinistra arripio instrumenti Syringotomi caput, (*f*) dextrâ verò ejus extremitatem (*k*) atq; sic instrumento partim tracto, partim impulso fistulam (*uno quasi ictu ne diu doloribus ægri torqueantur*) integrè incido. Quâ incisâ sanguis sistendus, inflammatio prohibenda, callu; (*medicamento ℞. Mercur. præcip ʒß. mell. rosar. col. ℥ß M.*) absumendus, vulnus recens carne implendum, & incarnata cicatrix inducenda. Hac ratione, *absq; cauterio actuali, quod alii ad callos fistularum consumendos maximè laudant*, fistulæ penetrantes facillimè & tutissimè curantur: Sphincter enim *ex Hippocr. de hæmorrhoid.* tutò potest incidi, quovis modo, sine læsione sui officii, si saltem octava ejus pars relinquatur intacta, aliàs sequeretur involuntariam fœcum excretio & hanc certissima mors. Fistulæ tamen ani in senibus ex antiqua fluxione ortum habentes, ut hæmorrhoides diuturnæ, tutò non curantur, nisi ante consolidationem vulneris femori inuratur fonticulus, tribus vel quatuor digitis supra genu, in parte domestica pro evacuatione materiæ quotidie collectæ, & per fistulam antiquam expurgari consuetæ.

Fistularum ani, quæ non penetrant, Chirurgia.

Si occurrit fistula ani (*quæ originem traxit ab ulcere intestini recti, nec tamen integumenta corporis communia perforavit Fig. V.*) mihi curanda, in manum sumo specillum argenteum, quod in una sui extremitate capitulum (*l*) rotundum, & pro trajectione fili serici (*m*) perforatum habet; in altera, pro incisione fundi fistulæ, instar acus ancipitis acuminatum est, cujus apici (*n*) affigatur pilula cerea (*o*) quo specilli acumen liberè transit ad fistulæ fundum, nec timor est, ut in latera impingens operationem impediat, aut dolorem excitet. Præparato sic specillo, fistulæ intestini fundum inquiro, eoq; invento, specillum fortiter sinistrâ trudens perforo cutim, (*Fig V.*) illudque per fistulam duco, propendente ex utroq; orificio fistulæ, filo serico. Perrupto fistulæ fundo, Cornelius Celsus *l. 7. c. 4. de ani fistulis*, & qui Celsum sequuntur, utramque fili ex serico contorti (*sericum tamen simplex & rubrum, ob tenuitatem & tincturam citius incidit & erodit*) extremitatem colligunt, illudque parvo quodam & transverso ligno (*p Fig. VII.*) arctissimè stringentes, totum sinum seu amborum foraminum interstitium incidunt: hanc tamen fistularum ani per filum incisionem (*Fig. VII.*) quia nimis tarda est, illique continuus jungitur dolor, meritò rejicit Fabricius ab Aquapendente, nec locum habere ait, nisi in iis, qui meticulosè ferrum expavescunt, &c. Hinc ita me gero, fistula specillo acuminato perforata, foraminibus ejus (*beneficio serici festuca arctè per biduum constricti*) pro usu Syringotomi (*quod in altera extremitate capitulum habet rotundum*) sufficienter dilatatis, festucam & sericum removeo, fistulamque incido eum in modum, quem suprà in curatione fistulæ penetrantis descripsi. Hæc posterior fistularum per Syringotomi aciem & filum curatio Celsi & recentiorum Chirurgorum opiniones conjungit, &, experientia teste fidissimo, simplici per filum incisione melior existit & tolerabilior, tunc præsertim, quando orificia propter sinus longitudinem multum distant. Si & hæc ex serico & syringotomo composita operatio videbitur æquo tardior, omnibus bonæ operationis conditionibus satisfaciet Chirurgus, si statim fistulam citra specilli acumen & sericum Syringotomi scalpello (*Tabul. XIV. Fig. X. c.*) perforat atque incidit, prout *Tab. XXXV. Fig. VIII. k* docet. Fistula à tuberculo in natibus suppurato exorta curam requirit eandem à Chirurgo, qui, si placet, à principio procedat, veluti Figura VI. ostendit, sin minus, Syringotomis sectionem instituat.

Fig. VIII. anus puero recèns nato occlusus lanceola aperitur: post operationem hanc, ano perforato, immittatur penicillus ad dilatandum ex spongia & albumine ovi paratus, locoque affecto applicentur ea, quæ in apertione penis & vulvæ indicavi.

Fig. IX. ostendit monstrum Würtenbergicum. Anno post Christum natum *1651.* die 5. Julii horâ ferè sextâ post meridiem, in vico Winterbach Ducatus Würtenbergici, Anna Georgii Langii, bubulci conjux partum edidit monstrosum, atque ita conformatum, velut apposita docet imago: duobus nimirum capitibus, quatuor pedibus, totidemque brachiis præditum. Hoc, statim atque nascebatur monstrum, Vir admodum Reverendus & doctissimus Dominus, Magister *Johannes Rieppius*, Parochus dicti loci ordinarius sacro Baptismo donavit, & sequenti 6. Julii in æde sacra nomine *Christiani & Christianæ* insignivit. Fœtus hic monstrosus eodem die horâ sextâ post meridiem obiit. Septimo Julii in præsentia Domini *Christophori* von Rueff olim militiæ Cæsareæ Archiater, tunc verò apud Schorndorfenses Practici mecum ordinarii, *Jacobi Guckelini*, Pharmacopæi peritissimi, *proprii genitoris*, cui durum pectus natura dedit, *aliorumque* scalpello anatomico cadaveris abdomen & thoracem aperui, & adstantibus monstravi duos ventriculos, quorum unicuique annexa fuerant intestina tenuia, quæ tamen ad principium crassorum in unicum intestinum cæcum, colon & rectum desinebant. Liberatis artificiosè intestinis à mesenterio, sub dextro hypochondrio in conspectum venit unicum hepatis parynchima, in sinistro unicum lienis, in regione verò lumborum tres renes, totidemque uretras in unicam cystem urinariam hiantes.

Generationis organa quod attinet, unus aderat uterus, cum partibus omnibus ad generandum fœminæ necessariis; pendulum illud in perinæo non erat perforatum, sed instar intestini cæci occlusum. In cavitate thoracis duo reperi corda, quorum quodlibet suo pericardio includebatur, unicumque mediastinum, quod corda sic ab invicem separavit, ut unum in sinistro & alterum in dextro latere sedem habuerit. Hujus monstrosi partus externam imaginem operi posthumo adjunxit Authoris ex fratre Filius.

Anno 1639. die 18. Junii conjux Bartholomæi Abelini Textoris Ulmani fœtum edidit


edidit mortuum, qui in partibus obscœnis nullum habuit signum, ex quo innotesceret sexus, an scilicet masculus fuerit, an fœmina. Neque etiam via apparuit ulla, per quam fœtus vesicæ urinariæ & alvi fæces excernere posset. In perinæo dependit aliquid ad longitudinem digiti auricularis, quod instar intestini cæci perforatum non erat. Ab ossibus pubis usque ad calcem ambo pedes arctissimè cohærebant. In reliquis partibus fœtus pulcherrimè fuit formatus.


TABULA QUADRAGESIMA SEXTA.

De Spinæ ad exteriora prolapsæ & juguli propè pectus luxati extensione & repositione.

FIg. I. monstrat spinæ ad exteriora recens luxatæ curam, quæ per impulsum facilè comparatur, si ex scamno (*Tab. XXIII. Fig V.*) omnibus luxationibus accommodato Hippocratis removentur priapiscus & duo media ligna. His remotis, in medio videntur duo foramina, quorum (*a*) sinistrum ita relinquitur, in dextrum verò (*a*) demittitur aliud lignum (*b*) excavatum ad recipiendam spatham (*c*) ferreo clavo (*d*) firmandam. Lignum (*b*) tribus foraminibus quadratis pertusum sit, ut spathæ impellendo idoneæ extremitas, *vel* in foraminum supremo, *vel* medio, *vel* infimo, pro gibbi magnitudine recipi possit. Parentur etiam duæ fasciæ sex digitos latæ & secundùm ægri corpus oblongæ, seu laquei ex tela nova ad extensionem validam validi quibus præparatis, collocetur patiens (Δ) in ventrem, seu pronus super scamnum modò descriptum & laqueorum (*ef*) capita, quorum unus (*e*) supra gibbum dorso & pectori subter brachia injiciatur, & alter (*f*) infra gibbum corpori ad regionem ossis sacri ita circumducatur, ut dimidia laquei aut fasciæ latitudo superiores ossis ilei extremitates superet, reliqua verò ossi ilei incumbat, ad axes sibi vicinos (*gh*) recta ferantur, ut convenienter & clementer, *sicut Tab. quinquagesima docet*, circumvoluta spinam æqualiter extendant, & extensam tamdiu firmiter contineant, donec Chirurgus (*k*) spatha super spinæ gibbum conjecta & magno manuum conatu depressa luxationem impulerit. Hic impellendi, vel spinam potius comprimendi modus validior est, quàm is, qui volâ manus perficitur, nec parum differt ab eo, quem Oribasius *libr. de machinam. c.* 35. obscurè nobis depictam & descriptam reliquit.

Fig. II. ostendit juguli restitutionem luxati, quam describit Galenus comm. 1. in libr. Hipp. de articul text. 72. *Si ea pars juguli, quæ cum pectoris osse committitur, vel in latus, vel in inferiorem partem prorumpat, tunc ait Hippocrates, commodè restitui, si homo* patiens (a) in terra *resupinetur, subjecto inter scapulas juxta spiram pulvino* (b) *seu cervicali, seu tali quopiam* fulcimento, *ut hac via thorax totus recurvetur. Hoc autem expressit vocabulo* περιῤῥηδὲς, *quod Poëta etiam usurpavit, quum inquit:* περιῤῥηδὲν δε τραπέζει καλέπεσι. *Homine itaque* ægro *ita*, ita ut dictum, *figurato præcipit, ut Medicus* (e) *altera manu* (f) *humeri ad latus deducti caput in exteriorem partem repellat*, brachiumque minister (o) ad latus porrectum sursum adducat; *sic enim deductæ juguli partes plurimum inter se re-*




TAB. XLVII.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
A
B
D
E
F
M
Arnold. Delineavit.

se recedent, recurvato pectoris habitu multum ad eam rem conferente. Hæc extensio dum durat, *Chirurgus altera manu* (g) *componat atque in unum adducat diductas juguli partes. Humerum verò juxta latus sursum compelli interdum satis esse, insequentibus adscribit* Hippocrates.

TABVLA QVADRAGESIMA SEPTIMA.

De tribus differentibus modis humerum sub axillam prolapsum extendendi, & extensum restituendi.

F*Ig.I.* ostendit primum modum, seu omnium optimum per instrumenta restituendi humerum sub axillam prolapsum, quam ex Fabricii ab Aquapend. *l.5. Pentateuch. Chirurg. c.4.* verbis parum mutatis, trabi transversæ columnam (*Tab. XXIV. Fig. I. a*) substituens transcripsi. *Spathæ extremitas inserenda est sub alam humeri luxati inter costas & caput humeri: reliqua verò tabula per longitudinem brachii interni collocata ligari debet, primum quidem statim sub capite humeri luxati, deinde supra cubitum, post ad carpum.*

Hoc facto æger collocetur supra sedile (*a*) & brachium tabulæ ter alligatum (*b*) trabi seu columnæ (*d*) beneficio clavi (*c Tab. XXIV. Fig. II.*) adaptetur, ita ut columna (*d*) sit inter costas & tabulam brachio alligatam. *Sic collocato ægro & columna Chirurgus* (e) *ex una parte brachium deorsum, ex altera verò minister* (f) *cervicem & summum humerum amplexus, ægrum similiter deorsum trahat. Dum* enim *Chirurgi*, Dominus scilicet & minister, *brachium deorsum trahunt, tabula etiam unà cum brachio ad costas trahitur: ubi verò inferior tabulæ extremitas ad costas adducitur, superior rotunda pars facit motum contrarium, & ita movet caput luxatum ad partem anteriorem, qua motione factâ facilè postmodum musculi trahunt, aut ipse Chirurgus impulsum faciens reponit hoc modo caput ossis humeri.*

Hic tabula utendi modus differt ab eo, quem *Paræus l.15. c.27.* depingit. Quomodo humerus sub alam prolapsus per scalam & spatham simul reponatur, iconem habet Paræus *l. alleg. c. 26.* Reliqui modi humerum ad inferiora luxatum restituendi, per sedile nempe Thessalicum, januam biforem, trabem transversam & pistillum, reperiuntur depicti apud Galen. *Comm. 1. Hipp. de articul. text. 15. 19. 22. & 23.*

Fig. II. ostendit secundum modum, seu manibus restituendi humerum sub axillam prolapsum. Quamvis enim Hippocratis testimonio sect. 6. de articul. text. 6. omnium optimus restituendi humerum modus sit ille, qui fit per spatham, & jam Figura prima delineatus, descriptus & commendatus fuit: hic tamen illi bonitate sua quam proximè accedit, quam senex noster sect. 6. de articul. text. 1. laudare videtur, sequentibus verbis. *Quibus igitur humerus frequenter sub axillam elabitur, ii per se ut plurimum caput humeri in suam sedem reponere possunt. Immissis enim sub alam alterius* seu sanæ *manus digitorum modulis, articulum sursum propellunt, cubiti verò gibbum ad pectus adducunt. Vel ad hunc quoque modum* Medicus (a) *in suum locum compellet, si interiore articuli prolapsi parte, sub alam immissis digitis, ipse quidem capite ad summum humerum ægri* (b) *obfirmato, à costis reducat, genibus verò*

ad

ad cubiti flexum brachio admotis ad costas repellat. At qui reponit, manus eum habere robustas convenit, aut ipse Chirurgus *quidem manibus & capite id*, quod præstandum, *præstet, alius verò quidam minister cubiti gibberum* ad pectus adducat.

Fig. III. monstrat testium seu Hildani modum restituendi humerum sub alam luxatum, quem recentiores Chirurgi summoperè commendant. Hunc Autor cent. 5. observ. 86. prolixè descripsit, & ostendens ibi varios suæ remoræ, quam invenit, cingulique & machinæ tractoriæ usus, depingi curavit restitutionem sub alam prolapsi. Hildanus collocat ægrum supra spondam, ego autem super scamnum Hippocratis, ut tyrones addiscant, quomodo Hildani Remora adhibenda sit in scamno dicto, ex quo 1. removetur axis medius & priapiscus. 2. Remora (*a*) cum suo globulo suavibus linteis involvitur, & scamno infigitur. 3. Æger supinus collocatur, & ad remoram ita adaptatur, ut ejus globulus alæ cavitatem repleat. 4. Cingulum (*b*) carpo applicatur, ut unus hamulus ad internam, alter ad externam carpi partem spectet. 5. Hamulis cinguli injicitur laqueus validus, cujus extremitates circa apicem digiti medii conjunctæ recipiunt uncum superiorem (*c*) machinæ tractoriæ. 6. Inferior machinæ tractoriæ uncus (*d*) annectitur clavo (*Tab. XXIII. Fig V. i o u*) scamni annulato. *His omnibus factis, Chirurgus utraque manu (e f) funem ductorium ad se paulatim trahendo, brachium rectissimè extendat, donec caput humeri in propriam sedem inciderit. Tum machinam paulatim relaxatam removeat, ægrum erigat, cavitatem axillæ pila, quæ ex linteis sit convolutis, repleat, articulumque fasciis ita stabiliat, ne iterum ex loco suo prolabatur.* Mea tamen experientia teste, humeri luxationes ad inferiora factæ si manibus reponi nequeunt, faciliùs Spathâ Hippocratis, quàm Remorâ Hildani restituuntur.

TABULA QVADRAGESIMA OCTAVA.

De humeri fracti, cubitique & manus, quæ luxationem patiuntur, extensione & restitutione.

FIg. I docet humeri in medio fracti extensionem & compositionem, quam Hippocrates Section. 6 de fract. text. 9. pulcherrimè describit: *Lignum cubitale* (a) *aut paulò brevius, cujusmodi sunt ligonum manubria, ab utraque parte fune* (b c) *deligatum* & sic æqualiter firmiterque *suspensam esse oportet*, ne sursum & deorsum ferri possit. *Homo autem* fracturam patiens *alto quodam sedili collocatus manu superincumbat sic, ut manubrium sub ala* transversim *ita statuatur, vix ut ille considere possit, sed propè suspensus maneat. Tum supposito firmo aliquo & superdato pulvino uno* (d) *aut pluribus, ea altitudine, quæ obliquè collocato cubito ad rectum angulum respondeat: præstiterit quidem ex corio* valido, *lato & molli, vel fascia lata* (e) *superinjecta grave aliquod pondus* (f) *quod modicè intendat, suspendere. Aut,* loco fasciæ & ponderis, *alius vir sic collocatum cubitum ad cubiti flexuram vi quadam deorsum deducat robustus,* velut Figura secunda ostendit. *Medicus verò erectus, altero pede altiore loco collocato ad curationem aggrediatur, & manuum palmis os fractum componat. Quod certe facilè fiet, hac enim extendendi ratio laudabilis est, si quis ea probè utatur.*

Alii



Alii laudant Celsi humerum intendendi modum, quem l. 8. c. 10. verbis valdè obscuris describit: cujus clarum & integrum sensum apposuit *Foësius Comm. in superiorem Hippocratis textum. Homo collocatur alto sedili, Medicus autem humiliore adversus. Una fascia brachium amplexa, ex cervice ipsius, qui læsus est, id sustineat. Altera ab altera parte super caput data ibi accipit nodum. Tertio vincto imo humero deorsum demittitur, ibi quoque capitibus ejus inter se vinctis. Deinde ab occipitio ipsius, minister sub ea fascia, quam secundo loco posui, correptum, si dexter humerus ducendus est, dextro, si sinister, sinistro brachio, demissum inter femina ejus, qui curatur, baculum tenet. Medius super eam fasciam, de qua tertio loco dixi, palmam injicit dextram, si sinister, sinistram, si dexter humerus ducatur, simulque alteram fasciam minister attollit, alteram premit Medicus.* Quo fit ut leviter extendatur humerus. Uterque modus est laudabilis, Hippocraticus tamen est facilior, minoremque exigit apparatum.

Fig. II. ostendit modum Hippocraticum restituendi cubitum, cùm vel in interiorem vel exteriorem partem prolabitur. Cubitus siquidem in quatuor partes perfectè luxari potest, ad exteriorem scilicet & interiorem, ad priorem & posteriorem. Ubi in exteriorem partem cubitus prolabitur, in exteriore parte eminentia consueto major adest, & in interiore cavitas percipitur. Si cubitus in contrariam seu interiorem partem luxatur, signa prioribus sunt contraria. In utraque luxationis specie brachium curvatur & extendi nequit. Cùm cubiti luxatio fit in priorem partem, brachium manet extentum, neque quid minimum curvari potest, insolitusque tumor in parte anteriore apparet, & sinus in posteriori. Si in posteriorem partem cubitus fuerit luxatus, brachium curvum est, & extendi nequit, tumor in posteriori persentitur parte & cavitas in posteriori. *Ubi cubitus* igitur *in interiorem vel exteriorem partem prolabitur, distentio ita adhibenda est, ut cubitus ad rectum angulum cum humero collocetur. Attollere autem alam oportet fascia* (g) *subjecta*, quæ alicui sublimi alliganda, *& cubitum* vel *super rem aliquam collocare, ac juxta articulum aliquid grave*, sive sit lapis, sive plumbum, *appendere*, ut Figura prima docet, *vel manibus ministri* (*h i*) fiant, quæ pulvinar & fascia præstiterunt. Oportet enim ministrum sinistra manu (*h*) brachium non longè à carpo tenere, & dextra (*i*) eundem prope flexuram *deorsum urgere*, ut in hac Figura videre licet. *Suspenso autem articulo, necesse est*, illum *prominentioribus palmarum partibus adurgere* & reponere. *Hæc Figura* angularis, quia brachio est rectissima, *convenit, dum reponitur, deligatur & collocatur cubitus.*

Fig. III. monstrat curationem cubiti ad priora & posteriora prolapsi secundùm Hippocratis sententiam. *Expedit autem*, ad reponendum cubitum ad priora prolapsum, *fasciam* (o) *glomeratam, seu linteum durum implicitum cubito, qua parte curvatur, transversim injicere, tum* citra extensionem *repentè cubitum inflectere, & quantum maximè potest, manum* extremam *ad* summum *humeri caput porrigere: hæc enim flexio* sola, seu subita intendendi simul & *reponendi ratio iis, quæ sic in priorem partem luxata sunt, abundè est.* Quodsi verò ad posteriora prolabitur cubitus, is non statim, sed dum à ministris oblique extenditur, super impositam fasciam convolutam repentè flectendus est.

Fig. IV. manus luxata restituitur. Manus ad carpum in quatuor partes luxari potest,

in anteriorem, posteriorem, interiorem & exteriorem. Ad anteriora manum incidisse intelligimus, cùm resupinata permanet, & unà cum digitis flecti nequit. Sic ad posteriora fit luxatio, quando manus incurvatur, & cum digitis extendi non potest. Si ad latus internum luxatio inciderit, manus obliquatur ad pollicem, si ad externum, eadem distorquetur ad digitum minimum. Restituuntur autem dictæ luxationes sequenti modo. *Restituenda manus collocetur super quid durum ac planum, quale est mensa vel scamnum, supina, si ad anteriorem partem sit luxatio, & prona, si* velut in hac Figura *ad posteriorem: dein à duobus ministris, altero* (l) *nimirum digitos apprehendente, & altero* (k) *brachium, in diversa extensio fiat, & cùm abundè extensio fuerit facta, Medicus* (m) *ad contrariam partem articulum luxatum vel prominentioribus palmarum partibus, vel calce pedis validè premendo compellat, & dolorem evitaturus aliquod durum è linteis confectum* (n) *ea parte apponat, qua maximè premendum est. Si manus versus pollicem vel digitum minimum prolabitur, eam Medicus, factâ commodâ, ut modò dictum, extensione, in contrariam partem impellat, atque sic in proprium locum restituat.*

TABULA QUADRAGESIMA NONA.

De cubiti ad priora prolapsi, femorisque luxati & fracti extensione & restitutione.

F*Ig I.* ostendit *aliam restitutionem cubiti ad priora luxati*, quando scilicet per linteum glomeratum *Tab. XLVIII. Fig. III* repentina flexione reponi nequit. *Organon Nilei Plinthium vocatum quatuor loris ad infimos scalæ in terram defossæ gradus alligetur, & æger super sedile stans scalæ ita adaptetur, ut caput supremi gradus rotundum sub alam veniat. Dein cubitus supra carpum vinciatur fascia, ad cujus extremitates laquei duplices capita, quæ per superiores & inferiores trochleas ductâ duplici interveniente motu trahunt annectantur. Quo facto, axis organi manubrio paulatim circumducatur, donec laqueus fasciæ annexus cubitum sufficienter extenderit. Finita extensione organi rotulis remoras injiciat Chirurgus, & prominentioribus palmarum partibus cubitum reponat.*

Fig. II. monstrat *repositionem femoris luxati*, quam Hippocrates de articul. textu 64. describit, ut sequitur. *Reponitur autem hoc modo femoris articulus, sive in interiorem, sive in priorem partem eruperit. Scala defoditur, cui homo* fracturam patiens *insidet integro* seu sano *crure* (a) *leniter extento, & qua commodè poterit ter alligato: vitiato verò cruri* (b) vel *calathus* (c) *in quem lapides fuerint conjecti, vel fictile vas* (cujus effigies videatur apud Galen. Comm. 4. in Hipp. de artic. text. 64.) *aqua plenum appenditur.*

Fig. III docet *femoris in medio fracti* validam per habenas *extensionem.* Cùm femoris extensio manibus facta satis non est, nec scamnum Hippocratis haberi potest, Medicus confugiat ad habenas & scamnum commune. Præparatis igitur tribus validis habenis, tres validissimi ministri, *qui robur in manibus & animo sentiunt*, corpus ægri supinum collocent super scamnum commune, & extensis, quantum licet, pedibus, primam habenam alligent sub ala; secundam applicent spatio illi, quod est inter anum & natu-



naturalia, interfemineo; tertiam ponant ſupra genu & malleolos. Ægro benè collocato, habenisque corpori convenienter adaptatis, inferiorem habenam miniſter à pedibus ægroti menſæ aſſiſtens, ambabus manibus ad ſe (*deorſum*) validiſſimè trahat. Superiorum habenarum capita miniſtri ad ægri caput ſtantes ſimiliter ambabus manibus ad ſe (*ſurſum*) validiſſimè trahant. Hoc attrahendi modo femur in diverſa diductum recto tramite extenditur, & extenſum tamdiu firmiter contineri poteſt, donec Medicus fracti oſſis capita prominentioribus palmarum partibus adaptaverit. *In repoſitione genu luxati*, quando manuum extenſio non eſt ſufficiens idem requiritur apparatus, & trahendi ratio, *quam modò in femoris fractura deſcripſi*, ferè eadem, nec aliter differt, niſi quod in hoc caſu inferior habena cruri ſaltem ſupra malleolos adhibetur.

Fig IV. exhibet *uſum Gloſſocomi* Tabula vigeſima quarta ſeparatim depicti, quem Galenus loco ibidem allegato deſcribit. *Habeat* inſtrumentum, *inquit*, *ab ima parte axem* (a) *ad quem extremi laquei in diverſa extendentes deligantur. Injiciantur laquei extremis partibus oſſis* femoris, *quod hîc curatur*, *fiantque ex duabus habenis* (d e) *ſic, ut quatuor uterque* laqueus, qui duplex eſt, *capita habeat, bina à dextra parte* (f) *totidemque à* (g) *ſiniſtra. Ex iis capitibus, quæ inferioris laquei* (e) *ſunt, per* quatuor *foramina*, quæ facta ſunt *in inferiore* (b) *parte Gloſſocomi, ad axem duci debent.* Ea verò capita, *quæ ſuperioris* (d) ſunt laquei, oportet *primò procedere ad ſuperiora*; *deinde ipſa quoque per latera Gloſſocomi trajicienda, quibus foraminibus trochleæ* (c c) *incluſæ ſunt*: utrinque *autem*, ſeu ad utrumque latus, *ab exteriore parte* (f g) *Gloſſocomi*, *ſuperioris laquei* (d) *capita ferenda ſunt ad axem. His enim ita conſtitutis, una axis converſio pariter ambos laqueos extendit, deorſum verſus illum* (e) *qui ad inferiora oſſis fracti alligatur*, *deorſum verò alterum* (d) *ſic, ut, ubi crus jacet, liceat in poſterum quotidie hanc laqueorum in diverſas partes intentionem corrigere, valentius vel lenius extendendo. Laqueum* (e) *igitur*, *qui in inferiore parte* oſſis fracti *eſt*, *directa ductione axis extendit: eum verò* laqueum, (d) *qui in ſuperiore* femoris læſi *parte eſt*, axis extendit *intercedente alio motu*, quem Græci *διὰ τῆς μεταληπτικῆς τάσεως* dicunt. Schema noſtrum oſtendit extenſionem femoris fracti & diminuti: ſed crure diminuto, laqueus ſuperior infra genu, inferior verò ſupra malleolos alligandus eſt, & crus dicta ratione extendendum. Femur & crus facilè conſervantur extenta, ſi dentibus rotulæ, quam habet axis, remora (*i*) duplex injicitur.

TABULA QUINQUAGESIMA.

DOcet Tali ſeu *aſtraguli luxati reſtitutionem*, quam Oribaſius l. de machinamentis c. 40. deſcribit: *Talus modò in interiorem partem procidit, interdum in poſteriorem quoque convertitur, in quas partes* prolapſus *ubi venerit, æquè* (ac in præcedentibus curis ſuper ſcamnum Hippocratis) *reſupinare hominem ægrum*, convenit *crure extento.* Confert etiam læſo ac vitiato *cruri*, ſtatim infra genu *carcheſium* (a) *laqueum æqualiter exten-*

extendentem circumponere, ejusque capita à poſteriori parte ad axem (c) *qui ſupra caput eſt* patientis, adducere; *Talo autem draconem, ſeu* laqueum *Sandalium* (b) *injicere, ejusque capita ad inferiorem axem* (d) *allegare. Tumque* præparatis ad extenſionem requiſitis conducit *membrum* affectum *vel in diverſa diducere*, *vel* diductum aliquandiu *continere*, axes ab utraque parte ſuis manubriis circumvolvendo. *Nervis quantum res poſtulat extenſis*, neceſſum eſt luxatum aſtragulum convenienter manibus *impellere, ubi in interiorem vel exteriorem partem eruperit, retrò cogendo, ubi in poſteriorem extrahendo.* Ægri ergò ſuper ſcamnum collocati crus laqueis convenienter vinciendum eſt, vinctum per axes, quos tres miniſtri & ipſe Medicus paulatim circumvolvunt, ſufficienter in diverſa diducendum, diductum firmiter conſervandum, injectâ cunctis rotulis remorâ, donec aſtragulus reponatur nunc impulſus, nunc attractus. Quodſi in crure vel tibia, vel fibula, vel os utrumque rumpitur, & extenſio manibus fieri nequit, æger ſimiliter ſupinus collocetur ſuper ſcamnum Hippocratis, & cruri fracto infra genu adaptetur laqueus Carcheſius, ſupra malleolos verò Sandalius, ut in diverſa diduci poſſit, & fractura ejus componi.

TABVLA QVINQVAGESIMA PRIMA.

De apparatu ad deligandum crus ſimpliciter fractum, & ipſo deligandi modo, quem Hippocrates in curandis præcipuè fracturis obſervat.

Literæ ſeparatim poſitæ oſtendunt apparatum neceſſarium, ne quid in deligationis opere deſit, aut deligationem retardet; in figuris autem poſitæ docent præparatorum applicationem ſeu deligandi modum.

A B ſunt duo vitra, quorum unum continet vinum rubrum, alterum oleo roſaceo eſt repletum. C oſtendit ova tria, ex quorum albumine vinoque rubro & oleo roſaceo mixtura fit repellens & anodyna. D. ſpatula benè agitatur albumen ovorum, & in ſpumam redacto additur vinum & oleum *E F* ſunt glomeratæ ſubligationis faſciæ, de quibus Hipp. de officin. Medic. text. 30. *Linteorum autem ſubligationes duæ cùm ſint, una* C *ex loco affecto in ſuperiorem partem* vergit, *altera* F *ex parte affecta in inferiorem partem deſinit. Ad locum affectum appreſſus maximè fieri debet, extremis partibus minimè, in reliquis verò pro ratione. Deligatio quoque magnam ejus, quod ſanum eſt, partem occupet,* veluti figuræ ſequentes docebunt. *G* eſt faſcia duobus capitibus prædita ad faciendum ſuperligamen. *H* madeſiunt ſubligationis faſciæ in mixtura albuminis ovi, vini & olei prædicta. Superligaminis faſcia exprimitur in vino tantùm rubro. Hinc Hippocrates de officina Medici text. 19. *Lintea non arida*, *ſed ſucco ſingulis accommodato madentia ſint oportet. I* ſunt plagulæ quadruplices in eadem mixtura expreſſæ. *K* ſunt ferulæ ad utramque ſuam extremitatem reſimæ. Tot requiruntur ferulæ, quot ſplenia ſeu plagulæ. *L* ſunt tres habenulæ, quibus ferulæ plagulis impoſitæ confirmantur.


Fig I. monſtrat, quomodo Hippocrates faſciam ſubligationis primam *E*, dum membrum à duobus miniſtris continetur extentum, ter volvat circa partem affectam verſus dextram,

TABVLA . L.



Arnold . Delineavit.

TAB. LI.



dextram, deinde ſurſum ducat, uſque dum quatuor, quinque vel pluribus circumvolutionibus ad bonam membri partem perveniat.

Fig. II. docet, quomodo Hippocrates alteram ſubligationis faſciam (*quæ duplo longior eſt prima*) adhibeat, & ea modo planè contrario crus fractum involvat. Prior enim faſcia *E* verſus dextram & ſurſum, hæc verò F verſus ſiniſtram & deorſum eſt ducenda. Ducatur igitur primò ſemel circa fracturam, deinde ter, quater, aut ſæpiùs infra fracturam uſque ad ſanam membri partem: hoc facto, faſciæ reliquum, quod Chirurgus in ſiniſtra habet manu, ſurſum verſus circumvolvatur, donec perveniat ad finem primæ faſciæ.

Fig. III. explicat, quomodo Hippocrates, factâ ſubligatione, plagulas inſuccatas *I*, & per longitudinem cruris appoſitas (*ita ut inter unam & alteram digiti transverſi ſpatium non excedat*) faſcia *G*, duobus capitibus donata firmet, unum caput □ ſurſum volvens uſque ad genu, alterum verò △ primò deorſum & poſtea ſurſum, quouſque pervenerit, ubi caput □ terminatur.

Fig. IV. docet, quomodo Hippocrates poſt diem ſeptimam, qua plerumque timor inflammationis ceſſat, ferulas plagulis ſuperligamini ſubjectis adhibeat, tribusque loris alliget. Traditam deligandi rationem Hippocrates deſcribit libro de fracturis, text. 23. *Tum demum* præparatis ſcilicet omnibus ad deligandum neceſſariis, fractura coaptata, membroque in media adhuc figura extento, *linteo deligare oportet*, *initio* primæ faſciæ *ad fracturam injecto, ſic, ut firmet quidem* fracturam, *non tamen vehementer comprimat. Ubi circa eundem* fracturæ *locum iterum atque tertiò faſciam* ſubligationis primam *involveris, ſurſum feratur* (*quo ſanguinis* ex corpore *affluxus retineatur*) *ibique deſinat, eamque* reſpectu ſecundæ minimè *longam eſſe oportet*. Text. 27. *Altera* ſubligationis *faſcia initio quidem ſupra fracturam injecta, ac ſemel circa eandem voluta, tum demum deorſum feratur, minusque comprimendo longiora ſpatia transcurrat, quo poſſit ad eum locum, in quo prior finiit, recurrere.* Text. 32. *Poſt hæc*, ſive hanc ſubligationem, *ſplenia modico cerato* (vel alio medicamento convenienti) *illita, ſuperinjicienda* ſunt, *ſic enim levius & firmius hærebunt. Quæ deinde faſciis* (faſcia autem noſtra duobus capitibus prædita trium faſciarum officia abſolvit) *alligare oportet, permutato ordine inter ſe, modò quidem in dextra, modò etiam in ſiniſtra ferantur, ac plurimum ſanè ab inferiore parte ſurſum, interdum verò à ſuperiore deorſum ducantur.* Text. 41. *Ubi verò* (poſt timorem inflammationis) tres *faſcias deligaris, ferulæ ſunt apponendæ, & quam maximè laxis vinculis comprehendendæ, ita ut quieſcant, neque quicquam ferularum appoſitio ad membri compreſſionem addat.* Et hæc de fracturæ ſimplicis deligatione ſufficiant.

TABULA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

De peculiari ad fonticulos in humero ligandos faſcia, tutiſſima vulneratæ in carpo arteriæ compreſſione, modoque, quo cubitus non ſolùm rigidus & contractus paulatim flectendus & extendendus, ſed & cum vulnere fractus magno, Hippocraticè ſit deligandus.

FIg. I. oſtendit *faſciam* (*a*) fonticulis in humero ligandis *commodiſſimam*, quoniam ab ipſo geſtante facillimè adaptatur; *utiliſſimam*, quia fonticulos in loco ſuo optimè conſervat, & *pulcherrimam*, eò quod ex linteo duplici & goſſipio parata lavari poteſt. Neque etiam hæc tam facilè (*veluti hic appoſitæ, & ſigno ♀ & ♃ notatæ, quas hodie ex lamina & corio conficiunt, & paſſim in frequenti uſu habent*) ſub manica fonticulum geſtantis tactu deprehenditur. Fig. I. (*b*) monſtrat uſum & applicationem inſtrumenti (*Tab. XVIII. Fig IV.* delineati) quod in fortuitis carpi vulneribus, aut arteriis ibidem ſtudio apertis utile eſt & neceſſarium: hoc enim umbellata ſua cochlea (*c*) comprimendo fortiter vas inciſum, periculoſum ſanguinis arterioſi fluxum ſubitò ſiſtit, ut expertus ſum in Johanne Moſer, de quo infra obſervatio 96.

Quidam vulneratæ carpi arteriæ argenteam ſuperligant monetam: ligatura tamen iſta, quam ſatis ſtrictam eſſe oportet (*laxior enim ſanguinis effluvium neutiquam cohibet*) valdè periculoſa videtur, ob imminentem manus extremæ gangrænam & huic facilè ſuccedentem ſphacelum: unde ſaluti hominum magis conſultum fore exiſtimaſſem, ſi omnes ferè Chirurgi hoc inſtrumentum in promptu haberent, ut urgente neceſſitate mox illud applicare poſſint.

Meo Patavii tempore, ubi exercitium & Anatomicum & Chirurgicum à plurimis ſeculis maximè floruit, exercitatiſſimus vixit Arteriotomus, qui ad vehementes & pertinaces capitis dolores curandos, conſilio Medicorum, arterias carpi ſæpiſſimè incidit feliciter, emiſſaque ordinata ſanguinis quantitate vulnus prædicto inſtrumento tam arctè compreſſit, ut ne guttula quidem ſanguinis efflueret, nullusque ex valida vaſorum compreſſione metuendus aliàs affectus ſuperveniret. In patria autem ſæpiùs accidit, ut ab imperitis & feſtinantibus barbitonſoribus pro vena baſilica comes arteria ſecaretur, unde plerumque vel vita cum ſanguine aufugit, vel exortum eſt anevriſma, quod malè tractatum mortis certiſſima cauſa fuit. Si itaque præter ſpem aut Chirurgi, aut ægri, in futurum tam gravis error committatur, ſuadeo ut (*præter remedium, quod Clariſſimus Collega Dn. D. Gregorius Horſt in Chirurgicarum Obſervationum prima, lectu certè digniſſima proponit*) arteriæ in flexura cubiti læſæ inſtrumentum, roſtro ad carpum ſimile, ſtatim adaptetur, quod arteriam comprimendo fluxum ſanguinis protinùs ſiſtit, & periculoſi anevriſmatis generationem tutiſſimè prohibet. Ego in hujusmodi defectu inſtrumenti, arteriis in cubito ex imprudentia inciſis integrum, ſuoque lapideo cortice adhuc veſtitum nucleum Mali Perſici feliciſſimo ſucceſſu ſuperligavi, quod confirmabunt conjux & filia cujusdam Mercatoris Ulmæ integerrimi, quæ ſuperſti-

tem



tem vitam ſuam nucleo Perſico adſcribunt. In Helvetia arterias temporum caſu vel arte ruptas & inciſas convexa parte corticis ligneæ, quam nux juglans habet, appoſita feliciter comprimunt.

Fig. II. (*d*) monſtrat applicationem faſciæ ad fonticulos humerales paratæ, & in præcedenti figura (*a*) deſcriptæ. Faſciæ fonticulorum modicè adſtringantur; laxior enim ligatura globulum in fonticulo non conſervat, & nimis arcta omnem humiditatem exprimit, & facit, ut fonticulus ob vaſorum compreſſionem planè exareſcat. Novi honeſtiſſimam matronam, quæ cum laudabili conferentia fonticulum in ſiniſtro humero per multos annos geſtavit, &, cùm fonticulus nullam ampliùs humiditatem excerneret, me in conſilium vocavit, quæ ſiccitatis cauſa, & quomodo huic occurrendum ſit? Religata faſcia, inveni locum fonticuli adeò compreſſum, ut nil niſi pellis & os appareret, quapropter fonticuli ariditatem arctæ ligaturæ adſcripſi, & conſului, ut patiens faſciam planè removeret, & fonticulum bis in die tenaci quodam emplaſtro ſuper ordinarium adhibito tractaret, donec pars arida renutriatur, & naturalem craſſitiem iterum requirat. Ægra conſilio obtemperavit, & fonticulus magnam humiditatem fundere cœpit. *Johann. Walæus meth. med. p.* 105. mentionem quidem facit cujusdam emplaſtri, quo fontanellæ conſervari poſſint absque ligatura, ſed modum illud componendi non tradit.

Fig. II. (*e*) oſtendit applicationem inſtrumenti *Tab. XVIII. Fig. III.* delineati Sicut enim hoc ad contracti brachii extenſionem, ſi lapidis ponderoſi geſtatione nequit impetrari, cæteris omnibus inſtrumentis præſtat; ita ad rigidi flexionem illud ipſum ſummè eſt neceſſarium & utile.

Quatuor ſequentes figuræ docent, quomodo cubitus cum vulnere fractus, faſciis tribus, totidemque ſpleniis & ferulis convenienter deligandus ſit.

Fig III. Chirurgus (*præparatis omnibus ad deligandum neceſſariis*) dextrum cubitum extentum faſcia ſubligationis prima (*f*) involvit, faciens ſcilicet tres primas circumvolutiones circa fracturam, inciſisque faſciæ ad quotidianam vulneris medelam tribus foraminibus, reliquas ad flexuram cubiti ſimpliciter adducens.

Fig. IV. Chirurgus eundem cubitum faſcia ſubligaminis ſecunda (*g*) deligat, faciendo circa locum affectum unicam circumvolutionem, & parato in faſcia ad dictum finem unico foramine, reliquis ad carpum ſimpliciter pergendo, dein à carpo uſque ad cubiti flexuram remeando.

Fig. V. Chirurgus eidem cubito, faſcia prima & ſecunda deligato plagulas (□) ſaltem tres, *quia quartam quotidiana vulneris inſpectio prohibet*, faſcia duobus capitibus prædita, inque medio (*h*) perforata ſuperligat, caput ſiniſtrum (*I*) ad flexuram cubiti, dextrum verò (*K*) ad carpum uſque circumvolvens.

Fig. VI. Chirurgus in eodem cubito tribus ſpleniis (□) *ſub tertia faſcia* (*IK*) *prominentibus* totidem ferulas (△) appoſitas duobus tantùm vinculis (*) alligat, ut membrum affectum ſuo canali commodè imponi, & vulnus quotidie, citra intempeſtivam partis elevationem faſciarumque reſolutionem, medicamentis neceſſariis tractari poſſit.

sit. *Nota*, quòd medicamenta vulneri adhibita splenio quadruplici (*l*) contegenda, & fascia singulari (*m*) conservanda sint.

TABULA QVINQVAGESIMA TERTIA.

De ossis ulnæ ad medullam usque corrupti curatione, cubitique post resectionem manus extremæ, quocunque modo hæc fiat, deligatione.

F*Ig.I.*monstrat in dextro cubito os ulnæ corruptum ac(*veluti tibia Fig.VII. Tabul.sequentis*)cartilagine quadam obductum. Hinc cutim externi cubiti à carpo usque ad humerum scalpello incidi recto, vulnusque impositis filamentis concerptis & medicamento stegnotico imbutis dilatavi. Altero die inveni cartilaginem, quam Trypano Fabriciano bis perforavi, foraminumque cartilagineis interstitiis forcipe (*Tab.XII. Fig. IV.*) excisis os subjectum detexi.

Fig. II. ostendit os cubiti detectum, quod, quia omninò asperum, corruptum & nigrum, volsellæ dentibus sine omni dolore & strepitu frustulatim detraxi.

Fig. III. exhibet locum (*in quo reponebatur os cubiti corruptum & modo detractum*) quem natura callo replevit, ita ut æger operationes rusticanas citra impedimentum exequi posset. Æger autem fuit rusticus Papalaviensis, cui miles Cæsarianus Anno 1636. cubitum quatuor in locis sine vulnere fregit. Hæc multiplex cubiti fractura à me & Chirurgo, Nicolao Reutten/quantum fieri potuit, composita, nostroque judicio benè curata fuit. Sed nobis nil mali cogitantibus, cubitus de novo intumescit, vehementer dolet, & tandem exulceratur parum, cum totius corporis consumptione, ita ut de ossis toties fracti corruptione suspicari cœperimus, quam, secta prius cute & cartilagine trypano perforata invenimus, cubitumque, osse per forcipem modò allegatum detecto, & per volsellam exempto, obligavimus spleniis in crucem (*Vid. in Tab. sequ. Fig. IV. femur*) adductis, eadem remedia, quæ Augustino Merzen profuerunt adhibentes. *Vid. Tab. sequ. Fig. VII. VIII. IX. & X.*

Fig. IV. notat apparatum, qui in, ante & post amputationem alicujus membri summè est necessarius, adeoque ante operationem arduam diligentissimè procurandus. *A* est vasculum medicamento stegnotico, *quod conficitur ex albumine ovorum agitato & pulvere adstringente Galeni*, repletum, quo imbuuntur plagulæ, quando pars in loco sano fuerit amputata. Quodsi verò membrum aliquod in loco vel demortuo vel affecto prope vivum & sanum abscindendum, relictumque cauteriis actualibus sufficienter tangendum est, *idem vasculum pro stegnotico contineat unguentum Ægyptiacum Guilhelmi Fabricii Hildani* ad separandam escharam. *B* est aliud vasculum, in quo continetur medicamentum repellens, ex vino nimirum rubro, albumine ovorum agitato, & oleo rosaceo confectum. Hoc, sive in sano, sive prope sanum locum, pars amputata fuerit, fasciæ necessariò imbuuntur ad arcendam inflammationem. *C* est discus, cum plagulis *D* quatuor. Requiruntur autem nunc plures, nunc pauciores plagulæ, aut ex stupa cannabina, aut ex filamentis concerptis paratæ & medica-

mento



mento idoneo imbutæ. Quod si enim pars mutila, ob escharam inustam, Hildani unguentum, quod Augustani in suo dispensatorio Ægyptiacum compositum appellant, requirat, dictæ plagulæ ex filamentis præparari debent, si verò stegnoticum exposcat, eædem ex stupa conficiendæ sunt. E sunt splenia duo quadruplicia, quæ in oxycrato expressa plagulis medicamento imbutis cruciatim apponuntur. F est fascia prima (*duæ enim ad deligandum requiruntur*) duobus capitibus prædita, & in mixtura repellente mediocriter expressa. G est pelvis oxycratum continens, cui innatat vesica bubula H, quæ post applicationem primæ fasciæ cubito adhibetur. I est fascia secunda, quæ pariter duobus donata est capitibus, at prima paululum longior, posca imbuitur & supra vesicam applicatur. K est spongia nova, & oxycrato madefacta, quo irrigatur, ante ligaturam, tota pars mutila, ad arcendum sanguinis, aliorumve humorum affluxum. L est ignitabulum cum cauteriis actualibus, quæ in omni resectione partis in promptu sint, vel ad sistendum sanguinis fluxum, si nimius stegnoticorum beneficio compesci nequit, cum in loco sano; vel ad reliquias absumendas, cum in confinio sani operatio instituitur.

Fig. V. manus cancro non exulcerato affecta abscinditur in loco sano, ad capita scilicet radii & ulnæ, quibus carpum respiciunt. Inciditur autem manus carnosa substantia prius scalpello falcato M, ut ossa dein unico serræ acutissimæ N ductu resecari possint. Nota, ut sanguis adhuc infectus, *quem vasa vicina continent* effluere possit, *retentus enim cubitum afficeret*, neque cubitum supra incisionis locum fascia constringendum, neque partes molliores scalpello ignito, quod Barbari vocant cauterium cultellare, incidendas esse.

Post amputationem manus cancro affectæ, totum brachium spongia oxycrato madefacta irrigatur, ulceri sub plagulis lineis stegnoticum apponitur, splenia oxycrato expressa cruciatim adhibentur, fasciaque prima repellentibus imbuta, & artificiose in crucem adductâ confirmantur, ut *Fig VIII.* docet. Quo facto, fasciæ primæ inducitur vesica oxycrato madefacta, brachiumque fascia secunda, suo liquore imbuta, religatur usque ad flexuram cubiti, ut *Fig. IX. & X.* videre est.

Fig. VI. manus sphacelo correpta, super truncum ligneum rotundum & altum O collocatur, ut in radii & ulnæ capitibus (*contra Hildanum, bono successu*) sanis per malleum ex durissimo ligno confectum T, amputatur scalpro P. In hoc autem casu cubitus supra carpum fascia Q arcte constringitur, non solum, ut doloris sensus diminuatur, verum etiam, ut arteriæ, post partis sideratæ amputationem, forcipe possint extrahi, & extractæ filo ligari, ad prohibendam nimiam sanguinis profusionem.

Fig. VII ostendit brachium mutilatum, in quo arteria extrahitur forcipe R, ut filo S. ligari possit, ne sanguinem fundat.

Fig. VIII. docet deligationem brachii mutilati, seu quomodo *fascia prima* F cubito in vivis aut confinio vivi detruncato adhibeatur. Postquam igitur arteriæ sanguinem enormiter fundentes vel forcipe extractæ, filoque constrictæ; vel ferramentis probe candentibus tactæ fuerint, vulneri sub plagulis cannabinis stegnoticum apponatur, &, spleniis super has cruciatim applicitis, pars mutilata involvatur fascia prima, capiti-

bus ejus bis vel ter in crucem adductis, reliquo ad dimidium cubiti orbiculatim currente.

Fig. IX. monstrat in cubito mutilato, vesicam prioris fasciæ circumvolutionibus (F. *Fig VIII.*) superimpositam, cui secunda fascia G, veluti prima, cruciatim inducitur, unico capite T, quod reliquum est, ad flexuram usque cubiti similiter orbiculatim ascendente, ad prohibendum sanguinis affluxum.

Fig. X. ostendit brachium, cui manus extrema fuit resecta, medicamento sub plagulis idoneo tractatum, spleniisque cruciatim appositis, prima fascia, vesica, & fascia secunda, ut dictum, rite obligatum. Hæc cruciformis fasciandi ratio observanda est in quocunque membro mutilato, sive in loco sano & vivo, *sicut in hac tabula*, sive in confinio vivi *sicut in sequenti*, fiat operatio, quia non tantum bene conservat medicamenta supra locum affectum, sed etiam humorum affluxum, & sanguinis effluxum præcavet.

Fig. XI. pollex dextræ manus, *carpo prius fascia constricto*, propter sphacelum forcipe (Tab. XX. Fig. I.) magno in vivis abscinditur.

TABVLA QVINQVAGESIMA QVARTA.


De Fabriciana pedis sphacelati amputatione, varia membrorum cum vulnere fractorum deligatione, longi canalis usu, & ossis tibiæ ad medullam usque corrupti curatione.

Fig. I. monstrat pedem sphacelo corruptum, qui (*juxta Hieron. Fabric. ab Aquapend. l. 1. pentateuch. Chirurgic c. 19. & operation. Chirurg titul. de sphacelo*) in parte demortua, prope vivam & sanam, forcipe (*Tab.* XX. *Fig.* I.) magno (a.) aufertur.

Fig. II. Remota pedis extremi parte demortua, putredinis reliquum, ut consumatur, ferramento (b.) ignito sæpius tangitur, donec patiens vim ignis percipiat. Hoc facto, plagulæ duæ, tres vel quatuor (c.) ex filamentis carptis paratæ unguento Ægyptiaco composito illinuntur, & eschatæ applicantur. Deinde duo splenia (d.) quadruplicia in oxycrato expressa, *sicut in brachio*, cruciatim apponuntur, & crus mutilatum fascia quidem unica (e.) *sed satis longa, duobus capitibus prædita, & mixtura repellente imbuta*, usque ad genu artificiose involvitur, veluti cubitus (Tab. præced. Fig. VIII.) ad flexuram deligandus docet. Unica hic requiritur fascia, nec opus est vesica bubula, quia ob escharam igne inductam non tantus est hæmorrhagiæ metus.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, doctissimum tractatum conscripsit de cura gangrænæ & sphaceli, quem tyrones attente legant, sæpiusque magna diligentia perlegant, in eo namque (*excipientes modum infasciandi partes mutilatas à me Tabula præcedenti traditum*) invenient omnia ad resectionem alicujus membri necessaria. Is quidem c. 17. pluribus rationibus & autoritatibus probare conatur, partem demortuam, cito, tuto, & jucunde abscindi non posse, si aliquid putridi relinquatur, ferramentis candentibus absumendum. Illæ tamen meo judicio non vincunt, amputationem membri

fide-



ſiderati, juxta Hieronym. Fabric. inſtitutam nunquam bene ſuccedere; multo minus demonſtrant, hanc Fabricianam illi, quæ ſecundum veteres peragitur in vivis, poſtponendam eſſe: conſiderando, amputationem membri ſiderati in loco ſano jucunde fieri non poſſe, ſive novacula, ſive cauterio cultellari partes oſſe molliores incidantur. Neque etiam tuto, quoniam ſana, vivaque pars ſub faſcia loris arcte conſtricta facili negotio emoritur, imo ſectio in parte ſana tam accurate inſtitui nequit, quin aliquando partes profundiores altius, (*quam exteriores viſui objectæ*) corruptæ relinquantur; quod ſi fiet, vel nova ſectio erit inſtituenda, quæ eſſet horribilis, vel reliquiæ ferramentis candentibus juxta Hieronym. Fabric. comburendæ. Non cito, quia majus temporis ſpatium requiritur, ad extrahendas forcipe arterias, filoque conſtringendas (*& ſi faſcia removetur, nonnunquam tale ſanguinis profluvium ſequitur, quod niſi & reliqua vaſa cauteriis actualibus tangantur, compeſci nequit*) quam ad vulnus ſtatim ferramentis ignitis inurendum: ne dicam magis protrahi operationem, ſi poſt reſectionem, ab Hildano & veteribus præſcriptam, aliquid putredinis remanet, dictis tandem cauteriis abſumendum. Unde his rationibus ego adductus, & felici experientia fretus reſectionem partis ſideratæ juxta Patavinos & Hieronymum Fabric. inſtitutam (*quæ etiam Philippo Salmutho cent. 1. obſervat. 80. valde probatur*) veterum rationi & modo amputandi non poſtponendam, ſed potius præferendam eſſe ſtatuo.

Quod ſi vires ægri, vapores putridos, & antecedentem in vulneribus ſanguinis fluxum adeo debiles ſint, ut certi ſimus, eum ſub ipſa operatione animo defecturum, & moriturum: in hoc caſu periculoſo abſtinendum eſt à ſectione, quoniam magis excuſabile eſt, ægrum ſine chirurgia prudenter relinquere, quam eâdem ſcienter ipſum occidere. Cum autem ægro nulla ſpes vitæ reliqua, niſi pars ſiderata abſcindatur, quid bono Chirurgo incumbit? Partem demortuam mane & veſperi ferramentis optime candentibus quotidie tangat ad imbibendos humores putridos, ne verſus ſuperiora reptat ſphacelus: patienti cordialia quoque cum alexipharmacis (*quæ vapores noxios à corde depellant, ſpiritusque reficiendo vires inſtaurent*) mixta præbeat per os, & externæ cordis regioni adhibeat.

Viribus parumper refocillatis (*priſtinæ enim non niſi certo mortis periculo expectantur*) imminens ægro periculum prædicat adſtantibus, & dein operationem petitam forti animo aggrediatur Chirurgus: ſatius enim eſt, viribus mediocriter tantum habentibus, anceps & miſerrimum hoc auxilium experiri, quam nullum.

Dum Patavii ſtudio Medico operam darem, Comes quidam Vicentinus ambo cruris dextri oſſa in medio fregit, cum vulnere, profuſione ſanguinis ad ſyncopen, & ſuperveniente ſphacelo. Pedem ſphacelatum *Excellentiſſimus Petrus de Marchettis*, ob virium ex ſanguinis fluxu imbecillitatem, noluit reſecare, ſed ferramentis candentibus ſæpius adhibitis prohibuit, ne putredo ſerperet, medicamentis interim internis & externis cor roboravit, & ſpiritus quantum poſſibile refecit. Tandem, inſcio patiente, partem demortuam novacula in confinio vivi circumcirca incidit, qua decidente,

reliquum putredinis absumpsit cauteriis actualibus; ad removendam verò escharam unguentum Ægyptiacum simplex apponens. Tertia post resectionem die, Chirurgus patienti, qui de insigni dolore pollicis dextri pedis conquestus est, subridens respondit; se mirari querelam de dolore pollicis ante triduum sepulti; quibus verbis æger ita perterritus fuit, ut iis perceptis statim in gravissimum animi deliquium incideret. Ablata eschara, musculisque, ut fieri solet, sursum retractis, ossa fracta quatuor digitos transversos prominebant, quæ filamentis quotidie aridis, & pulvere catagmatico diligenter tecta, duorum mensium spatio à sanis separabantur.

Fig. III. sex nobis præbet consideranda. *Primo* fracturam femoris (Δ.) cum vulnere, in parte domestica seu interna Catharinæ Böckhin / de qua conscripta est observatio 77. *Secundo* apparatum fasciæ ascialis, qua femur cum vulnere fractum cruciatim involvendum. Paravi tunc ex panno lineo plagulas octo vel novem, easque duplicatas longitudine quidem diversas *tenuior enim & inferior femoris pars breviores, longiores vero crassior exposcit*, sed tres digitos transversos latas, quas latiori linteo (f.) omnes eo ordine apposui, ut cujuslibet inferioris plagulæ portio, quasi medietatem superioris contegat. *Tertio* fracturam (□) tibiæ cum vulnere & denudatione ossis tanta, ut ejus extremitas extra cutim proruperit, quæ, si longa est, sola extensione, *ob doloris, convulsionis, & inflammationis metum*, reponi nec potest, nec debet, sed vel immisso, si fieri potest, inter ossis extremitates instrumento (✱.) seu scalpro incisorio, compellatur, dum crus citra violentiam extenditur: vel si prominentiarum aliqua tam magna sit, ut per dictum scalprum reponi nequeat, illa, ne vicina corpora dilaceret, doloremque atrocem inferat, *juxta Hipp. 3. de fractis* forcipe (*Tab.* XX. *Fig.* I.) magno abscindatur, & fracta postmodum ossa in suum locum compulsu reponantur. Cum extantia resecatur, ita ut os brevius fiat, prædicendum volunt, ægro crus vel alias partes fractas fieri breviores: quæ prædictio ex Galeno & Hippocrate vera est, quando femur vel humerus fractus portionem ossis amiserit: Cum verò tibiæ vel cubiti, ossibus sociis nihil patientibus, portio quædam abscinditur, brevitas membri non semper timenda est, os enim sanum conservat membrum distentum, donec natura defectum portionis abscissæ collo compensarit. *QVARTO* apparatum asciæ in circulum adducendæ. Parantur hic undecim, *licet alibi vel plura vel pauciora requirantur*, similiter ex panno lineo splenia duplicata, non angustiora, quam ut vulneris labia sufficienter apprehendat, quo ad longitudinem longiora, quam ut semel membrum circumeant. His præparatis, capsulæ (♀) stupa molli & bene pexa repletæ, l[a]tius linteum (g.) apponatur, & huic splenia numerata, eo ordine, ut medium (♎.) sibi proximorum, & hæc remotiorum medietatem contegant. Deinde capsula tibiæ deligandæ ita subjiciatur, ut medium hujus asciæ splenium (♎.) sub vulnus & fracturam (□.) veniat. *QVINTO* impositionem totius pedis in canalem σωλῆνα tam longum, ut à summo femore (h.) usque ad imum pedem (i.) pertingat. Nam si quis canalem femori subjiciat (*textus est Hipp. 19. de fracturis*) qui poplitem non exedat, is potius lædit, quam prodest. Neque enim *canalis tam brevis* corpus, neque tibiam sine femore moveri prohibebit: quin popliti adhibitus molestiam afferat, & ad id, quod minimè est opus, impellet. Genu namque flecti minimè opus est, si quis enim aut femore devincto

aut tibia, genu inflectat, is vinculorum rationem totam perturbabit, tum necesse erit, ut musculi alio atque alio habitu collocentur, & ossa fracta dimoveantur. Imprimis igitur curandum, ut poples extendatur. Canalis ergo erit usui, qui *in affectibus femoris* à coxa ad *imum* pedem suppositus *membrum* similiter contineat, præcipueque, si ad poplitem cum canali fascia laxa circumjiciatur, velut infantes in cunis fasciari solent. Ubi enim femur in superiorem partem, aut ad latus distorquebitur (*vel in somno, vel dum æger ad desidendum progreditur: aut ipsi lectus componitur*) ita cum canali melius continebitur. Canalis igitur à summo *femore* (*vid.* Tab. Fig. III. *pedem dextrum*) ad imum usque *pedem*, aut nullus adhibendus. *In affectibus vero crurum canalis adeo longus sit, ut ab imo pede ultra poplitem* (♉.) *ad femoris fere dimidium pertingat, ut videre est in* Tab. *ultima* Fig. III. *pede sinistro.* Cæterum imo calci *semper* magna cura est adhibenda, ut tum in tibiæ, tum in femoris fracturis, *aliisque canalem exposcentibus affectibus*, apte collocetur. Etenim si pes dependeat, tibia reliqua obfirmata, ossa in anteriore tibiæ parte gibba apparere necesse est, idque eo magis, si hominis calx suapte natura grandior fuerit. *Vid.* Tab. *ultim.* Fig III. *ubi canalibus pulvinar substernitur, ne pedes dependeant.*

SEXTO, os magnum (☉.) è vulnere femoris fracti (Δ.) extractum & depictum, ut caries ejus melius videri & considerari possit.

Fig. IV. docet, quomodo asciæ præcedentes, (quarum rationes & causas infra in tractatu & fracturis cum vulnere curandis explicabimus) vel in crucem (*ut in femore*) vel in circulum (*ut in crure*) sint abducendæ. Cruciformis in femore deligatio ab infimo seu primo incipienda est, & supremo vel octavo finienda.

Minister infimi splenii unam extremitatem, Chirurgus verò alteram extentam detineat, quæ sursus versum colligentur, ut crucem efficiant: postea extremitates splenii secundi, quod infimo proximum, cruciatim adducant, & sic deinceps, donec ascendendo ad supremum perveniant, cujus capita nodo gemino connectenda sunt. In hoc autem femore quatuor superiorum spleniorum extremitates adhuc de capsula dependent, ut inferiorum adducta forma melius sub oculos cadat.

Ad circularem tibiæ ligaturam, minister, postquam vulneri emplastrum (l.) apposuit, unum medii splenii caput extentum detineat, alterum verò Medicus, quæ ita adducantur, ut circulari modo coënat. Medio splenio in circulum adducto, operatores adducant similiter ex superioribus proximum sive secundum, deinde tertium, postea quartum, quintum, sextum, & sic deinceps, si plura fuerint, donec ascendendo ad partem sanam, quæ hic genu est, perveniant. Superioribus spleniis convenienti modo circumductis, adducant etiam ex inferioribus (*quæ adhuc de capsula dependent, ut superiorum ligatura magis elucescat*) secundum, deinde tertium, postea quartum, quintum, & sextum, donec descendendo ad malleolos perveniant.

Fig. V. monstrat in canali non solum femur cruciformi, sed etiam crus ascia circulari deligatum, ad cujus conservationem jam dimidia pars linteo (f.g.) elevato per longitudinem contecta est, reliqua verò eodem adhuc contegenda.

Figura VI. ostendit in Augustino Merzen, de quo 83. agit observatio, curationem ossis tibiæ dextræ, ad medullam usque, sub integra cute, corrupti. *Primo die*, tribus digitis

transverſis infra patellam, ubi terminatur muſculus rectus extendens, tibiæ integumenta ſecundum longitudinem uſque ad inferius tibiæ caput ſcalpello recto (*Tab. II. Fig.II.*) incidi, os cartilaginea ac mobili ſubſtantia obductum reperi, vulnus medicamentis ſanguinem ſiſtentibus, dolorem mitigantibus,& inflammationem prohibentibus tractavi, & crus duodecim ſpleniis cruciatim deligatum commodo canali impoſui, *prout ſupra Fig.III.IV. & V.in femore docuit. Secundo die*, firmiter ſubſiſtente ſanguine, illam mobilem cartilaginem, quæ oſſi tibiæ accrevit, modiolis (*Tab.II.Fig.III.IV. & V.depictis, ſed tertia parte majoribus*) ter perforavi, ſtatimque foraminum trium interſtitiis forcipe (*ad cartilagines incidendas deſtinata & Tab.XII.Fig IV.delineata*) interciſis, os tibiæ corruptum digitis tetigi, & quoniam à genu uſque ad inferius caput ſeparatum erat, volſella extraxi, crus dein iterum aſcia crucifotmi deligans.

*Fig.VII.*monſtrat os tibiæ integre putrefactum & carioſum, ſicuti videbatur poſt remotionem cartilaginis, quæ illud contexit.

*Fig.VIII.*non modo oſtendit locum oſſis volſella extracti, ſed etiam caput fibulæ, magis quam tibia corruptum, quod modiolis majoribus excidi.

*Fig.IX.*externam formam oſſis corrupti, quod reſtitutus dignæ memoriæ cauaſ repoſuit. *Fig.X.*oſtendit in tibia modo curata aliam fracturam.

TABVLA QVINQVAGESIMA QVINTA.


De modo fonticulos ſupra & infra genu inuſtos deligandi, tibiam carioſam abradendi, crus contractum paulatim extendendi, ſinum in crure aperiendi, vulneris labia per fibulas adducendi, varices ſectione curandi, tumorem in femore tunicatum ſeparandi, & glandes è vulneribus ſclopetorum extrahendi.

FIg.I. quatuor conſideranda proponit, fonticulum ſcilicet femori inuſtum (a.) faſcia linea (b.) deligandum; fonticulum (*riſura Tab. XXV. Fig. II.*) eadem faſcia (c.) deligatum; inſtrumenta (d. e. f.) ad inurendos fonticulos neceſſaria, & deraſionem oſſis tibiæ ſub gummate gallico corrupti.

FONTICVLI *in extremitatibus parati*,

Quamvis in morbis à defluxione ortis, experientia teſte, multum juvent, nihilominus tamen hodie non pauci reperiuntur Autores, qui nimis ſiniſtre de iis judicant, ad quorum argumenta viri eruditi jam pridem ſatis reſponderunt. Quidam etiam ægroti, ſanitatem ſuam floccipendentes, fonticulos, ob ſolum laborem & diligentiam (*quam quotidie requirunt*) fugiunt; ob fætorem deteſtantur; & ob timorem ferri, quo fiunt, recuſant. His reſpondeo, quod neque veſtimenta citra laborem mane & veſperi induantur, & extrahantur, neque excrementa corporis abſque

fœtore



fœtore reddantur. Sicut autem utrumque ad vitam hominis conservandam est necessarium, ita fonticuli ad bene vivendum quibusdam, & integra sanitate fruendum summe utiles sunt. Quemadmodum neminem pœnitet ullius laboris & diligentiæ, quem induendis & exuendis vestibus impendet: ita nullus de fonticulis conqueritur æger, quia, dum ipsos tractat, magnam voluptatem percipit, sive propter dulcedinem, quam ex pruritu scalpens sentit: sive quod indies cognoscit manifestam illius materiæ evacuationem, quæ secundum errores commissos genita, & in corpore retenta gravem morbum attulisset; sive potius, quod horum beneficio amissam sanitatem adipiscatur: Unde sæpissime fit, ut æger uno fonticulo non contentus, sibi facile duos, interdum etiam plures, prout opus erit, parari curat. Addo, quod fonticuli, si secundum artem bene regantur, non fœteant, minoreque dolore & periculo conficiantur, quam venæ ad emittendum sanguinem aperiantur, & hinc opus non sit, ut ægri tantopere à ferro abhorreant.

Variis quidem in locis fonticuli parantur, humero tamen, femore & suræ inusti reliquis videntur accommodationes. Idoneus fonticulo locus quatuor conditiones requirit: *prima est*, ut patiens ipsum videat: *secunda*, ut ad ligaturam sit aptus: *Tertia*, ut ad evacuationem humoris noxii habeat venam, & *quarta*, ut sit in duorum musculorum spatio aut interstitio, ad evitandum dolorem, quo facile impeditur motus. Recensiti verò fonticuli non solum propriis ægri manibus tractari possunt, & ad ligandum sunt aptissimi, ut oculis patet, sed etiam habent comitem venam, & duorum musculorum interstitium. Fonticulus enim quatuor digitis transversis infra caput humeri paratus habet venam cephalicam, in femore quatuor digitis transversis supra genu confectus saphenam, in suraque factus popliteam, & quilibet citra dolorem conservari potest, quia humeralis inter musculum deltoidem est & bicipitem, femoralis interstitium Sartorii & vasti interni occupat, & suralis inter principia gasterocneraii conficitur. Locum fonticuli in humero facile investigat Chirurgus, cum cubitum patientis tam diu paulatim flectit & extendit, usque dum digito indice necessarium musculi deltoidis & bicipitis interstitium invenerit. Multi conficiunt fonticulum humeralem in ipso deltoide, quidam in fine hujus, alii in posteriore parte. Ego tamen ob bonas loci conditiones eligo interstitium musculi deltoidis & bicipitis, idque potius in parte superiore, quæ minus est sensibilis, quam inferiore, ad quam brevi temporis spatio decurrit. Eadem facilitate Chirurgus interstitium musculorum vasti interni & sartorii dicti, ceu locum fonticuli in femore parandi inveniet, si tibiam patientis paulatim sæpius flectit & extendit. Suralis fonticuli locus inventu est facilimus, interstitium namque musculi gasterocnemii statim infra poplitis cavitatem incipit.

Fonticuli humerales à Medicis præscribuntur, ad evacuandos humores, qui caput offendere solent. Cum enim dicti fonticuli inter partes superiores inferioresque exacte medium situm obtineant, humorum in caput motum impediunt, eosque actu fluentes, ob convenientem distantiam, commodissime revellunt à capite, atque derivant. Nec solum in capitis, oculorum, aurium, narium, oris, faucium, & gulæ vitiis

vitiis prosunt, sed etiam in thoracis, cordis, pulmonum & pleuræ affectibus, magnum & mirandum derivando præstant auxilium.

Fonticulus in femore paratus, in hystericis affectionibus, easque consequentibus malis revellendo, derivando, & intercipiendo est efficacissimus. Restitui enim hoc fonticulo, tanquam revellenti remedio, multas mulieres, quarum nomini parco, ob suppressos menses, uteri furorem, suffocationem, aliaque gravia symptomata perpessas. At plures curavi, quæ, ob eandem causam, ulcera in tibiis habuerunt dysepulotica, humores influentes, aut intercipiendo, fonticulum parans in latere affecto, aut derivando, eundem in sano conficiens.

Fonticulus in sura aliquandiu gestatus summo & felicissimo successu curat dolorem Ischiaticum, omnibus internis & externis remediis incassum assumptis & adhibitis. vid. infr. observatio. 72.

Invento fonticuli loco, ejusque utilitate percepta modus eum conficiendi considerandus erit. Paratur autem fonticulus aut medicamento in timidis, quod cauterium vocant potentiale, aut in cordatis ferro, quod est vel frigidum & secans, vel ignitum & urens. Cum verò ferrum ignitum fonticuli inventoribus magis sit usitatum, cauteria potentialia non probo, quia tarde, & ut plurimum cum dolore magno operantur, nec ita secure adhibentur, quoniam eorum agendi vis nobis non ita exacte est cognita, sed interdum præter expectationem nostram vel efficaciora, vel impotentiora inveniuntur.

Missum quoque facio ferrum frigidum & secans, sive scalpellum propter rationes *Tab.* XXX. *Fig.* II. *allegatas*, quibus addo, quod sectio fonticuli sanguinem profundat, quam plurimi videre nequeunt. Magna dexteritate veteres utebantur ferro ignito, quod erat incurvatum, & longum habebat manubrium (f. Tab. I. Fig. II.) sed cum vidissent, quod instrumentum non modo cutim à Chirurgo signatam, sed etiam partes vicinas multum inurat, excogitarunt etiam aliud instrumentum cannulatum (e. *Tab.* I. *Fig.* I.) quod partes vicinas ab inustione defendat. Per cannulam hanc (e.) non ignitam, & cuti atramento signatæ fortiter impressam, intrudunt ferramentum solidum, incurvatum & candens (f.) ut penetret secundum Medici intentionem, nonnunquam magis & minus profunde. *Iulius Casserius Placentinus* invenit instrumentum, *Tab.* I *descriptum, & hic litera* (*d.*) *signatum*, quod, quia ignem occultat, partesque vicinas à læsione defendit, præ cæteris instrumentis ad fonticulos extra caput inurendos accomodatissimum est. *Quandocunque igitur festinatione, ignis occultatione, vicinæ partes defensione, citaque evacuatione opus est*, instrumenti Casseniani stylus à cupro solidus (Tab. I. Fig. VIII.) primum optimè candefiat, intereaque locus fonticulo commodus atramento accuratè notetur, postea idem stylus cannulæ ferreæ, & intra vaginam ligneam repositæ injiciatur, dein supposito operculo instrumentum manu dextra comprehendatur, stylusque beneficio claviculæ fortiter cuti imprimatur: sic loco destinato non diutius, quam quis caput rotasset, inhærens escharam faciet sine ullo dolore, ullave alteratione partis inustæ. *Hic etiam observari potest modus fallendi ægrum, Tab. XXVI. Fig. VII. propositus.* Hoc instrumento Casseniano, quod ferrum, aut cuprum candens occultat, me plusquam sexcentos

tos

tos fonticulos cum admiratione adstantium, & risu patientis parasse, testabuntur illi, qui adhuc in vivis sunt, & fonticulos à me inustos circumgestant.

Quomodo fonticuli conservari, rectèque gubernari debeant, tyrones ex Hieronym. Fabric. Scheda (cujus ipse mentionem facit sub titulo de fonticulis.) addiscere potuissent, nisi traditam Typographus Patavinus perdidisset. Hac igitur destituti legant vel Hieroymum Cappivaccium de recta cauteriorum administratione, vel elegantissimum Dominici Galvani tractatum de fontanellis, quem prius Latine edidit, deinde certis de causis Italice in lucem dedit: mentem Fabricii fidelissime, quod certus scio, communicans. Huic Galvano acceptum fero sparadrappum, quo per annos viginti & duos, plusquam mille fonticulos partim à me, partim ab aliis paratos, cum summa utentium admiratione, ab omni symptomatum incursu defendi.

℞. *Empl. alb. coct. Aug.* ℔j.
Ceruss. ℥iij.
Thur. ʒvj.
Ireos Flor. ℥v.
Tragacant. ℥vj.
Benz. ʒv.
Styrac. liquid.
Ol. spic. odor. ana. ʒij.
(Veronæ addunt parum moschi ad gratum viris odorem)
Sapon. Venet. ℥ij.
Cer. flav. q. s. vel ℥ij.
Misc. ad ignem lentum, & cum tela nova.

fiat sparadrappum, quod Author Galvenus describit & examinat. l. 2. de fontanellis c. 13. pag. 62. Nonnulli suos fonticulos ab omnibus accidentibus mire præservant, cerato Magni Ducis Hetruviæ, quod sequitur.

℞. *Succ. depur. heder.* ℔iiij.
Nicotion.
Resin. Pin.
Tereb.
Vng. ros. Mes.
Ceræ citrin. ana. ℔j.
Pulv. cyper. odor. ℥j.
Pulv. Ceruss. ana. ℔j.
Ol. N. M. expr. ii.
M. S. a. & fiat ceratum.

Ad conservationem fonticuli non solum requiritur pila conveniens, & emplastrum idoneum; sed etiam fascia ex linteo optima (b.) qua femur ab ægro pro necessitatis ratione ligari potest, vel uti crus eâdem (c.) commode deligatum ostendit.

Tibiæ derasio ob gumma Gallicum,

 citraque

citraque luis suspicionem corruptæ non rarò instituitur. Gummati Gallico, si decoctis ex sola salsaparilla (*qua ad dissolvendos tophos Gallicos, experientia teste, præstantissimum est remedium aliaque luis venerea accidentia multo facilius, & breviori temporis spatio mitigat, & abolet, quam lignum sanctum*) paratis & per os exhibitis non cedat, ceratum sequens optimo cum juvamine applicatur.

℞. *Mercur.viv.saliv. homin.ieiun.extinct.* ℥ß.
Pulv. Tabac.Indic.℈js.
Empl. diachyl.c gumm.
Cerat. oxal.
Citrin.ana. ℥j.
Ol.*lign. Sanct.destill.* ʒi.
M.*pro cerato.*

Quod si gumma sub dicti cerati usu non dissipetur, & tibia perpetuo doleat, certissimum signum est, os gummati subiectum pati cariem, ob quam necessum est, ut cuti subjectum gumma scalpello (*Tab.II. Fig.II.*) per longitudinem tibiæ incidatur, & os detectum scalpris (*Tab. VI. adumbratis*) abradatur. Tales tophi sicut in Germania rarissime occurrunt, ita eorum curatio chirurgica, nisi eam atrocissimi dolores efflagitent, non facile admittitur. Hinc multos tam Nobiles, quam ignobiles tophis gallicis ferè excruciatos sub cura habui, à paucis tamen mihi concessa est sectio. Quoniam verò in Italia, ubi innumeri de vehementissimis tibiarum doloribus conqueruntur, hanc chirurgiam sæpissime feliciter peractam vidi, ipsusque non raro administravi, modum operandi Chirurgis Patavinis usitatum huic opusculo inserere volui, ut studiosi chirurgiæ luis ægrotantibus, ad incitas quasi redactis, & propositum manus præsidium summe expetentibus promptè succurrere scirent.

Primo die gumma scalpello allegato secundum tibiæ longitudinem incidunt usque ad os asperum, deinde vulnus globulis ex stupa cannabina confectis, ovique albumine & vitello imbutis dilatant, & tibiam convenienti fascia, ad præcavendum sanguinis affluxum, involvunt. *Secundo die* removent stupam, & vulnus filamentis aridis artificiose exaltatum (*partibus vulneri vicinis & sanis, ne lædantur, optimè munitis*) causticoque quodam (*mallem ego Holosericum, quod Ambrosius Pareus l. 25. c. 32. describit*) repletum, emplastro super latum (*& quod totam circumit tibiam*) linteum extenso cooperiunt, & crus totum rursus fascia expressiva secundum artem deligant. *Tertio die*, omnibus rejectis, escharam separantia applicant, qua ablata, cariem scalpro penitus abradunt, os deinde vivum inspersis pulveribus exiccantibus ad generandam carnem obducentes. Gumma Gallicum ante appositionem caustici scalpello incidunt, ad convincendos ægrotantes, qui Chirurgis cariem indicantibus non credunt, eam donec ipsi propriis aut oculis videant, aut digitis tangant. Hæc gummatis incisio quibusdam ideo videtur necessaria, ut cauterium tophi gratia appositum eo citius in actum ducatur. Quomodo ossa tibiæ, citra luis Gallicæ suspicionem, corrupta curaverim, docebunt infra observation. 80. & 81.

Fig.

Fig. II. docet *primo* applicationem instrumenti Tab. XIIX. Fig. I. depicti, quo paulatim extenditur crus pueri (vid. observ. 79.) contracturam patientis, ob tumorem in genu male curatum; *Secundo* instrumenti appliciti cochleam inferiorem extractam, & clavo suo infixam. *Tertio* usum Syringotomi Tab. XIV. Fig. X. delineati, quo inciditur sinus in crure cutaneus, callosus, & unicum foramen habens. Nota, si callosus non esset, nullo etiam indigeret syringotomo, quia beneficio solius fasciæ compressivæ, & pus expurgari, & sinus conglutinari posset. Sinus enim ob materiæ collectionem, difficilemque expurgationem in fundo tantum aperiantur, ob callosos vero parietes integre inciduntur.

Fig. III. monstrat *primo* vulnus (h.) acinace femori profunde inflictum, quatuor suturis aut fibulis unitum, & in decliviore loco foramen habens, cui turunda quotidie immittenda, ut pro purulentæ materiæ exitu apertum conservetur; *Secundo* curationem varicum chirurgicam, quam Hieron. Fab. proponit. Hæc tamen varicum sectio, ut Germanis est horrenda, ita eam facile prava sequuntur Symptomata. Dum Patavii literis operam dedi, in nosocomio Divi Francisci rusticum vidi, qui varicibus in crure laborans dolorificis, sub Hadriani Spigelii manu, chirurgiam delineato modo institutam, summo cum successu sustinuit. Ego verò, ad hujus imitationem Medici, eandem operationem semel in Patria tentavi, incidens primo cutem, deinde venam varicosam separans, filo utrinque constringens, hamo (i.) elevans, & in medio transversim dissecans.

Sed errore patientis, motu scilicet nimio, qui nullus ante vulneris consolidationem esse debuisset, exorta est inflammatio ægrum vehementer affligens, & prohibens, ut voto exitus respondere non potuerit: unde patiens, ejusque parentes sæpius optarunt, ut me dicta phlegmone, relicto filio, corriperet & torqueret. Hoc famæ naufragium semel passus, eos deinceps, qui varicibus in crure afficiebantur, vel solis tibialibus ex pelle canina confectis tractavi, vel sub iisdem, cruri affecto etiam remedia topica adhiberi.

Fig. IV. ostendit *primo*, quomodo atheroma in femoris interna parte cruciatim detectũ, & hamo (l.) apprehensum, beneficio manubrioli ossei (m.) à subjectis musculis sit liberandum: *secundo*, quomodo globuli in profundis sclopetorum vulneribus hærentes extrahendi forcipe (k.n) Tab. XV. Fig. I. delineato.

Tumores tunicati,

Quoniam aut velut ex tenui pedunculo ficus propendent (*Tab. XXV. Fig. I. infra auris dextræ lobum*) aut, latiore basi partibus inhærent (*Tab. XXV. Fig. II. in fronte & femore sinistro*) aut quoad basin mediocriter habent (*Tab. XXV. Fig. II. in sinistra colli parte*) eorum etiam cura est diversa. Tenuissima basi propendentes nunquam exciduntur, sed amputantur ut plurimum scalpello: in timidis vero huiusmodi tumores ad imam basin arctissime constringuntur filo serico, quod relinquitur, donec sponte decidant. Quod si post tumoris amputationẽ sanguis copiosè profluat, aut post fili casum aliquid de radice superfit, ad compescendũ sanguinis fluxum, & præcavendũ tumoris regenerationem, ulcus ferro candente leviter tangatur, escharaq; oblata, cicatrice obducatur. Hic chirurgiæ

R 2 modus

modus est expeditissimus, & curatio (*quia recens, parvum & æquale est ulcus*) compendio transigitur. Hac ratione etiam commode abscinduntur, verrucæ gallicæ, quæ peris glandem & præputium molestant. *vid. Tab. XL. Fig. I.*

Tumores tunicati, qui latiore basi partibus incumbunt, vel sunt exigui, vel mediocres, vel majores, vel maximi. *Exigui* nucem avellanam, *mediores*, juglandem, *maiores* ovum gallinaceum, & *maximi* magnitudinem peponis adæquant. Maximi, quia ob implicitas venas & arterias separari nequeunt, amputandi sunt (*iuxta Hieronym. Fabric.*) scalpello, & forcipe, quæ recipit & constringit. Tumor talis forcipe (*qualem depingit Guilhelm. Fabric. cent. 1. observ. 2.*) comprehensus, & ad radices suas arcte constrictus, supra forcipem cauterio cultellari, ad evitandum sanguinis profluvium, totus præsecatur, absque eo, quod cutis à folliculo diducatur. Ulcus, post eschara casum, concoquentibus, mundificantibus, sarcoticis, & epuloticis tractandum.

Tumores reliqui, quales sunt exigui, mediocres & majores nuncupati non amputantur, sed suo cum folliculo exciduntur, sequenti modo. Patiens primo cum ad lumen illustre, tum ad Chirurgum, quam commodissime vel in sella vel in lecto collocandus, & (*si aut doloris impatiens*, aut sicut pueri & fœminæ, *pusillanimis fuerit*) manibus ad dorsum retractis ligandus est, ne agitatis varie manibus, & corpore quoquoversum moto sectorem impediat, ut ex Hippocratis officina Medica Marcus Aurelius Severinus libr. de absceſſib. anomal. c. 23. recte monet. Collocato sic ad quietem ægro, abradantur capilli (*si tumor est in capite*) atramentoque signetur sectionis longitudo, quæ tanta sit, quanta est tumoris separandi rotunditas. Tumor pro magnitudinis varietate postulat vel unicam & simplicem, vel duplicem & cruciformem cutis incisionem. Incisio simplex fit supra tumorem exiguum & mediocrem, præsertim si musculo frontis aut temporum inhæret, ne eorum fibræ aut vasa transversim incidantur.

Cruciformem sectionem requirit tumor mediocri proximus seu major dictus, quam admittit etiam locus extra tempora capillatus. In utraque incisione cavendum, ne tumorum, qui materiam melli vel pulticulæ similem continent, folliculus cuti subjectus simul incidatur; læso enim usque ad cavitatem suam folliculo, statim effluit materia contenta, tumorque exinde ita concidit, ut totus folliculus difficulter separari possit. At minima folliculi portio relicta certam recidivæ occasionem dabit. In steatomate verò, cum adiposa illa pinguedo, vel solidior sævi substantia, difficulter effluat, in folliculi læsione usque adeo urgens recidivæ periculum non est, quod cum non concidat tumor, levi occasione tunica potest diduci.

Facta unica & simplici (*Tab. XXXIV. Fig. VII. in fronte*) vel duplici & cruciformi (*Tab.* XXXIV. *Fig. VIII. &* IX.) sectione, inter cutem & folliculum latior specilli pars (*Tab. VIII Fig VI.*) immittatur, ad folliculum à cute sensim diducendum, quod facile fiet, quando folliculus cuti non valde adhæret. Folliculus in circuitu cuti magis adhærens, acies spathæ (*Tabul. II. Fig. I. quam Chirurgus obliqua manu detineat*) & subtus osseo manubriolo salpelli gammaut (*Tabul.* XIV. *Fig.* V.) vel scalpelli

(*deli-*

(*delineati* Tabul. *VIII. Fig.* X.) separetur. Inter tumoris separationem effluens sanguis spongia sæpius abstergendus est, ne sectorem turbet. Chirurgus ad folliculi fundum perveniens, venam, quæ tumori nutrimentum attulit, spatha transversim incidat, ne vel minima relinquatur folliculi portio, ex qua tumor certo renasceretur. Folliculo ad unguem extracto, Chirurgus vulneris labia (*si laxiora, prius cutem redundantem forfice resecet, & deinde*) conjungat (*omissa* ob ægros multis doloribus jam pertæsos sutura) linteolis emplasticis cruciatim appositis. Hac separandi ratione observata, duo atheromata ad magnitudinem ovi anserini accedentia in religiosi cujusdam urroque genu felicissime curavi. Quodsi folliculus vel per se, vel per incuriam Chirurgi ruptus relinquitur, necessario vel tumor revertitur, vel ulcus manet fædum, fætidum, & ferè incurabile. Considerandum est igitur ruptionis tempus. Inter modo ruptum folliculum & cutem immittatur latior specilli pars, aut manubriolum scalpelli gammaut, donec membrana tumoris in totum fuerit separata. Folliculus non modo, sed jam pridem ruptus, vel septicis medicamentis erodendus est in ægrotis timidioribus, vel cauterio actuali consumendus, in animo fortioribus: quo consumpto, ulcus digerendum, mundificandum, carne implendum, & cicatrice obducendum. *vid. Æetium* Tetrab. 4 *serm.* 3. *c.* 7. *&* 8.

Cornelius Celsus curam meliceridis, atheromatis & steatomatis manualem, *l. 7. c. 6.* verbis sequentibus describit. *Omnia derasa ante, si capillis conteguntur per medium* vel simpliciter vel in crucis formam *oportet incidere, sed steomatis tunica* interdum *quoque secanda est, ut effundatur quicquid intus coit*, quoniam *non facile*, sed difficulter quandoque *ab* instrata *cute & subiecta* musculorum *carne*, *ea* tunica, cum plene & integra fuerit, *separatur. In cæteris*, ut meliceride & atheromate, *ipsa tunica inviolata servanda est. Protinus autem*, cute incisa, tunica *alba & intenta se ostendit. Tum* osseo *scalpelli manubriolo*, tunica *diducenda à cute* & musculorum *carne est, eiiciendaque cum eo, quod intus continet. Si quando tamen, ab inferiore parte, tunicæ musculus* firmiter *inhæsit, ne is lædatur, superior pars illius* scilicet tunicæ forficula *decidenda* est, *alia* vero, seu inferior tunicæ portio, quæ musculosæ carni adhæret, *ibi relinquenda. Ubi tota* tunica *exempta est, ore* vulneris *committendæ, fibulaque* seu sutura (modo eam admittat æger doloribus jam pertæsus) *his* oris *inicienda, &* desuper *medicamentum glutinans dandum est. Ubi vel tota tunica*, vel inferior tunicæ pars cuidam musculo firmiter inhærens, *vel aliquid* tantum *ex ea relictum est*, illi *post erodentia* medicamenta, aut cauteria actualia, quibus consumitur, *pus moventia adhibenda sunt.*

Extractio globulorum è vulneribus,

Variis peragitur tenaculis: in hac figura autem ostenditur modus extrahendi globulos commodus instrumento Tab. XVI. F*ig.* I. *delineato*, qui talis est. Extrahatur instrumenti modo allegati terebellum (e. f.) & exterior cannula (a.) detrudatur versus cochlearia (c. d.) ita ut instrumentum claudatur, & formam referat instrumenti

Tab.

Tab. XVI. Fig. III. depicti. Hoc facto, exterior cannula (a.) & cochlearium pars convexa oleo rosaceo inungatur, & instrumentum dextra Chirurgi manu clementer vulneri immittatur, usque dum denticulata cochlearium extremitas globulum amplectatur: tunc Chirurgus polluce & indice digito sinistræ manus instrumenrum teneat, eoque, quantum æger tolerare poterit, globulum premat, ne forcipi cedat: postea, digitis manus dextræ terebellum per foramen capuli rotundi, cannulæ internæ immittat, illudque paulatim circumvolvens globulo infigat.

Quamprimum verò terebellum globulo sufficienter inhærere cognoverit, cannulam exteriorem sensim ad se vel sursum trahat, eamque statim à se deorsum remittat, ut cochlearia divisa globulum recipiant, & receptum firmissimè tenendo, terebelli operam adjuvent: quibus ritè peractis, terebellum & ambæ cannulæ, adeoque totum instrumentum cum affixo & recepto globulo extrahatur eo modo, quem Figura nostra designat. Notandum, à pluribus allegari & commendari ad extractionem globuli instrumenta, *quorum imagines reperiuntur Tab. XV. depicta*, quibus si globulus cedit, facile nervus, vena, & arteria læditur.

Quapropter illi (*qui duo ista instrumenta Tab XVI. Fig. I. & III. in promptu non habent, nec habere possunt*) optime faciunt, omnibus reliquis tenaculis rostrum gruinum, idque vel rectum, *Tab. XI. Fig. IX.* vel in angulnm obtusum recurvatum *Tab. XI. Fig III.* substituunt. His enim Chirurgi Patavini è vulneribus sclopetorum globulos frequentissimè sine noxa extrahunt. Legatur omnibus numeris absolutissimus tractatus Francisci Plazzoni de vulneribus sclopetorum

TABVLA QVINQVAGESIMA SEXTA.

De media brachii & pedis figura, curaque luxationis & fracturæ generali.

Fig. I. ostendit mediam seu curvam figuram, qua brachium in cubito fractum extenditur, coaptatum deligatur, & in capsulam depositum suspenditur. *Vid.* Tab. LII. Fig. III. IV. V. & VI.

Fig. II. monstrat eandem brachii figurationem, qua humerus fractus extenditur, coaptatur (*Tab.* XXXXVIII. *Fig.* I.) & apparatu tabulæ LI. deligatus, ligneoque canali impositus, de collo suspenditur.

Fig. III. proponit *primo* mediam seu rectam figuram pedis dextri in medio femore fracti, ascia cruciatim deligati, in longissimum canalem depositi, & ad calcem pulvino suffulti. *Secundo* eandem figuram pedis sinistri, qui ob fracturam tibiæ ascia circulari involvitur, & canali, qui ad medietatem fere femoris pertingit, impositus ad calcem pulvinari quodam fulcitur.

Tertio circulos duos lecticæ infixos & prohibentes, ne stragula quandoque ponderosa partem affectam premere possint.



Ut præcedentes Tabulas, quæ de fracturis & luxationibus agunt, tyrones melius intelligant, ex Hieronymo Fabricio, ejusque præceptore Fallopio (*hos duos enim qui habet, omnes habet*) generalem fracturas & luxationes curandi rationem paucissimis perstringam.

Curatio luxationis simplicis,

fit quinque scopis, 1. Extensione, 2. Repositione, 3. Deligatione, 4. Depositione partis luxatæ, & 5. Religatione partis. Extensio autem facile fiet, si quatuor observantur, primò tempus, secundò organa apta, tertiò modus, & quartò extensionis quantitas. Tempus ab Hippocrat. de Art. 64. proponitur, ut scilicet statim post luxationem fiat, dum pars adhuc calet. Quod si extensio ob absentiam Medici vel Chirurgi statim fieri non possit, faciamus id die etiam secunda vel tertia, nisi cogamur ob inflammationem, quæ prius supervenit, desistere, in quarta verò propter exacerbationes nihil tentandum: observatum enim, quod, si tentetur extensio, restitutio feliciter non succedat, sed eam multa sequantur incommoda. Unde Fallopius de luxation. cap. 3. Moneo vos, inquit, ut habeatis semper rationem temporis, ad summum non excedentis diem tertium, & si dies tertia esset jam præterita, expectandus est terminus inflammationis, & tempus, usque quo periculum non sit de inflammatione, estque, Hippocrat. 4. de Artic. 65. monente, dies septimus, ad quem usque æger (inedia seu victu potiùs tenui) extenuandus est. Ergo si tribus primis diebus fieri non possit exsensio, expectate usque ad septimam. Tempus in quo potestis restituere, est prima, secunda & tertia, vel saltem septima, octava & nona; in decima verò, undecima, & reliquis, non est tutum, quia tum generatur callus. Sed antequam deveniamus ad extensionem, præparandus est articulus ad indolentiam, & facilitatem restitutionis, calefaciendo, emolliendo, & laxando partes articuli, scilicet, musculos, tendines & ligamenta, si enim mollitia sunt, facilius trahentur, & sine dolore. Calefactio autem & emollitio articuli fit, aut per frictiones, aut per affusionem plurimæ aquæ calidæ, vel hydrelæi, vel decoctionis malvæ, althe. &c. Frictione commodè utimur in locis, ubi aqua non facile potest effundi; debet autem fieri manu inuncta materia aliqua oleosa vel pingui, ut oleo communi, aut axungia porci minimè salitâ. Spigelius in publicis lectionibus narrabat, ad curationem luxationis tantum posse balneum aquæ dulcis, ut eo nihil sit præstantius.

Organa extensionis sunt manus, vincula & Instrumenta; manus adhibentur, si luxatio sit levis; vincula, si mediocris; Instrumenta, si magna. Manus ergò sint vel Medici, vel Ministrorum, prout extensione opus est levi, vel paululum majore: Vincula verò, ubi requiruntur, ob contractionem musculorum majorem, extensio validior, in quibus observanda 1. Figura, quomodo scilicet obvolvenda, de qua (quoniam verbis exprimi non potest) videatur Oribas. Lib. de laqueis: 2. Materia, quæ sit valida, mollis & tractabilis. Talis est corium cervinum, molle & præparatum, ex quo conficiuntur Thoraces. Inunguntur deinde unguento pomato, ut tractabiles fiant. Nonnulli utuntur, in defectu Corii, linteis parum detritis: 3. ubi injicienda; in loco nimirum remotiore

tiore articuli luxati, ne muſculi conſtringantur, aut in validiore extenſione dilacerentur. Ubi infra luxationem, duo adhuc ſunt articuli, Hippocrates utrique articulo adhibet vinculum. vid. *Tab. XLIX Fig. III.* Inſtrumenta mechanica, quæ præcipuè neceſſaria ſunt in antiquatis, vel primis tribus diebus non repoſitis luxationibus, ſunt 1. ſcala (*Tab. XXIV. Fig.* III. item *Tab.* XXXXIX. Fig. II.) 2. Gloſſocomum ſeu Ambi Hippocrat. (*Tab. XXIV. Fig. IV.* item *Tab. XLIX. Fig. II.*) & 3. ſcamnum Hippocraticum (*Tab. XXIII. Fig. IV.* item *Tab. XLVII. Fig. III.*) dictum.

Modum extenſionis indicat Hippocrates 1. de fract. 1. dum dicit, quod Medicus luxationum & fracturarum extenſiones (quæ per tractationem in diverſas fiunt partes) quàm rectiſſimas facere debet. Oportet igitur ſervare rectitudinem, tùm ratione oſſium, tum ligamentorum & muſculorum, propter fibras. Nam ſervata harum partium rectitudine, extenſio ſine dolore & difficultate ſuccedet.

Quantitatem extenſionis optimè ſciet Medicus, quando non ignorat, ex quo loco exciderit, per quam viam egreſſum, & ad quem locum ſit progreſſum, in quo quieſcat. Extenſionem propè factam animi deliquium ægri vel adſtantium non impediat.

Reponitur os in ſuum locum manibus, vel Medici, vel miniſtri, modicè inunctis cerato aliquo molli, vel oleo roſarum. Fit autem repoſitio vel per circum gyrationem, vel per impulſum in oppoſitam partem illi, ad quam prolapſum eſt. Hi motus non ſemper neceſſarii, nam interdum, ubi extenſio facta, ſi muſculi prius contracti tantum remittantur, facile ſua ſponte articulus in locnm naturalem redit.

Signa autem benè repoſiti membri ſunt, primò figura membri naturalis, quando nulla cavitas, nulluſque circa articulum tumor apparet, quemadmodum ante reſtitutionem, ſed in omnibus ſimilis ſit ſanæ parti, aut parum admodùm abſit, propter influxos humores. Secundo doloris remiſſio, quæ ſignum eſt inſeparabile, ſemper enim dolore ſedato, ſignum eſt, reſtitutum eſſe os, non autem contra ſequitur, reſtitutum eſt os, ergò dolor ceſſat: poteſt enim interdũ dolor remanere, quod priꝰ valdè læſi ſint muſculi. Tertiò, juxta nonnullos ſtrepitus, qui ſentitur ab ægris & adſtantibus, dũ os in cavitatẽ ſuam redit, ſed ſignũ hoc fallax eſt, & nunquam exoptandum, ſiquidõ ſtrepitus iſte interdum fit, cum extenduntur articuli, & nimis trahuntur, ſæpe tiam ſtrepitus fit, cum oſſis ſupercilia rumpuntur, ex colliſione mutua oſſium, quam ſequitur motus difficilis.

In deligatione prima & reliquis, obſervanda ſunt duo, (figura ſcilicet partis affectæ, & deligatura ipſa) quæ conſervabunt articulum in ſinu ſuo, & imminentem inflammationem prohibebunt.

In Figura oportet obſervare figurationem articuli non ſolum reſtituti, ſed etiam totius membri; nam ſicut figuræ quædam naturales & indolentes: ita quædam non naturales & dolentes ſunt: Figura indolens brachii eſt flexa, ſicuti pedis in rectum extenſa, *Tab. LVII. Fig* I. *&* III, ſed notandum, quod dicta figura articulo vel toti membro ante deligaturam tribuenda eſt, ne ſcilicet faſciæ vel laxentur, vel nimis conſtringantur.

Deligatura fit faſciis lineis, quia melius conſtringunt, quàm illæ quæ ex lana conficiuntur; mollibus, ne dolores inferant; æqualibus, ut æqualiter ubique conſtringant; & mundis, ut ex colore cognoſcantur humores, qui ex articulo reſudãt. Latitudo faſciarũ ſecundùm partes deligandas variat: partes enim craſſiores requirunt faſcias latiores,

tenuiores verò anguſtiores. In craſſis (femore ſcilicet & genu) ſint quatuor, in tenuioribus (ut tibia, humero, cubito & manu) trium, in tenuiſſimis (ut digitis, duorum ſaltem latæ digitorum transverſorum ægrotantis. Faſciæ diſtinguuntur à Galeno in interiores, quæ ſub ſpleniis ligant articulum, & dicuntur ſubligamina: Et in exteriores, quæ ſpleniis imponuntur: Hippocrates utitur duabus interioribus, totidemque exterioribus; quamvis interdum una ſufficiat faſcia, quando ſcilicet articulus non eſt facilis ad prolapſum.

Longitudo faſciarum ob varietatem partium deligandarum varia eſt: In cubito longitudo faſciarum debet eſſe trium cubitorum (per cubitum intelligo ſpatium ab apice digiti medii uſque ad articulum cubiti) ægrotantis: in cruribus quatuor, in humero novem: in femore duodecim: & in digitis minus duorum digitorum. Faſciæ, ut præter conſtrictionem etiam inflammationem arceant, ex miſtura vini auſteri & oleo roſarum madefiant, quoniam ſiccæ multo tempore inter ſe non cohærent. Alii faſcias moderatè oblinunt, felici ſucceſſu, cerato Hippocrat. humido, quod deſcribit Galenus lib. 6. de compoſ. med. per gen. c. 4. dicitur ceratum à cera, quam recipit, & humidum, quia ob oleum eſt molle. Proportio autem ceræ & olei eſt, ut ſumatur una pars ceræ, & duæ olei: v. gr. ℥j. ceræ albæ, & ℥ij. olei roſacei. Vitanda ſunt hîc illa medicamenta, quæ fiunt ex pulveribus adſtringentibus & albumine ovi, quoniam articulum vel nimis refrigerant & exiccant, ut flexura impediatur, vel humoribus influxis excludunt exitum. Deligatio luxati articuli communis eſt fracturis, quo pacto autem facienda ſit, infrà docebitur in curatione fracturæ ſimplicis & Tabul. LI.

Depoſitio membri eſt triplex; Alligatio, ſuſpenſio & collocatio. *Alligatio*, cùm juxta Paulum thoraci alligatur brachium in luxatione & fractura humeri & cubiti. *Suſpenſio*, ſi ſuſpenditur brachium de collo appoſitâ vittâ. *Collocatio*, quando collocamus membrum affectum ſupra aliquam partem corporis, ut brachium ſupra thoracem, vel ſupra ſtragulum aliquod capſulæ inditum. Alligatione & Suſpenſione utimur in partibus ſuperioribus, collocatione verò in inferioribus. Depoſitio autem debet eſſe in figura partis media, mollis (unde canalis ſtuppa repletur, ne æger moleſtiam patiatur) æqualis (maximum enim incommodum ex parva inæqualitate oriri poteſt) & ſurſum vergens, ne fluant humores ad partem affectam, & inflammationem efficiant. *Tab. LVI. Fig. II. & III.* Poſt bonam deligationem & membri depoſitionem requiritur etiam quies, ita ut antiquiores in luxatione & fractura femoris perforârint lectum & ſtragula, ut ægri per illud foramen excernant, ne moveri cogantur.

Religatio indicatur 1. ſi membrum non rectè fuerit deligatum, quod apparet, ſi nimis arctè conſtringitur, unde in extremis membri luxati partibus exoritur tumor durus, vel nimis laxè, quod indicatur, cùm neque bonus, neque malus,

lus, id est, neque moderatus, neque magnus aut durus, apparet tumor. 2. Si pruritus aut dolor adsit. Pruritus ille fit vel à rebus secundùm naturam, aut temperamento calidiore, vel à rebus præter naturam. Solutis, dictam ob causam, fasciis, affundatur membro aqua tepida, pura, non solùm ut mitigetur ille pruritus, & discutiatur humor serosus, qui remansit impressus ex ligatura, verùm etiam ut roborentur ligamenta, dum aqua siccat humiditates collectas. Nisi ergò deligatio sit malè facta, nec pruritus infestet, solutio protrahatur usque ad septimum diem. Si autem nimis arctè, secundo, si nimis laxè, tertio, ob pruritum verò tertio vel quarto ad summum die ligaturam dissolvere oportet. Septima die, quæ est terminus transactæ inflammationis, deligatio iterum solvatur, & affundatur aqua tepida (non nimis calida, quæ ligamenta laxaret) sed non ampliùs fasciæ supra-dicto liquore madefaciendæ, nec cerato rosaceo obtinendæ, quoniam inflammationi jam satisfactum est, sed septima dies indicat corroborationem & consolidationem articuli, & ideò medicamento opus est siccante valdè & adstringente. Si tamen septimo die adhuc suspicio esset inflammationis, tunc usque ad undecimam diem protrahatur roborantium medicamentorum appositio. Talia sunt 1. *Medicamentum catagmaticum Moschionis*, cujus descriptionem habet Galen. lib. 3. de comp. med. sec. genera. c. 9. 2. *Ceratum diapalmæ.* 3. *Ceratum barbarum*, quod optimum est hyemis tempore. 4. *Emplastrum catagmaticum Renodæi.* Hæc medicamenta antequam apponantur, emolliantur vel cerato rosarum humido, vel myrtino, pro molli frictione partis affectæ. Factâ molli frictione, articulus leniter movendus ad hanc aut illam partem, ut humor in articulo genitus exprimatur sine dolore. Medicamenta (non dissoluta) postmodum super linteum extensa apponantur, & deligatio prioribus paulò arctior sit oportet. Post hanc deligationem membrum solvendum non est usque ad finem curationis. Ut cognoscatur tempus, quo sanantur luxationes, sciendum est, quòd tres dentur gradus articulorum, alii enim sunt parvi, & ad restitutionem faciles: quidam mediocres, & majoris momenti: nonnulli magni & ad restitutionem difficiles. Primorum (articulorum digiti cujusvis) curæ terminus est dies decimus quartus: secundorum (articulorum, ossium pedis & manus extremæ) vigesimus: Tertiorum (reliquorum) quadragesimus. Articuli ergò digitorum inter quatuordecim dies glutinantur, & propterea in luxatione talium articulorum à septima vel nona die usque ad decimum quartum non oportet unquam fascias solvere: in reliquis expectandus est terminus sanationis, nisi aut pruritus, aut ulcuscula, aut humor inter caput articuli & sinum collectus, laxarum fasciarum solutionem indicent tertio quoque die repetendam. Hoc modo procedendum, donec membrum satis videatur robustum: quo tempore solvenda est ligatura, & pars luxata decocto fovenda, quod eam roboret.

℞. *Flor. Mamomill.*
——*Anthos.*

Rosar.

——*Rosar. rub.*
——*Stæchad.*
Fol. Salviæ.
——*Beton.*
——*Salic.*
——*Chamædr.*
——*Ivæ arthet.*
——*Centaur. min.*
——*Absynth. an. M*ß.
——*Vini rubri mediocriter austeri* ℔ vj.
——*Lixivii dulcis Barbitonsorum* ℔ *iij.*

Bulliant ad consumptionem quartæ partis: postea apposito cerato, per aliquot dies absque deligatione, in media figura *Tabul. LVI. Fig. II. & III.* membrum restitutum est conservandum; dein ægrotanti præcipiendum, ut operationes consuetas moderatè exercere incipiat.

Curatio Luxationis cum Inflammatione ante & post restitutionem exorta.

SI *Inflammatio* urgeat ante repositionem, aderunt duæ indicationes, altera *Luxationis*, & altera *Inflammationis*: sed quia magis urget *Inflammatio*, illi priùs est incumbendum; nam si priùs tentaretur restitutio articuli luxati, fieret convulsio, vel gangræna partis, quam sequitur sphacelus: Omittenda igitur in hoc casu restitutio articuli, & pònenda pars in medio, minimeque doloroso situ. *Tabul. LVI. Fig. II. & III.* Universalibus præmissis, rebus non-naturalibus benè dispositis, & alvo laxâ clysteribus conservata, parti affectæ apponatur lana succida, & continuò super-affundatur hydrelæum calidum, quod recipit copiosam aquam calidam, & copiosum oleum rosatum. Aqua calida enim discutiet humores, laxabit partes, doloremque sedabit: Oleum rosarum mitigabit dolorem, & repellendo impediet *inflammationis* augmentum. Lanâ succidâ etiam mitigabitur dolor, & prohibebitur *inflammatio*; sed quia, dum cessat *inflammatio*, humores collecti paulùm incrassantur; ideò sub finem *inflammationis* debemus membrum leniter fricare manibus inunctis oleo amygdal. dulcium, vel communi, deinde imponere malagma vel Nili vel Nilei, quæ Galen. lib. 8. de comp. med. sec. loc. cap. 5. describit, & præstantissima sunt in declinatione inflammatio-

S 2

mationis, propter ceram, & ammoniacum, oleum, crocum & acetum, quibus ad emolliendum, evocandum & discutiendum nihil est præstantius: sed cùm hæc non habeantur in officinis, adhibeatur Emplastrum Oxycroceum Nicolai, quod pariter emollit, discutit, & ex alto trahit, quare optimo eventu potest substitui: superatâ inflammatione, extendatur, reponatur, deligetur & deponatur membrum, eo modo, quem in luxatione simplici didicimus.

Si inflammatio post repositionem succedat, quod crebrò fit, tum ratione extensionis violentæ, tum doloris perpetui, instituendus est victus tenuis, secanda est vena, & purgatio instituenda, statimque dissolvenda est deligatio (etiamsi sit in prima vel secunda die) & similiter hydrelæum tepidissimum affundendum, donec æger ex hoc juvamen aliquod percipiat. Postea deligetur membrum laxius, paucioribus fasciis hydrelæo imbutis. Hoc singulis diebus faciendum est, usque ad inflammationis declinationem, quæ fit die ut plurimùm quintâ; declinante inflammatione, apponenda sunt vel malagmata dicta, vel oxycroceum Nicolai, pro resolvendis inflammationis reliquiis cum ligatura adhuc laxiore. Ablatâ verò inflammatione observetur curandi modus in simplici luxatione dictus.

Curatio luxationis cum vulnere, & osse, vel tantùm detecto, vel parum etiam prominente extra cutim.

SI articulus luxetur, ita ut sit vel detectus, vel extra pellem parùm protrusus, affectus est lethalis, & majoris periculi, si restituatur, quam si non restituatur. Si enim non restituatur, 1. Superveniet inflammatio, convulsio, & interdum Mors. 2. Aderit turpitudo ipsius membri. 3. Ulcus insanabile; quod si fortè cicatrice aliquâ obducatur, ob mollitiem facilè etiam solvitur. Si verò reponatur, maximum adducit convulsionis, gangrænæ & mortis periculum. Sed nonnulli hujusmodi pericula timent solummodò in articulis magnis (carpo videlicet, cubito, humero, talo, genu & femore, quæ ob tendinum robur, ligamentorum & vasorum magnitudinem, restitutionem prohibent, nisi eam æger & adstantes, auditâ prædictione periculi, urgeant, quam Medicus die vel primo, vel secundo, vel octavo, vel nono tentare debet, ne Artem Medicam ignorare videatur) non autem in articulis minoribus, digitorum nempe pedis & manus extremæ, quos Celsus cum prædictione periculi pariter reponit, rationem habens primò inflammationis & convulsionis, deinde vulneris & luxationis. Ubi ergò articulus major reponi nequit, primò habenda est ratio universalium & victûs, membrumque sine omni extensione & deligatione, in media figura, vel de collo suspendatur, vel in capsulam leniter collocetur, ut immobile maneat, & dolorem non sentiat. Impedienda quoque inflammatio & convulsio imminens, medicamento dolorem mitigante, concoquente, refrigerante & repellente, quale est ex mente Hippocr. 4. de artic. 6. ceratum picatum, quod super splenium, vino austero, nigro ac tepido expressum extenditur & tepidè articulo imponitur.

Curatio Convulsionis post articuli restitutionem subortæ.

SI, osse restituto, supervenit convulsio, statim articulus iterum luxandus, copiosaque aquâ, vel oleo tepido optimè ac diu abluendus: Calefaciendum quoque totum corpus, ita ut sudor excitetur, & omnes articuli calefiant, quoniam inter se omnes consentiunt: inungenda sunt præterea nervorum principia, nucha scilicet, spina dorsi, inguina & axillæ, oleis & unguentis ad convulsionem facientibus.

Curatio Luxationis cum Callo, qui impedit restitutionem & motum articuli.

IN articulis, ante vel post restitutionem, malè tractatis facilè crescit *Callus*, præcipuè verò in iis, qui non multa carne sunt circumvallati, ut cubitus, genu & pes: reliqui articuli quandoque, sed non ita facilè patiuntur *callum*, quoniam carnosiores sunt, & humorem sanguineum, qui pro alimento & faciliori articulorum motu illabitur, facilè discutiunt. *Callus* autem vel est durus, ut lapidis naturam acquirat, vel non ita durus, uti lapidosus. Signa calli lapidosi sunt quatuor. 1. Articulus gracillimus & siccissimus conspicitur. 2. Articulus ab ægro moveri non potest, neque etiam violentâ manu Medici. 3. Extenuatio & gracilitas membri est diuturna. 4. Adhibita fuerunt medicamenta nimium refrigerantia, vehementer adstringentia & exsiccantia, quibus humor supradictus in lapidosam abiit materiam. Signa lapidis simpliciter duri sunt itidem quatuor. 1. Si recens est affectus, dum enim antiquatur, fit lapidosus. 2. Quamvis membrum ab ægro moveri nequeat, potest tamen à Medico. 3. Si medicamenta idonea articulo fuerint apposita. 4. Aderit tumor aliquis in parte quidem durus, non tamen osseus.

Callus lapidosus curationem Celsi sine periculo non admittit, quare ita relinquendus. Curatio vero calli mollis, seu minùs duri talis est: Primò evacuetur corpus purgatione & venæ sectione: Secundò instituatur bona victûs cæterarumque rerum non-naturalium regula: tertiò emolliatur pars oleo, vel sequenti medicamento.

℞. *Radic. alth.* ℥iij.
Cucum. asinin. ℥ij.
Fol. Malv.
—— *Bismalv. an. Mij.*

Sem. Lini.
—— Fœnugræ.
Caricar. ping. ana ℥ij.
Caput. Vervec. N. j.

Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. donec caro capitis ab oſſibus ſeparetur, cujus vapore per aliquot dies articulus calloſus foveatur ; Fotum excipiant frictiones per tertiam horæ partem durantes , manibus inunctis ex oleo amygd. dulc. & pinguedine anſerina recenti mixtis. Factâ frictione imponatur Malagma Nilei ſuprà allegati , vel oxycroceum Nicolai pinguedine anſerina malaxatum. Poſt tres vel quatuor dies pro emollitione & discuſſione calli laudatur fumus aceti. Unde Galenus accipit lapidem pyritem, (vel in hujus defectu molarem) quem ignitum facit , poſtea aceto perfundit , in quo macerata ſit portio quædam gummi Ammoniaci , ut vapor inde ſublatus & per tertiam horæ partem ſuſceptus non ſolùm attenuet callum, ſed etiam emolliat : attenuatione factâ , cataplaſma imponendum eſt vel ſequens, vel fortius. ℞. Furfur hordei & oxymel. ſimpl. ana q. ſ. pro form. Cataplaſmatis. Notandum , ut æger (ſi articulus eſt reſtitutus) inter uſum emollientium & discutientium articulum , quantum poſſibile , moveat , quo motu callus digeritur. Si articulus nondum reſtitutus & callus oboritur, hic priùs curetur, dein articulus reponatur: ut in Luxatione ſimplici dictum.

Curatio Luxationis articuli, qui de ſede ſua poſt reſtitutionem ſponte recidit.

ARticulus recidit tribus de cauſis. 1. Quando poſt violentam Luxationem malè reponitur articulus, & ligamenta non benè exiccantur. 2. Quando tumor aliquis ex inflammatione circa articulum oborta & malè curata prohibet , ne articulus in ſua ſede poſſit contineri. 3. Cùm humor ad articulum fluit , qui ligamenta laxat. Prima cauſa majora exiccantia requirit : Secunda verò emollientia & discutientia indicat , de quibus ſuprà : Tertia omnium eſt peſſima , quæ (poſt expurgationem corporis per pharmaca , venæſectionem & bonam victûs rationem) poſtulat aduſtionem , quâ nihil eſt præſtantius. Nam hæc abſumet primò humiditates illas per cruſtam , quæ cavum facit ulcusculum , quod cicatrice obductum partem relaxatam contrahit ; per inuſtionem enim calefacimus , ſiccamus & humores digerimus Sed animadvertendum eſt , 1. Ut uratur locus , ad quem cadit os , ut ſi humerus ſub alam cadat , ſub axilla uſtio fieri debet ; ſi caput femoris ad anteriorem partem luxetur , anteriora pluribus in locis urenda. 2. Ne urantur partes nervoſæ, ligamenta, venæ, arteriæ & glandulæ, quibus ignis eſt inimicus, exori-

exoritur enim ob ſiccitatem convulſio incurabilis. 3. Ut uſtio fiat ferramentis, quæ non magnas faciant eſcharas , unde eligantur ferramenta parva, olivaria, acuminata & optimè ignita. 4. Ut poſt inuſtionem articulus quieſcat per multos dies, ſi enim iterum luxetur, affectus erit immedicabilis.

Curatio Elongationis Articuli.

IN articuli elongatione ligamenta laxiora debent conſtringi medicamentis non frigidis (hæc enim articulum rigidum & ad motum ineptum reddunt) ſed calidis. Cùm autem non detur ſimplex , quòd vim habeat calefaciendi , & ſimul conſtringendi , apponendum eſt compoſitum , veluti eſt emplaſtrum ex pelle arietina. Si autem medicamentis non ſuccedat curatio, unicum ſupereſt remedium ; nempè ut cutis externa ex utraque parte (cavendo tunc partes prædictas) inuratur ferramentis parvis & optimè ignitis, deinde pars faſciis aptis deligetur.

Curatio Fracturæ ſimplicis.

TRansverſæ & obliquæ quatuor abſolvitur. 1. Repoſitione. 2. Repoſiti conſervatione. 3. Calli generatione , & 4. Accidentium fracturæ ſupervenientium correctione. Repoſitio duobus expletur, extenſione nimirum & conformatione, vel per impulſum, vel per coaptationem.

In *Extenſione* etiam conſiderandum , 1. *Ubi*. 2. *Tempus*. 3. *Modus*. 4. *Inſtrumenta*. 5. *Qualitas* , & 6. *Quantitas*.

Ubi, extenſione opus eſt , quando oſſis fracti partes nondum directæ jacent , ſed una alteri adhuc ſuperimponitur.

Tempus optimum eſt , ſi ſtatim cognitâ fracturâ inſtituatur extenſio ; nam ſi id non fiat , magnus ob dolorem vehementem fit humorum affluxus , & muſculi verſus ſua principia trahuntur , hinc extenſio difficilis evadit , & ſi inſtituatur , oſſa fracta adjacentes partes carnoſas pungunt , & conſequuntur convulſiones , inflammationes , aliaque mala accidentia. Poteſt tamen ante inflammationem die ſcilicet ſecundo vel tertio extenſio tentari : in quarta & ſequentibus (donec timor inflammationis præteriit) extenſionem Hippocrates prohibuit. Verùm recentiores , ut inflammationem imminuant , dolorem mitigent , & muſculos verſus ſua principia contractos emolliant, aquâ calidâ perfundunt partem fractam. Alii ſumunt hydrelæum , vel decoctum malvæ , alth. &c. horumque vapore membrum per integrum horæ ſpatium fovent. Ubi notandum , ab initio hujus fomenti partem affectam quidem intumeſcere vehementer , ſed ubi paululum fomentatio perſeverârit, non modò tumorem vapore excitatum , verùm etiam priorem , qui extenſionem prohibuit , evaneſcere. Optimum quoque remedium eſt pellis recens mactati vituli , vel alterius animalis adhuc calens circumligata , & per horas aliquot ſupra mem-

membrum fractum detenta; habet enim inſignem vim digerentem, emollientem & anodynam.

Modus, Membrum fractum in media figura, ſupra & infra fracturam, inſtrumentis ad extenſionem neceſſariis comprehenditur, & in diverſa, ſurſum ſcilicet & deorſum, quàm rectiſſimè trahitur.

Inſtrumenta, interdum ſunt ſolæ manus duorum miniſtrorum robuſtæ, ubi mitius, *Tab. LI. Figur. I.*) Interdum habenæ ex linteo, vel corio; ubi valentius, (*Tab. XLIX. Fig. III.*) Interdum machinamenta, ubi vehementiſſimè extendendum. *Tab. L. Fig. I.*

Qualitas pro varietate, & præſertim magnitudine oſſium & muſculorum variat. Hinc minimam poſtulat extenſionem radius; majorem oſſa, quæ in ſumma manu & ſummo pede ſunt; adhuc majorem cubitus & fibula; validiorem humerus & tibia; validiſſimam femur. Præterea in unoquoque oſſe validiorem extenſionem tolerat. 1. Corpus molle, quàm durum. 2. Primus dies, quàm reliqui, quibus durat timor inflammationis. 3. Fractura vetuſta, quàm recens.

Quantitas. Membrum in directum extenditur, uſque quo oſſa ponantur è regione invicem, at ſe mutuò non contingant.

Conformatio probè fiet, ſi, dum organa extendentia ſenſim & ſenſim remittuntur, & membrum in media figura conſervatur, partes oſſis fracti, quæ è directo nondum exactè jacent, in directum examuſſim ponantur, earumque eminentiæ in proprias cavitates citra omnem violentiam ſuaviter & blandè manibus Chirurgi recondantur *Tab. XLIX. Fig. III.* Hæc operatio optimè ſuccedit, quando membrum conformatum ſano in figura erit ſimile, tactu nulla ſentietur inæqualitas, & dolor vehemens ſedabitur, vel miteſcet.

Conſervatio fracturæ jam coaptatæ continet deligationem, & inflammationis per Topica prohibitionem. Deligatio fit faſciis, ſpleniis & ferulis.

Faſciæ (*Tab. LI. E. F. G.*) autem parantur ex linteis vetuſtis, aliisque uſibus ex parte attritis, ut ſint tractabiliores, validis tamen, ne extentæ lacerentur: nullas conſutiones aut extantias habeant, ut æqualiter ac ſine dolore conſtringant. *Latitudo* autem faſciarum magnitudine partis innoteſcit; pars enim craſſior latiores, tenuior anguſtiores requirit.

Longitudo tanta ſit, quanta requiritur, ut ſcilicet deligatio, & ſupra fracturam & infra, comprehendat non parum de parte ſana, debitis circumvolutionibus, quæ tot ſint, quot requiruntur ad firmamentum partis fractæ.

Splenia Tab. LI. Lit I. ſunt panni linei, (antiqui parabant ex ſtuppa pexa) ſæpiùs complicati, ſicque dicuntur, quoniam imitantur ſplenes brutorum, qui ſolent eſſe oblongi & anguſti. Alii hos pannos vocant *Plagulas*: Veteres appellarunt Plumaceolos aut pulvillos, quoniam ex plumis inter duos pannos conſutis pararunt. Hæc ſplenia adeò longa ſint, ut totam deligationem comprehendant; bre-

viora enim omnes faſciæ circumvolutiones non fuerentur: latitudo autem ipſorum ſit trium aut quatuor digitorum, ejus qui deligandus eſt. Quod verò ad craſſitiem attinet, ſint triplicia & quadruplicia etiam, ubi majori opus eſt firmitate: & cùm debeant totam partem circumdare, tot accipienda ſunt, quot poſſunt partem in orbem complecti: Unde *Hippocrat. libro de offic. Medic.* Spleniorum longitudo, latitudo, craſſitudo & multitudo talis eſto: Longitudine deligationem æquent: Latitudine trium ſint aut quatuor digitorum; Craſſitudine triplicia aut quadruplicia; Multitudine, ut in orbem convoluta, neque plura ſint, neque pauciora. Et *Galen. in Comment. hujus loci*: In hoc, quem nunc de Fracturis Hippocrates inſtituit, ſermone primùm plagulas commemorat, ſplenia quoque à ſplenis ſimilitudine, quem imitantur, appellata: quæ præcipit longitudine æquare deligationem, utpotè quæ in ejus gratiam adhibeantur, videlicet ut eam firmam & immotam ſervent. Latitudinem verò habere trium aut quatuor digitorum hominis nempè deligandi. Craſſitudo ea ſit, ut triplicia vel quadruplicia ſint: quadruplicia quidem, ubi deligatio majore eget cuſtodiâ, verùm ubi minore, triplicia poſſe ſatisfacere arbitratur. Eam autem plagularum multitudinem adhiberi conſulit, ut in orbem deligatum membrum comprehendant.

Ferulæ Tab. LI. K. ſunt aſſulæ læves (quæ oſſibus fractis & luxatis apponuntur, poſtquam tranſierit inflammationis tempus, ut fracturam magis ſtabiliant) plagulis non admodum diſſimiles. Veteres, inter quos primus fuit Hippocrates, pararunt ferulas ex ligneo ferulæ fruticis cortice, aut ex ipſis ramis per medium diviſis, unde & nomen habent ferulæ. Eſt enim hoc lignum aptiſſimum ad hunc uſum, cùm & duriſſimum, unde Antiqui ex eo ſcipiones parabant, quibus innitebantur. Nos in defectu hujus fruticis (quandoquidem in Germania locisque frigidioribus haberi nequit) optimo cum ſucceſſu paramus ferulas ex operculo capſularum, quibus utuntur Pharmacopæi & Mercatores ad merces recondendas. Si nec dicta opercula haberi poſſunt, ferulæ optimè conficiuntur ex vaginis enſium antiquis, quæ, quoniam corio obducuntur, ſunt duræ, ſed ſimul læves. *Hippocrates lib. de offic. Med. text. 9.* bonas ferularum conditiones expoſuit, dum ſcribit: Ferulæ porrò læves, (κεῖλοι) æquales circa extrema reſimæ ſint oportet, & ab utraque parte deligationis paulò breviores, craſſiſſimæ verò, qua parte fractura erupit. Non aſperas ſed læves vult, ut poſſint nunc ſurſum, nunc deorſum, nunc in rectum, nunc in obliquum, prout opus requirit, trahi: Non diſtortas, quæ deligationem & membrum diſtorquent, ſed æquales, ut æqualiter cingant. Simas, juxta extremitates, hoc eſt, ex inferiore extremitate, leviter deraſas, ut magis adſtringant in loco fracturæ, quàm ad partes ſanas, quæ compreſſæ dolent, deinde inflammantur. Ab utraque deligatione factâ breviores, eadem causâ, ne premant partes in extremo ſanas, atque adeò dolorem ac inflammationem inferant. *Galenus Comment. 3. de Chirurg. offic. text. 11.* ſcribit: Fracturæ verò maximè conducit,

ut ferulæ neque asperæ, neque distortæ sint, quippe quòd utroque modo comprimant, sed quæ distortæ sunt, id insuper habent, ut deligationem distorqueant, quâ distortâ, confracta etiam pars distorquetur. Consulit præterea, ut illæ eligantur, quæ ab ipsis capitibus sunt simæ, quæ enim eandem semper usque ad extremum crassitudinem servant, æqualem ea parte deligationem cæteris omnibus præstant: quod fieri minimè expedit, cùm ipse velit, ut ferulæ in media deligatione magis adstringant, inde verò usque ad extremas partes sint magis laxæ, ubi & laxissimæ esse debent. Vult etiam ut longitudine sint breviores, quàm sit deligatio, ne cutim ultra deligationem attingant, quæ, ex eo quod humores à vinculis expressos plerumque recipit, tumidior redditur. Vult etiam crassiores esse ferulas, ubi fracturæ insident, quòd locus is præ cæteris earum compressione indigeat.

Inflammatio imminens *prohibetur* medicamentis anodynis & repellentibus, parti extrinsecùs appositis. Ego felici semper successu utor medicamento, quod componitur ex vino austero, oleo rosarum & albumine ovorum spatulâ agitato, debitâ proportione mixtis. Si dolor urget, albuminibus omissis, vino oleum in majore quantitate immiscere soleo. In hoc medicamento fascias *Tabul. LI. E. & F.* quæ dicuntur subligamina, imbuo & exprimo *Tab. LI H.* juxta admonitionem *Avicennæ, qui libro* 4. *Fen.* 5. *Tract.* 1. *cap.* 5. *de curatione dislocationis* præcipit, ut simus solliciti, ne imponantur calidæ & siccæ. Calidæ enim calefaciunt, & calefaciendo humores attrahunt: siccæ verò non cohærent inter se.

Factâ igitur extensione, fracturâ compositâ, omnibusque ad ligandum necessariis præparatis, membrum adhuc in diversa extentum, est immediatè fasciis sursum & deorsum ductis involvendum. Initio autem fasciæ primæ tres circumvolutiones supra fracturam facere oportet, & tantam facere compressionem, quanta sufficiens sit ad firmanda ossa: hinc versus superiorem partem ad sanam scilicet ducenda est deligatio, paulatim compressionem minuendo. *Tabul. LI. Figur. I.*

Ubi satis de sana parte fuerit comprehensum, ibi deligationem terminare oportet. Dein alia fascia (prima longior, ut ad eum locum pervenire possit, ubi prima desiit) accipienda est, atque una vel altera circumvolutio (contrario modo, si prior versus dextram, hæc versus sinistram) facienda est supra fracturam, atque ex ea versus inferiorem partem ducenda est deligatio, similiter paulatim compressionem minuendo. Sed circumvolutiones hujus fasciæ non sint adeò frequentes, quoniam non adeò timemus ab extremis partibus, & ubi satis de sana parte fuerit comprehensum, finem circumvolutionis ad inferiora facere oportet. *Tabul. LI. Figur. II.* & reliquo fasciæ, rarioribus circumvolutionibus, redire per ipsam fracturam, usque tandem ventum sit ad finem fasciæ primæ. Quoniam

niam verò hæ duæ fasciæ jam circumvolutæ ad fracturam continendam debiliores sunt, splenia circa fracturam & totum membrum per ejus scilicet longitudinem adhibenda, ut unum alteri non superponatur, sed inter unum & alterum unius digiti transversi, hominis scilicet deligandi, spatium intercedat, quæ firmentur fasciâ tertiâ ex duplici capite, ita ut prima circumvolutio fiat super fracturam, deinde alterum caput ducatur versus superiora crebrioribus circumvolutionibus, rarioribus verò alterum versus inferiora, deinde ab inferioribus sursum usque in eum locum, in quo desiit alterum caput hujus fasciæ; utrumque tamen caput toties circumvolvendum, ut plagularum extremitates utrinque parùm promineant. *Tabul. LI. Figur. III.* Signum congruæ deligationis erit, quando patiens se firmatum esse refert non compressum, & magis super partem læsam, quàm super sanas, minimè versus extremas.

Congruæ deligationi succedit bona membri *Depositio*, quæ est in media figura, mollis, æqualis, & sursum vergens. Pars igitur deligata intra capsulam ligneam stuppâ pexa & linteo involuta repletam deponatur, atque ita usque in tertium diem relinquatur, si Patiens eo, quo deligatus est die, & sequenti nocte, sibi videtur magis compressus, secundo minus, ad hoc etiam in extrema parte tumor aderit mollis & parvus: major enim & durus pravam & nimis arctam indicat ligaturam & imminens inflammationis ac gangrænæ periculum, unde æger incunctanter solvendus, atque denuò, sed moderatè deligandus est.

Si tertio post primam deligationem die laxiores videntur fasciæ, resolvantur, (animadvertendum autem ubi solvenda deligatio, antequam ossa sint aliquantulum firmata, circumvolutas spiras non esse paulatim solvendas, sed pars cubet, atque lintea & fasciæ secentur, donec, detectâ superiori parte, possis omnia detrahere, parte à proprio loco non elevatâ, sic enim non est opus ad solvendam deligationem partem elevare, atque suspendere & contrectare, ex quibus nulla potest utilitas ægrotanti contingere, quousque medicamenta adhibenda, membrumque denuò fasciis involvendum) parsque pruriens aquâ tepidâ sæpiùs perfundenda, ut fuligines detentæ evaporent: postea membrum ligaturâ, quæ moderatâ paulò arctior sit, constringatur, in capsulamque deponatur usque in septimum diem, quo fasciæ iterum solvendæ, membrum aquâ perfundendum & deligandum, fasciis adhuc arctiùs adductis, ita tamen, ut vitam & alimentum permittant transire ad membrum extremum. Parti igitur fractæ applicetur Ceratum Diapalmæ, vel emplastrum catagmaticum Renodæi, aut uni lato linteo aut pluribus angustioribus inductum, supra hoc fasciæ unum caput habentes, vinoque austero expressæ, & supra has plagulæ priùs in vino expressæ, deinde albumine ovi subacto imbutæ, denique fascia ex duobus capitibus eodem vino insuccata.

His ritè peractis, quoniam hoc tempore plerumque cessat inflammationis timor, ad fracturam magis stabiliendam ferulæ (quæ nisi transactâ septimâ ob inflammationis periculum tutò non alligantur, ut deligationem conservent) circumquaque plagulis in utroque superfasciationis extremo prominentibus, per longitudinem membri, circumcirca vinculis L. maximè laxis apponendæ, hoc ordine, ut primò ligentur in superiore parte, secundò in inferiore, tertiò verò supra fracturam, ne validior fiat supra fracturam constrictio, & dolor excitetur. *Tab. LI. Fig. IV.* In appositione præterea ferularum cavenda sunt ossa prominentia & excarnia, namque illis appositæ dolorem inferrent & exulcerarent: unde aut ad latera apponantur, aut sint breviores. Membrum ita deligatum detineatur immotum in capsula usque ad vigesimum, nisi pruritus, excoriatio, dolor, aliaque accidentia, fasciarum resolutionem & convenientem remediorum applicationem desiderent. Nihilominus tamen Medicus interim ægrotum de tertio in tertium diem visitet, & ferulas laxas leviter admodum supra fracturam constringat, id semper præ oculis habens, quod ferulæ circumponantur, non ut comprimant, sed ut subjectam deligationem tueantur ac firment.

Cùm autem terminus hic præteriit, ferulæ ac fasciæ religandæ, & pars affecta pro generatione aut nutritione calli aquâ calidâ (donec intumescat, nec ultra) fovenda, deinde apposito catagmatico fasciæ & ferulæ adstringendæ (ut humores callum generantes & enutrientes concrescant) inque capsulam pars deposita per biduum relinquenda, ad explorandam calli quantitatem & qualitatem demùm religanda. Quinto quovis posthac die fasciæ resolvendæ, & membrum aquâ calidâ perfusum, cerato, fasciis, ferulisque laxioribus tractandum, usque dum fractura callo mediocri confirmetur, quod in cubiti ossibus, in triginta plerumque diebus, in humeri & tibiæ quadraginta ferè, in femoris verò quinquaginta fieri solet: Nihil tamen est perpetuum; nam & natura à natura, & ætas ab ætate plurimùm distat.

Callus autem generatur ex sanguine, qui ante septimam attrahi non debet, hinc *Emplastrum oxycroceum* primis diebus periculosum, ob imminentem vel præsentem inflammationem. Ad *Calli* generationem alii exhibent juscula, in quibus bullierint folia agrimoniæ, & radices Consolidæ majoris. Nonnulli viscidiores cibos præbent. Recentiores ante sexaginta annos invenerunt lapidem, qui in Palatinatu crescit, & ad *calli* generationem ab incolis istius loci miris commendatur laudibus, unde ὀστεοκόλλον vocatur: de quo legantur *Guilhel. Fabric. Hildan. Cent. 1. Obs. 90. 91. & 92.* & *Sennert. lib. 5. Institut. part. 2. Sect. 1. cap. 7.* Extrinsecùs tutissimè applicatur non modò Ceratum Barbarum, & Diapalma Galeni, verùm etiam Emplastrrum Oxycroceum Nicolai & catagmaticum Renodæi. Barbarum & oxycroceum apponantur hyeme; Diapalma tempore æstatis, Emplastrum Renodæi mediis temporibus.

Fractu-

Fracturas quandoque nonnulla sequuntur *Symptomata*, utpote *Pruritus*, *excoriatio*, *callus major vel minor*, *dolor*, *gracilitas membri*, *& distorsio*, quæ omnia Medici operam requirunt.

Pruritus cessabit, si aquâ tepidâ pars religata foveatur, donec rubescat & paulò amplius, ut attracta materia iterum digeratur. Quando locus affectus tepidæ affusionem commodè non admittit, aquæ vapori satis utiliter apponitur. *Scalptura* ob pruritum ægris prohibenda, eò quod pessima, & præter excoriationem humores attrahat, & dolores graves excitet.

Excoriatio, quæ oritur non raro, quando fasciarum resolutio diutiùs, quàm par est, protrahitur; deinde quando Patientes ex impatientia scalpunt, sanatur affusione tepidæ, ut in pruritûs cura dictum, & adhibitione unguenti de cerussa, quod refrigerat & exsiccat.

Dolor mitigatur fomento hydrelæi, vel decoctionis capitis castrati cum floribus chamomillæ.

Callus justo major generatur, quandò æger pleniore, quàm decet, victu utitur, vel Medicus negligentior est in curatione, si manu ejus qualitatem non explorat, & fascias nimis laxè circumvolvit. Prævcavetur, si victui detrahitur, qualitas calli aliquoties exploratur, & fasciæ paulò arctius constringuntur. Minuitur primò medicamentis emollientibus, postea emollientibus & discutientibus simul (in curatione *Luxationis* cum *Callo* propositis) donec ad mediocritatem veniat. *Callus minor* habet causas contrarias, unde præservatur quoque contrariis: Augetur crassiore victus ratione, alimenti ad partem affectam attractione, per affusionem aquæ calidæ (eâ moderatione, ut, dum pars adhuc attollitur, priusquam concidat, desistamus) & fasciarum laxiore ligaturâ.

Extenuatio partis fit, vel propter fasciarum nimiam stricturam, vel inopiam alimenti viscosi. Si strictura extenuationem efficiat, fasciæ magis remissè ligentur: Si alimenti inopia gracilitatis causa est, alimentum attrahatur fotu aquæ calidæ, donec rubeat pars, cui deinde emplastrum aliquod picatum linteo lato inductum apponatur, multotiesque velociter detrahatur, cavendo postmodum strictam fasciarum circumductionem, quæ alimentum attractum iterum repelleret.

Distorsionis membri, vel malæ conformationis ossium est causa, vel Medici incuria, dum aut extensionem, aut coaptationem, aut deligationem minorem, quàm par est, facit; vel ægrotantis vitium, quando membrum fractum ante calli confirmationem movet, aut ipsi innititur; vel fracturæ culpa, quando præsertim femur rumpitur. Nam ossa femoris, neque, si diducta per vim extensionis deligatis, sic diducta vinculo contineri poterunt, sed cùm primò intensio remiserit, inter se concurrent. Hîc enim carnes crassæ ac validæ deligationem superant, non

ab

ab ea ſuperantur. Hippocrat. de fract. quod confirmare videtur Celſus, dum lib. 8. cap. 10. de crurum femorumque curatione ſcribit: neque enim ignorari oportet, ſi femur fractum eſt, fieri brevius, quia nunquam in antiquum ſtatum revertitur; & Avicenna libr. 4. Fen. 5. tradit, raram admodum eſſe femoris fracti integram curationem. Quibus verbis nos admonent, ut integram curationem femoris nunquam promittamus, ſed omnem potiùs diligentiam adhibituri, claudicationem dubiam prædicemus, ne ex fracturæ natura, aut, quod ſæpiſſimè contingit, ex ægrotantium impatientia ſuperveniens noſtro adſcribi errori, & præmii loco famam minuere poſſit. Fit etiam mala conformatio fracturæ culpa, quando fruſtulum oſſis inter ambo oſſa fracta continetur, quod eorum mutuum contactum impediat. Oſſa Medici & ægrotantis vitio diſtorta nunquam rumpantur (niſi aliter fieri nequeat, ob magnam membri in operationibus ſuis læſionem) ſi patiens ſenex & debilis, callus vetuſtus & induratus, & os magnum, quale eſt os femoris & humeri. At ſi læſio magna, patiens juvenis & robuſtus, callus recens, qui ſex menſes non exceſſerit, emolliatur callus per quindecim dies perfuſionibus, balneis & emplaſtris: deinde membrum ab utraque parte vel manibus, vel habenis, vel machinis, prout neceſſe fuerit, in diverſa extendatur, uſque dum callus frangatur, & oſſis fracti partes manuum palmis coaptari poſſint: poſtea fractura curetur, ut ſupra dictum. Si oſſis fruſtulum membrum totum diſtorqueat, ſcalpello (*Tabul. II. Figur. II.*) ſectio fiat uſque ad os fractum, & volſellâ oſſis portio glutinationem impediens extrahatur, dein fractura per extenſionem coaptetur, deligetur & deponatur, eodem modo, quo fractura recens. In dicta femoris diſtorſione os minimè rumpendum, magis enim conducibile eſt vivere cum claudicatione, quàm periculoſam operationem non ſine torminibus & recidivæ metu ſuſtinere. Femoris autem diſtorſio præcavetur, ſi membrum in, ante & poſt deligationem inſtrumento, Gloſſocomio (*Tabul. XLIX. Figur. IV.*) quod huic uſui ſecundario deſtinatum eſt, conſervetur extentum, uſque ad perfectam fracturæ confirmationem.

Curatio Fracturæ aſſeralis.

IN fractura aſſerali ſuper longitudinem oſſis facta faſciæ arctiùs ſtringendæ ſunt, quàm in reliquis; ut oſſa fracta, quæ per latitudinem à ſe invicem receſſerunt, ad mutuum contactum & actum ducantur, & recidere nequeant. *Galen. lib. 6. m. m. c. 5.* Cæterùm ea omnia agenda, quæ in curatione fracturæ transverſæ & obliquæ dicta ſunt.

Atque iſta quidem de fracturarum curatione ſimplicium, in quibus neque oſſa eminent, neque alioqui vulnus acceſſit, ſufficiant: nunc pauciſſima tradam, quomodo fractura cum vulnere curanda ſit. Fracturarum cum vulnere variæ ſunt ſpecies,

cies, vel enim os à perioſtio & carne denudatum eſt, vel iis adhuc tectum: in utraque iterum vel oſſis portionem aut parvam aut magnam expectamus abſceſſuram, vel nullam.

Fractura cum Vulnere ſimplici, In qua nec os à ſuis tegumentis denudatum eſt, neque aliqua oſſis portio abſceſſura curatur ut fractura ſine vulnere. Nimirum 1. Congrua extenſione. 2. Debita coaptatione (quam ſequitur labiorum vulneris ad mutuum contactum adductio, adductorumque conſervatio per linteola emplaſtica cruciatim impoſita & faſciam) 3. Deligatione, & denique 4. Depoſitione.

Hîc tamen circa curationem notandum, *Primò*, ut extenſio fiat à Chirurgo ſtatim vocato, primâ aut ad ſummum ſecundâ die, priusquam ſcilicet parti gravis ſuperveniat inflammatio. Si Chirurgus opportunè non fuerit accerſitus, ſed tertiâ, quartâ, aut quintâ die, in quibus inflammatio vel imminet, vel cœpit, tunc tentanda non eſt extenſio, donec ſeptem vel paulò plures dies præterierint: totis interea viribus contra inflammationem pugnet Medicus, tam removendo cauſam antecedentem per diætam, Chirurgiam & Pharmaciam, quàm reſpiciendo ad partem affectam anodynis, repellentibus & congruâ, quantum licet, membri depoſitione, & vulnus ſuppurantibus contegendo. Præterito inflammationis periculo, vel per extenſionem ſolam, vel etiam vectis operam, fractura coaptanda, deinde tribus faſciis & ſufficiente plagularum numero deliganda, molliterque deponenda.

Secundò, ut extenſio non ſit adeò valida, ut in fractura ſimplici, propterea, quia ſubſtantia carnoſa, muſculoſa & nervoſa, jam lacerata, contuſa & attrita eſt: alioqui inſignes dolores & convulſiones excitarentur cum maximo vitæ diſcrimine.

Tertiò, ut faſcia prima paulò latior ſit, quàm vulnus ipſum, præcipuè circa principium, à quo incipienda eſt circumvolutio, ut ora vulneris utrinque comprehendat: Si enim faſcia anguſtior eſſet, tunc ulcus cinctum teneret, & dolorem inferret.

Quartò, Faſciæ etiam minùs ſtringantur, quàm in fractura ſine vulnere, ne compreſſo vulnere, dolor & inflammatio oriatur: ob eandem cauſam ſint magis etiam molles, quàm in fractura ſimplici. Pars, tertio poſt extenſionem & directionem die, ſolvatur, iterumque deligetur, ita tamen, ut deligatio aliquantum magis comprimat (ad membrum gracilius reddendum) quamdiu timor durat inflammationis, niſi dolor aliter ſuadeat. In ſecunda verò ſolutione non arctior fiat deligatio, ſed potiùs laxior, ut detur exitus ſanguini, futura materia calli.

Quintò Ferulæ non apponantur ad vulnus, ſed ſi apponendæ, adhibeantur ad vulneris latera & partem oppoſitam, donec ſit ſanatum vulnus. Raròautem contingit, vulnus in tali fractura ſimplex ſecundo vel tertio apparatu cicatrice non obduci,

duci, vel ſaltem carne non repleri. Sanato vulnere, ſi os nondum eſt confirmatum, eadem agantur, quæ in fractura ſimplici.

Si autem interea, (neque enim oſſis ſeparatio, niſi fracturâ conformatione fruſtratâ, aut oſſe diutiùs detecto, ſemper ab initio poteſt præſentiri) die ſcilicet decimo octavo, vel vigeſimo, vel alio, vulnus incrudeſcat, & fractura oſſis abſceſſum minetur, (quem indicat ſanies multa, quæ vulneris magnitudini non reſpondeat, labia vulneris inverſa, & caro hebes in vulnere generata) conſiderandum 1. An oſſis fruſtulum ſit magnum, aut parvum? Si magnum, ſigna propoſita erunt intenſiora; Si parvum, remiſſiora. 2. An abſceſſurum â reliquo oſſe jam ſit ſeparatum, vel adhuc cum eo contineatur? Illud cognoſcitur, quando æger vel ad eam rem intentus tacitam quandam motionem, vel minimè attentus dolorem pungitivum percipit; Hoc, quando Patiens neque latentem, neque manifeſtum ſentit motum.

Fractura cum vulnere, ubi os nudatum non eſt, oſſis tamen fruſtulum parvum receſſurum expectatur.

MOdus curandi in fractura ſimplici adhibitus, nequaquam formidandus, ſed, omiſſis ferulis, continuandus, laxiori ſaltem deligatione, & crebriore (de tertio ſcilicet in tertium) reſolutione, opusque naturæ, medicamentis quàm citiſſimè juvandum, donec oſſiculum omni[illegible]ò ſeparatum volſellâ arripi, ac citrà violentiam extrahi poſſit. Oſſiculo extracto, ferulæ adhibeantur ad latera vulneris, donec conſolidetur. Si vulnere ad cicatricem ducto fractura nondum fuerit confirmata, ferulæ undique erunt apponendæ, ſicut in fractura ſimplici dictum.

Fractura cum vulnere, in qua os nudatum non eſt, magna tamen oſſis portio, vel plures (ut in vulneribus ſclopetorum) receſſuræ, vel ſtatim, vel poſtea cognoſcuntur.

SI *ſtatim*, aliam, & à ſuperiore longè diverſam pro citiſſima oſſis ſeparatione ligaturam expoſcit, ut membrum quotidie deligari & ſolvi queat, abſque eo quod fractura moveatur. Probatiſſimus autem deligandi modus eſt Hippocraticus, quo pus non intercluditur, fractura ſtabilitur, inflammatio arcetur, dolor non excitatur, & citiſſima oſſis receſſio procuratur. Ad hæc omnia præſtanda, ex panno lineo parentur plagulæ duplicatæ, non anguſtiores, quàm ut labia vulneris ſufficienter apprehendant, quoad longitudinem paulò longiores, quàm ut ſemel mem-

membrum circumeant, totque numero ſint, quot ad faciendam faſciam aſcialem (*Tabul. LIV. Figur. V.*) opus erit. Hæ ænelæo, ex vino nimirum auſtero & oleo roſarum compoſito, ut dolorem ſedent, & inflammationem prohibeant, inſuccatæ apponuntur latiori linteo, eo ordine, ut media plagula ſibi proximas, & hæ remotiorum medietatem contegant. His præparatis, fracturâ coaptatâ, vulnerique appoſito ſuppuratorio, tetrapharmaco ſcilicet Galeni, linteum illud unà cum diſpoſitis plagulis membro deligando ſubjiciatur, ita ut media plagula ſub fracturam veniat: *Tabul. LIV. Fig. III.* Deinde miniſter alterum mediæ plagulæ caput tentum detineat, alterum Medicus, quæ adducuntur, ut longè ab extremitatibus ſeſe circulari modo interſecent, & arctè, quantum in fracturis cum vulnere & particula oſſis abſceſſura licitum potiùs, quàm neceſſe eſt, partem læſam firment. Mediâ in circulum adductâ, adducatur etiam ſuperiorum prima, deinde ſecunda, poſtmodum tertia, & ſic deinceps, donec ad partem illam perventum ſit, ad quam faſcia prima (*Tabul. LV. Fig I.*) ſi vulnus non adeſſet, aſcendere deberet.

His ſuperioribus appoſitis, ſimiliter inferiorum prima, dein ſecunda, tertia & quarta, & ſic deinceps, deſcendendo etiam uſque ad partem ſanam. *Tabul. LV. Fig. II.* Hæc medicamenta cum ſua ligatura (quotidie faſcias cum ænelæo ſolùm irrigando) applicentur, quouſque tempus inflammationis præterierit, dein omni induſtriâ eò intendendum eſt, ut os recedens, quàm citiſſimè fieri poteſt, foràs extrudatur, naturam adjuvando injectione decocti divini, & appoſitione Cerati ſacri Galeni, ſupra vulnus (ut ejus tantùm oras comprehendat) & diachalciteos circa partem affectam. *Nota*, inducatur Ceratum Diapalmæ ſpleniis ſeptem (pluribus vel paucioribus) ſimplicibus, & in circulum eorum capita adducantur, à medio incipiendo, ac poſtmodum aſcendendo & deſcendendo, ut cum plagulis duplicatis fieri ſolet. Spleniis ex Cerato adhibitis plagulæ ex linteo duplicato confectæ, & vino ſaltem auſtero imbutæ, ut meliùs inter ſe cohæreant, apponantur.

Oſſe in conſpectum detruſo, eoque volſellâ, ſi citra violentiam fieri poſſit, extracto, vulnus Cerato divino conſolidandum. Vulnere autem ad cicatricem ducto membrum in quiete conſervandum, donec fractura confirmetur, appoſitis undique ferulis. Obſervandum præterea, ſi faſcias ob earum duritiem vel immunditiem removeri neceſſe eſt; ut membrum elevetur quidem, ſed ſtatim iterum deponatur ſupra latius linteum, cui ordinatim linteola iſta duplicata jam fuerint appoſita. *Tabul. LIV. Fig. III.*

Si non ſtatim, ſed demùm poſtea os abſceſſurum appareat, deligatio (quæ tribus peragitur faſciis & ſpleniis) mutetur in aſcialem modò deſcriptam, donec os abſceſſerit. Oſſe ſatis magno qualia ſunt illa, *Tabul. LIV. Fig. IX.* & *Tabul. LIV. Fig. III.* ſub ſigno ⊙ depicta) receſſo, ſpleniorum circularis apparatus (*Tabul. LIV. Fig. III.* in crure) in cruciformem (*Tabul. LIV. Fig. VI.*) mutandus, deligatioque ab infima plagula incipienda, & ſuprema finienda, (*Tabul. LIV. Fig. III.*) ut humiditates in ca-

vitate

vitate ossis separati collectæ (quæ plagulis descendentibus deorsum trusæ sinum magnum efficerent) è vulnere exprimantur; vulnere ad cicatricem ducto, pro confirmatione fracturæ, ferulæ apponi possunt.

Fractura cum vulnere, in qua os à periostio denudatum est, extra vulnus tamen non eminet.

CUratur primò moderatâ membri extensione, secundò convenienti coaptatione, tertiò labiorum vulneris ad mutuum contactum adductione. Quartò aptâ deligatione, & quintò congruâ depositione. In deligatione considerandum, an aliqua ossis portio sit recessura, vel nulla? Nulla abscedet, si os nudatum statim cutis operculo fuerit retectum: Aliqua recedit, si os diutiùs aëri fuerit expositum. Si nullum aut parvum os est abscessurum, deligatio tribus fasciis & spleniis est peragenda, velut in fractura cum vulnere simplici, & in qua ossis parvi expectatur separatio: si magnum est abscessurum, deligatione asciali pars affecta vincienda est, ut modò dictum in fractura cum osse magno abscessuro.

Fractura cum vulnere, in qua os extra vulnus prominet.

ANtequam reponatur, considerandum est, an os eminens in propriam cavitatem beneficio debitæ extensionis citra violentiam & convulsionis periculum restitui possit, nec ne? Unde, si potest citra periculum restitui, restituatur, sin minus, non restituatur. Periculosam restitutionem indicant prominentia magna, inflammatio & pars ob musculorum contractionem dura: Facilem, os eminens parvum, absentia tumoris phlegmonosi & partis mollities. Quod si ergò restitui nequit, è duobus malis minus eligendum, os (cum prædictione futuræ membri brevitatis, ne ea Chirurgi adscribatur errori) eminens & nudum, forfice *Tab. XX. Fig. I.* præcidendum, & postea fractura per modicam factam extensionem coaptanda. Meliùs enim est membrum aliquantum brevius reddere, quàm ossa non-coaptata relinquere, vel violenter extendere, quorum utrumque ægrotanti convulsionem & mortem afferret. Si os imminutum modicâ manus extensione adhuc reponi nequeat, illa adjuvanda est extensio juxta Hippocratem vecte, seu quodam scalpro incisorio inter ossa fracta immisso. *Tabul. LIV. Fig. III.* Fracturâ coaptatâ membrum deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici dictum, sed fasciis & emplastris foramen supra vulnus incidatur, ad medicamenta vulneri magno quotidie applicanda. Ratio perforationis fasciarum hæc est: quia vulnus magnum & ideò per secundam intentionem curandum copiosam generat saniem, indeque crebram inspectionem requirit, os autem comminutum ob metum novæ musculorum contractionis frequentiorem membri elevationem

nem fasciarumque resolutionem prohibet, unde media via, ut vulneri & fracturæ satisfiat, incedendum.

Hoc deligandi modo perplures curavi; inter præcipuos superstes vivit Juvenis quidam, qui circa vigesimum ætatis annum tempore nocturno ab alto cecidit, pedisque sinistri fistulam & tibiam in medio crure cum eminentia ossis fibulæ magna fregit, quam nisi forfice *Tabul. XX. Fig. I.* abscidissem, fracta ossa minimè componere potuissem. Hic Patiens spatio quatuor mensium beneficio scipionis ambulare cœpit, reliquo tempore ita incedens, quasi crus nunquam fregisset, aut nullam ossis portionem amisisset, quod probè observandum, quia raro contingit, ut æger ex duplici fractura cum vulnere & deperditione ossis restitutus non claudicet. Hæc ligandi ratio quamvis magnam requirat diligentiam Chirurgi, tamen non raro ingratos se exhibent curati: quare non semper vitio verti debet Medicis circumforaneis, qui quandoque curationem, juxta Hippocratis dictamen, à mercede exordiuntur, illamque exigunt, dum dolor est, cùm

——— Postquam pœna recessit,
Audeat & sanus dicere, multa dedi.

Cùm os eminens parvum, citra violentiam & periculum convulsionis reponi possit, primò membrum extendatur moderatè, deinde fractura componatur: quod si ossa sola extensione difficulter coaptari queant, ob timorem magni doloris & periculosæ convulsionis, validior ne fiat extensio, sed inter ossis divisi partes extentas latius vectis extremum & tenuius imponatur, ut depressiori ossis parti subjectum, & eminentiori innixum, extensionem juvet, donec ossa è directo collocata videantur: deinde paulatim extensio relaxetur, & vectis extrahatur.

Si fortè fortuna os, cui innititur vectis idoneus, in superiore parte multa comminuta, vel aliquod acutum habeat, ut vecti non detur commodus locus, illa scalpro rasorio *Tabul. VI. Figur. III.* auferenda, hoc autem forfice *Tabul. XX. Figur. I.* præcidendum, ut vecti tuta sedes comparetur. Osse reposito, considerandum est, an aliquid de osse recessurum sit, nec ne? Si statim facta erit repositio, nihil recedet; Si verò non statim, aliquid recedere potest. Si nihil est recessurum, pars affecta (vulneri apposito priùs suppuratorio) deligetur, ut in fractura cum vulnere simplici dictum: Si verò aliquid recessurum expectatur, deligatio instituenda erit, juxta modum in fractura cum magni ossis separatione adhibitum.

Atque

Atque ita, divinâ permiſſione, in viginti quatuor Tabulis prioribus accuratam Inſtrumentorum Chirurgicorum delineationem & effigiem; In poſterioribus verò triginta duabus Tabulis uſum illorum crebrâ experientiâ probatum, nec non veram applicandi rationem, eâ quâ potui dexteritate, omnibus informationem requirentibus, ob oculos ponere, deſcribere, & denuò publici juris facere volui.

FINIS PARTIS I. ARMAMENtarii Chirurgici.

ARMAMENTARII CHIRURGICI PARS SECUNDA.

SIVE

OBSERVATIONES CHIRURGICAE, CONfirmantes ac dilucidantes ea, quæ in parte prima, ſeu Tabularum deſcriptione breviter dicta ſunt.

OBSERVATIO PRIMA.

Vulnus capitis cum magna depreſſione cranii, & longa ejuſdem rima.

ANNO M.DC.XXXVII. Die IX. Januarii Stil. V. hora 7. poſt meridiem, JOHANNES HAPPELIUS, Metator Equitum Cæſareus, temperamenti calidi & humidi, agens trigeſimum ſecundum ætatis annum, in duello à tubicine quodam Cæſareo ſauciatus fuit, & ſeptem accepit vulnera, quorum unum in externo ſiniſtri cubiti latere prope carpum, ſex autem reliqua in capite fuerant. Vulnerum cephalicorum primum poſt ſiniſtram aurem; ſecundum circa ſuturam coronalem; tertium prope ſuturam ſagittalem; quartum & quintum ad frontem; atque hæc omnia cuti tantum ſuperficialiter mucrone ſaltem gladii, inflicta fuerunt. Sextum vero capitis vulnus in dextri lateris muſculo temporali, circa ſuturæ coronalis principium, ſatis profundum fuit: inverſus namque gladius, ejuſque manubrii globulus minor uſq; ad majorem penetrans, cranium cum quadam fractura depreſſit. Hæc omnia vulnera Ulmæ urbanus quidam Chirurgus tractavit, uti ſimplicia alias vulnera tractari ſolent.

Die 10. Januarii Domini Conſulis mandato ægrum acceſſi, & omnia inſpecta vulnera parvi feci, excepto illo, quod erat in muſculo temporali: nec mea me fefellit

opinio, quia ſpecillo obtuſo & lato (Tab. VIII. Fig. VI.) cranium depreſſum deprehendi, unde ſtatim vulneri, ut magis dilataretur, ſpongiæ novæ, albo ovi imbutæ, compreſſæ, & exiccatæ particulam impoſui; deſuper diapalma & cataplaſma idoneum (ex farina nimirum hordei & fabarum, mica panis domeſtici, pulvere roſarum rubrarum, oxymelle ſimplici & vino rubro) applicans. Vulnera illa capitis, circa ſuturam coronalem & ſagittalem accepta, nonnihil etiam, inditis filamentis carptis & digeſtivo oblitis, dilatavi, deſuper apponens diapalma & faſciam Tab. XXVII. Fig. III. & X. Reliqua autem vulnera veluti ſimplicia tractavi. In victus ratione cibus fuit panatella, cremor hordei, & pruna Damaſcena; Potus vero aqua hordi Magiſtralis.

(℞. *Hord. non excortic.* ℥ß.
Paſſular. min. ℥ij.
Semen aniſ. Ʒj.
Aqu. fontan. Menſ. ij.

coquantur ſenſim per duas horas, & decocto adhuc fervido addatur cinnamomi craſſiuſcule inciſi Ʒij) cum tinctura roſarum & vino granatorum attemperata. Veſperi æger uſus eſt ſequenti enemate leni ad laxandam alvum per quinque dies valde adſtrictam.

℞. *Herb. Malv.*
Violar.
Beton.
*Pariet. a. M*ß.
Semin. Len. Ʒvj.
Fœnic.
Citr. a. Ʒjs.
Radic. alth. ℥ß.
coquantur in ſ. q. aqu. font.
colatur. ℥x. *add.*
Mell. roſ. Sol. ℥js.
Elect. Lenit. Flor. ℥j.
Ol. Viol.
Chamom. a. ℥js.
Miſc. pro Enemate.

Die XI. Januarii poſt vulneris temporalis dilatationem, ſpongia factam, oſſi pulverem cephalicum (ex radicibus ſcilicet ariſtolochiæ rotundæ, & iridis Florentinæ paratum) inſperſi, labiis digeſtivum adhibui, deſuper iterum apponens emplaſtrum diachalciteos, & cataplaſma Hippocratis modo propoſitum, cum faſcia *Cancer* dicta. Tab. XXVII. Fig. X.

Die XII. Januarii, propter inquietam noctem, majoremque circa vulnus tumorem atque dolorem, indicavi Patienti & adſtantibus, opus eſſe, ut vulnus in muſculo temporali per ſcalpellum rectum (Tab. II. Fig. II.) magis dilatetur, & vulnere tunc, ut

ut die undecima, obligato, Patienti ob oris amaritudinem præſcripſi, & hora octava matutina exhibui ſequentem Syrupum Cholagogum, à quo quinquies dejecit materiam biliosam.

℞. *Syr. roſ. ſol. ſimpl.* ℥ij.
Extract. Rhab ſimpl. Ʒjs.
Diacarth. ℈js.
Mag. Tartar. ℈j.
Aqu. ceraſ. nigr. q. s.
M. pro Syr. liquido.

Die XIII. Januarii Patiens aliquantulum melius habuit, quam die præterito, & vulnus modo conſueto obligavi. Die XIV. Januarii æger conqueſtus eſt de dolore vulneris temporalis: ideo propter anguſtiam vulneris, ego & Chirurgus prima læſionis hora vocatus deliberavimus, illud ſcalpello, ſecundum fibrarum muſculi temporalis ductum (in formam trianguli, aut Litteræ V. Tabul. XXVII. Fig. II.) eſſe dilatandum, ut cranium depreſſum modiolis trepani prope foveam debite perforari, & vecte convenienti ſubmiſſo elevari poſſit. vid. Tabul. XXIX.

Die XV. & XVI. Januarii vulnus dolorificum velut diebus antecedentibus obligavi, ejuſque dilatationem ob inſtans novilunium diſtuli. Die XVII. Januarii, æger ob dolorem capitis, quem ipſi materia, exitum ob rimæ anguſtiam non inveniens, induxit, iterum uſus eſt enemate ſaltem lenitivo. Die XVIII. Januarii, hora nona matutina, propter inquietam ægri noctem, vulnus muſculi temporalis in formam trianguli ſcalpello ſupra allegato, dilatavi, unguibus ab oſſe muſculum ſeparavi, cavitatem ſtupa cannabina, in globulos formata, & pulvere ſtegnotico aſperſa replevi, partes vicinas oleo roſarum calido inunxi, & deſuper ceratum diapalmæ ac ſplenium triplicatum (Tabul XXVI. Fig. VII. I.) in vino rubro expreſſum cum faſcia adhibui.

Die XIX. Januarii ſanguine, qui poſt inciſionem cutis, pericranii & muſculi temporalis profluit, firmiter ſubſiſtente, præviſam cranii fracti depreſſionem adſtantibus monſtravi, ejuſque neceſſariam perforationem adhuc ſemel indicavi. Die XX. Januarii cranium prope depreſſionem & principium ſuturæ coronalis trepano perforavi (Tabul. XXVII. Fig. V.) oras facti foraminis inſtrumento lenticulato (Tab. XXVII. Fig VIII.) levigavi, cranii depreſſionem ſubmiſſo vecte debiliſſimo (Tab. XXIX. Fig. I.) erexi, craſſæ cerebri membranæ ſericum circulare, rubrum, oleo roſarum tepido imbutum, filoque appenſum (Tabul. XXVII. Fig. IX.) admovi, cranio nudo pulverem cephalicum & filamenta ſicca appoſui, labiis autem globulos ex filamentis paratos, & digeſtivo oblinitos; deſuper ceratum diapalmæ, & cataplaſma Hippocratis cum faſcia applicui. Die XXI. Januarii vulnus habuit melius, ægerque totam noctem ſe dormiviſſe dixit, ideo craſſæ cerebri membranæ iterum adhibui ſericum rubrum, oleo roſaceo imbutum & filo annexum; cranium pulvere cephalico conſperſi, labiaque vulneris digeſtivo tractavi,

℞. Reſin. Tereb. in aqu. beton. lot. ʒjs.
Vitell. ovor. N. j.
M. ſ. art. pro digeſtiv.

Applicando deſuper Ceratum Diapalmæ, Cataplaſma Hippocratis & faſciam Galeni ſæpiùs allegatam. A die xxii. uſque ad xxvi. Patiens ratione vulneris optimè habuit.

Die xxvii. quatuor cranii particulas adhuc depreſſas, vectibus *Tabula ſecunda* depictis non cedentes, inſtrumento novo (*Tabul. IV. Fig. II.*) excidi, & membranæ cerebri craſſæ ob conceptam putredinem linteolum ſericum linimento (quod conſtitit ex Terebinthina, Syrupo de roſis ſiccis, & guttulis aliquot ſpiritus vini) imbutum applicui, excreſcentiam carnis flaccidam pulvere aluminis uſti exedens. Die xxviii. Januarii ad expurgandos humores bilioſos & ſeroſos, quibus abundabat ægri corpus, præſcripſi ſequens infuſum:

℞. Rhab. ſel. ʒj.
Agaric. rec. troch. ʒjs.
Fol. ſen. ſ. ß. ℥ß.
Gingib. opt. ℈ß.
Mag. Tart. ℈j.
Flor. borrag. p. j.

Fiat infuſio per noctem, & mane facta expreſſioni addatur Mann. elect. ℥js.

Die xxix. & xxx. Januarii vulnus & æger poſt uſum ſcilicet infuſi, quod magnam bilis & ſeri copiam eduxit, benè habuerunt. Die iii. Februarii vulneratus propter inordinatam victus rationem paſſus eſt dolores colicos tam inſignes, ut ſpatio quatuor dierum nunquam dormire poſſet, poſt injectionem verò Enematis

℞. Decoct. carmin. ℥x.
Mell. roſ. ſol.
Anth. a. ℥j.
Elect. Lenit. de mann. ʒx.
Ol. Amygd. dulc.
Rutac. a. ℥js. M.

Dolor remiſit uſque ad veſperam, qua æger iterum uſus eſt enemate jam præſcripto. Vulnus, ut diebus antecedentibus, habuit bene, & tam duræ matri, quàm meditullio cranii caro increvit rubra.

Die ix. Februarii poſt aſſumptam potionem anodynam & laxativam

℞. Ol. Amygd. dulc. ℥iij.
Mann. ſelect. ℥ij.
Aqu. cham. q. ſ. M.

Dolores colici ægrum valdè cruciantes non multum remiſerunt, Patiens enim totam noctem vigiliis conſumſit. Quapropter die x. Februarii inſedit balneo ex aqua dulci parato, & cui incoctus fuit ſacculus ſequens,

℞. Herb. Malv.
Chamom.

Parietar.
Veronic.
Sem. Lini.
Carm.
Furf. tritic. a. Mjs.
Mixta inſuantur ſacculo.

A quo æger bene habuit. Die xi. Februarii æger evomuit magnam bilis copiam, & conqueſtus eſt de dolore præcordiorum: quapropter veſperi uſurpavit clyſterem decimo Januarii præſcriptum, à cujus redditione vomitus in vulneribus capitis valdè noxius, dolorque circa præcordia ceſſavit quidem, æger tamen dormire non potuit, quare ipſi grana quatuor Laudani opiati cum Magiſt. parati in conſerva roſarum exhibui, à quibus ſex horas quietiſſimè dormivit. Vulnus optima carne repletum filamentis carptis & cerato divino tractavi, donec cicatricem acquireret. Die xiv. & xv. Februarii Patiens quoad vulnus bene habuit, ob humoris tamen & bilioſi & pituitoſi in corpore abundantiam ſumſit in vino Abſynthii pulverem purgantem,

℞. Rhab. elect. ℈ij.
Radic. mech. nigr. ℈js.
Crem. Tart. ℈j.
M. F. Pulvis.

A quo ſepties dejecit materiam peccantem. Die xvi. & xvii. Februarii Patiens ſine data venia in publicum prodiit, ipſique aëris ſumma frigiditas dolores colicos induxit, qui uſu balnei ſuperioris citiſſimè ceſſarunt. Die xix. Februarii Patiens, conſolidato vulnere, à frigidi aëris noxa optimè munitus in publicum prodiit, & in eo citra doloris colici recidivam ambulavit.

OBSERVATIO SECUNDA.

Vulnus capitis cum inflammatione pericranii & fiſſura cranii.

ANNO M.DC.xxxviii. die xv. Octobris mandato Domini Conſulis me contuli in ædes JOHANN. JACOBI HECHINGI, civis & ſutoris Ulmani, quem in lecto jacentem & quatuor capitis vulneribus læſum reperi: horum unum fuit in ſyncipite ſiniſtri lateris cum magna pericranii, quod ad putredinem tetendit, inflammatione, & fractura cranii, reliqua autem tria fuerunt ſimplicia. Hæc omnia balneator quidam in Chirurgia parum exercitatus ſtatim curavit, ut vulnera aliàs ſimplicia tractari ſolent. Die xvi. Octobris, vel ſecundo læſionis ob majorem putredinem atque inflammationem pericranii, fiſſuramque cranii de penetratione adhuc dubiam vulnus ſyncipitis ſcalpello in crucis formam (*Tabul. XXVI. Fig. IX.*) dilatavi, ſeparatoque digitis pericranio, medicamentis ſtegnoticis & faſcia *Cancer* dicta obligavi. Tertio die, ſubſiſtente ſanguine, fiſſuram atramento liquido denigravi, & ſcalpris uſque ad ſecundam cranii

laminam derasi. *Tabul. XXVI. Fig. X.* Quarto die rimam adhuc altiùs derasi, nihilominus tamen vestigium atramenti rimæ inducti remansit, quod nullo scalprorum genere delere potui. Interea ægro, ob alvi constipationem & humorum à capite ad pectus defluxionem, præscripsi potionem modò lenientem, ne humores à validiore agitati caput petant.

℞. *Syr. ros. sol. simpl.* ℥ij.
Elect. Lenit. de mann ℥j.
Aqu. cerasor. nigr. q. s.
M. & F. Potio.

A qua septies dejecit materiam biliosam. Quinto die Patiens religato vulnere spiritum cohibuit, & è fissura altissimè derasa promanavit materia quædam serosa, & guttulis aliquot sanguinis permixta. Rebus sic stantibus mihi in memoriam venit aureum Senis nostri effatum *lib. de vuln. cap. text.* 22. Ubi rima altiùs descendit, neque radendo eximi potest, in hoc casu ad sectionem seu perforationem cranii deveniendum est. Inter recentiores Anatomicos & Chirurgos Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, hujusque Præceptor Fallopius sentiunt, sæva Symptomata in tali casu non esse expectanda, quæ Barbitonsores nostri cum miseri Patientis periculo sæpissimè expectant. Fallopius contusiones cranii in exteriore lamina consistentes parvi facit; eam verò, quæ ultra meditullium cranii pervenit, periculo minimè vacare scribit, eò quod ibi colligatur sanies, quæ descendens cerebri membranam erodere possit. Die sexto ob prædictas causas cranium prope fissuram trepano perforavi (*Tabul. XXVI. Fig. VI.*) & foramine per lenticulam lævigato (*Tab. XXVII. Fig. VIII.*) membranæ duræ imposui linteolum ex serico rotundum, oleo rosaceo imbutum filoque alligatum (*Tab. XXVII. Fig. IX.*) foramen globulo ex filamentis aridis parato obturavi, denudato pulverem cephalicum & filamenta arida, labiis digestivum, & desuper Diapalma ac Cataplasma Hippocratis. Vesperi æger meliùs habuit, quàm mane: remisit enim dolor utriusque oculi, de quo in tunica adnata ante perforationem cranii valdè conquestus est. Die septimo æger benè habuit, & nonnisi de tussicula & levissima adhuc circa oculos gravitate. Religato vulnere, & inspecta crassiore cerebri membrana, per foramen modiolis factum tam fœtida prodiit aura, ut præ illa vulnus vix tractare potuerim. Deterso per gossypium vulnere, membrana crassa in superficie erat aliquantulum viscosa & velut pericranium semiputrida. Ob hanc putredinem oleum rosatum non videbatur sufficiens, quapropter medicamentum composui, quæ tali membranæ putredini validè resisteret.

℞. *Syr. de ros. sicc.* ℥ij.
Terebinth. in aqu. Beton. lot ʒj.
Spir. vin. optim. gutt. vj.
M. in form. Linimenti.

Quo linteolum ex serico rotundum imbui, & tepidè matri duræ imposui, cranio pulverem ex radicibus Aristolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ paratum adhibui, labia vulneris digestivo tractavi, & desuper Ceratum Diapalmæ, Cataplasma (quod conficitur

citur ex farina fabarum, hordei, mica panis, vino rubro, & oleo rosaceo) & fasciam Galeno *Cancer* dictam (*Tab XXVII Fig. X.*) applicui. Die octavo æger meliùs habuit, & fœtor ille duræ matris gravissimus aliquantulum remisit. Die decimo æger denuò sumsit potionem medicam, die quarto ordinatam, à qua sex habuit sedes. Die duodecimo crassa cerebri membrana usu linimenti continuato aliquantulum purificata ad rubedinem tetendit. Die decimo tertio benè habuit, & dura mater rubicundior apparuit quàm die præterito: quapropter viscosam illam & semiputridam duræ matris particulam undique separatam volsellæ (*Tabul. IV. Fig. I.*) dentibus arripui, & per foramen cranio incisum extraxi. A die decimo quarto æger usque ad vigesimum benè habuit. Die vigesimo Novembris, vel trigesimo septimo læsionis cranium desquamavit ossiculum, quod, quia ab interna cranii lamina omninò fuit separatum, volsellâ extraxi, vulnusque dein beneficio Gerati divini ad cicatricem duxi. Die vigesimo septimo Novembris, vel quadragesimo læsionis secundo æger pristinæ sanitati restitutus mihi pro habito labore gratias retulit maximas.

OBSERVATIO TERTIA.

Vulnus capitis in musculo temporali cum rima cranii latissima, & duræ matris inflammatione.

ANno 1633. Die 3. Januarii JOHANNES ANWANDER, Ratiarius Kirchdorffensis, ad vesperam acinace quodam acuto vulneratus fuit in sinistro tempore, cum fissura cranii adeò patente, ut ipsi digitum indicem facillimè imponere potuissem. Patiens secundo læsionis die delatus est Ulmam in ædes Chirurgi, *Johannis Georgii Bauleri*, ubi in subsidium vocatus duræ matri inflammatæ statim imposui linteolum sericum oblongum, oleo rosarum calido imbutum, & filo alligatum imposui, cranio cum filamentis aridis pulverem cephalicum adhibui, labia vulneris digestivo tractavi, totumque caput, applicito priùs super locum affectum Cerato Diapalmæ (profuisset etiam linimentum simplex) & cataplasmate idoneo, involvi fascia *Cancer* dicta. Digestivi & Cataplasmatis appositi hæc est descriptio.

℞. *Resin. Tereb. in aqu. ros. lot.* ʒij.
Ol. rosac. ʒj.
Vitell. or. N. j.
M. pro Digestivo.
℞. *Farin. Hord.*
Fabar. a. ℥vj.
Mic. panis domestic ℥iiij.
Pulv. rosar. rubr. ℥ß.
Ol. rosat compl. ℥iij.
Oxym simpl. &
Vini rubr. a. q. s.

Coqu.

Coqu. ad ignem in formam
Cataplasmatis.

Vesperi ad revellendos à capite humores Patiens coactus admisit sequens Enema laxativum:

℞. *Decoct. herbb. emollient.* ℥x.
Flor. cass. rec. extract. ℥j.
Mell. ros. sol. ℥js.
Ol. violat.
Chamom. a. ℥js. *M.*

Tertio die Patienti secta fuit vena mediana sinistri brachii, & emissus sanguis ad ℥v. Victus erat tenuis, panatella scilicet & cremor hordei. Potus fuit aqua hordei Magistralis, cui ad levandam sitim interdum immiscuit cochlearia duo vel tria de sequenti mixtura:

℞. *Syr. acet. citr.*
Granat. acid.
Tinct. ros. a. ℥ij.
M. ad ollam.

Religatum vulnus ob remissiorem duræ matris inflammationem iisdem medicamentis, eademque fascia obligavimus. Quarto die propter amarorem oris, de quo conquestus est æger, præscripsi potionem laxativam

℞. *Syr. ros. sol. simpl.* ℥js.
De mann. laxat. ℥j.
Elect. è succ. ros. ʒij.
Crem. Tart. ℈j.
Aqu. ceras. nigr. q. s.
M. & F. potio.

A cujus haustu Patiens aliquoties dejecit materiam biliosissimam. Quinto die æger melius habuit, & inflammatio meningis omninò cessavit. Sexto die duræ matri linteolum Syrupo de rosis siccis illitum adhibui, & digestivo labiis plagæ applicando mel rosatum addidi, dictisque medicamentis & vulnus & membranam cerebri crassam quotidiè tractavi, donec ambo satis munda apparerent. Die decimo vulnus & membranam reperi pulchram: quapropter omisso linteolo, plagam unguento de Betonica incarnavi, incarnatamque Cerato divino cicatrizavi. Die trigesimo sexto æger conqueri cœpit de pungitivo circa locum affectum dolore, ob squamulam ossis à natura separatam, quam volsellæ dentibus arripui & extraxi. His paucissimis remediis Patiens lethaliter vulneratus brevi temporis spatio absque manuali opera felicissimè restitutus fuit.

OB-

OBSERVATIO QUARTA.

Vulnus capitis os frontis dividens, periculosum, & adhibito trepano curatum.

ANno M. DC. XXVI. Die xi. Octobris GEORGIUS SEIZ, in vico Edelhausen/ annorum quadraginta plus minus, nocturno tempore gladio graviter in capitis anteriori parte vulneratur, qui mox incidit in *Chirurgum* Empiricum, qui pertusionem *seu rimam* cranii non observans, adhibitis *pro more suo* sarcoticis, vulnus externum consolidare nititur. Cùm autem indies graviora fierent symptomata, suasu suorum Ulmam sese confert, & vigesimo Octobris me cum Clarissimo Collega, *Domino Joanne Schulteto*, in Chirurgicis Operationibus exercitato consilii causa vocat. Consideratis ergò circumstantiis, anguem in herba latitare suspicabamur, quam ob causam ei quodammodo dilatato vulnere cranium ipsum per utramque laminam divisum deprehendimus, sub eodem materia purulenta collecta, cujus egressus, expiratione per nares ore clauso, promovebatur. Prognostico facto, trepanum adhibendum esse diximus, quam ob causam, viribus constantibus adhuc, ægrum benè sperare jussimus. Vigesimo primo Octobris, cùm Electuario lenitivo præcedente die vacuatus esset, recta sectione cutim ad rectitudinem fibrarum musculi frontis, vel supercilii potiùs dividendam esse statuimus, ne per crucem, ut aliàs fieri solet, divisione facta, læsis transversim prædicti musculi fibris, palpebra superior postea deprimeretur, quod Anno M. DC. XIV. Die vii. Martii Eisenbachii per lapsum ex alto, musculo hoc contuso, fœminæ cuidam accidisse memini. Factâ itaque sufficienti incisione, cutis *& pericranium* à cranio digitis separabatur, & linteolis rasis, pulvere stegnotico conspersis, & albumine ovi parumper exteriùs humectatis, vulnus ligabatur. Die xxii. sanguine firmiter subsistente, per collegam meum trepanum fuit adhibitum, (*Tabul. XXVII. Fig. VI*) cujus operatione peracta dura mater etiam aliquantulum læsa & inflammata conspiciebatur, sanie tenui per foramen ejus parvum ebulliente. Mox igitur inflammationem alterare, saniemque quotidie detergere conati sumus, non neglectis internis lenitivis evacuationibus reiteratis, tum etiam ordinata victus ratione tenui, qua ratione post elapsas septimanas duas vel tres perfectè restitutus fuit, hactenus in annum tertium pristina sanitate gaudens. *Ex hac igitur Observatione* (quam ex Clarissimi collegæ, *Domini Gregorii Horstii libro posteriori Observationum pag.* 357. huc transferre non dubitavi) *manifestum satis est, non tantùm in principio, sed etiam in progressu morbi trepanum concedi posse, modò Patientis vires adhuc constent.*

OBSERVATIO QUINTA.

Vulnus capitis cum maxima cranii depressione.

ANno M. DC. XXXIV. Mense Aprili, MARTINUS KUNZ, Durcha-Misniensis, à Præfecto militum seu Capitaneo, in dextra occipitis parte, prope sutu-

ræ coronalis & sagittalis concursum vulnus accepit crassa inflictum compede, quæ non tantùm pericranium læderet, sed etiam magnum cranii spatium deprimeret. Hanc cranii depressionem quia Barbitonsor vulgaris ob sanguinis concreti copiam in principio morbi non observavit, vulnus tanti momenti, tanquam simplex, usque ad decimum quartum læsionis diem tractavit. Cùm autem vulneri simpliciter tractato sæva symptomata supervenissent, ego cum Clarissimo collega, Domino *D. Gregorio Horstio* vocatus fui, &, inspecto vulnere, circa suturam coronalem & sagittalem invenimus maximam cranii depressionem, quam, communicatis consiliis, (ob febrem continuam, dolorem capitis & vertiginem) cute scalpello incisâ, & cranio modiolis aperto curandam esse statuimus. Vesperi ob constipationem alvi æger usus est clystere laxativo, simulque refrigerante & humectante. Die XVI ablatâ fasciâ & inspecto vulnere depressionem digito nonnihil tetigi, & æger statim de punctorio dolore conquestus est. Itaque foveam cutis atramento in crucem signavi signatam similiter scalpello recto (*Tab. II. Fig. II.*) incidi, pericranium unguibus ab osse separavi, & vulnus satis dilatatum stupa cannabina & medicamento stegnotico (quod componebatur ex pulvere Galeni adstringente & albumine ovorum agitato) imbuta obligavi. Die XVII. sanguinis fluxu restricto, stupaque remota, invenimus tam magnam cranii depressionem, ut coacti essemus cranium septies modiolis in circumferentia depressionis adhibitis perforare, & foraminum interstitia forfice incisoria (*Tab. XX. Fig. I.*) excidere, ut adhuc videre licet in cranio (*Tabul XXIX. Figur. VIII.*) depicto. Hisce peractis oras cranii asperas undique instrumento lenticulari lævigavi (*Tabul. XXVII. Figur. VIII.*) duræ matri pannum ex serico rotundum, oleoque rosarum calido imbutum, cranio pulverem ex radicibus Aristolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ paratum, ac filamenta arida, labiis filamenta digestivo (ex Resina Terebinthina in aqua plantaginis lota, oleo rosarum & vitello ovi) oblita, ac super hæc Ceratum Diapalmæ imposui, caputque, adhibito priùs parti affectæ cataplasmate (quod constabat ex mica panis domestici, farina hordei & fabarum, floribus rosarum rubrarum, herba bethonicæ, oxymelle simplici, & oleo rosaceo) fascia Galeni *Cancer* dicta convenienter obligavi. Die XXVIII. Patienti missus est sanguis è vena mediana sinistri brachii ad ℥iiij. Victus ratio fuit tenuis, panatella scilicet, & decoctum hordei succo granatorum permixtum. Die XXX. æger propter amaritudinem oris (de qua ferè omnes in capite vulnerati conqueri solent) usus est hoc Syrupo:

(℞. *Syr. rof. sol. simpl.* ℥ij.
Elect. lenit de mann. ℥j.
Sem. citr. ℈js.
Eecoct. flor. & fr. q. s.
M. & F. Potto.)

A quo quinquies dejecit materiam spumosam & biliosam. Die I. Maji æger placidè dormivit, & dura mater circa suturam sagittalem viscosa & semiputrida apparuit, quapropter ipsi linimentum (ex Syrupo de rosis siccis, spiritu vini & Terebinthina confectum) panno serico inductum imposui, & vulnus reliquis remediis tractavi. Die II. æger valdè sitibundus hausit sequentem Julepum:

℞. *Syr. acetos. citr.* ℥ij.
Aceto sell.
Oxysacch. simpl. a. ℥ß.
Aqu. ceras. nigr.
Fragar.
Borrag. a. ℥ij. *M.*

Die III. cohibito naribus occlusis spiritu, ex vulnere materia biliosa copiosè dimanabat, &, deterso vulnere, frustulum ossis nigrum prope suturam lambdoidem in conspectum venit. Die IV. ægri sitis fuit remissior, & frustulum ossis à cranio separatum volsellâ extraxi. Die V. vulnus propter ossis fœtorem lavi decocto divino. Die VI. fœtor ossis remisit, &, ad majorem vulneris exiccationem, labiis ejus digestivum sequens adhibui:

℞. *Tereb. lot. in aqu. scord.* ℨij.
Pulv. myrrh.
Rad. aristol. rotund.
Irid. Flor. a. ℈j.
Mell. rof. col. q. s.
M. in form. linimenti.

Die VII. æger benè habuit, at, cùm ipsi alvus non esset satis lubrica, usus est Enemate,

℞. *Decoct. commun.* ℥viij.
Elect. diacath. ℥j.
Ol. violat.
Chamom. a. ℥js. *M.*

A quo ter dejecit. Die VIII. æger placidè dormivit. Die IX. dura mater fuit rubicundissima, ex qua, dum ipsam gossipio abstersi, aliquot sanguinis guttulæ effluxerunt. A die X. usque ad XIV. benè habuit. Die XV. æger ob constipationem alvi deglutivit aliquot bolos ex *Electuarii lenitivi de mann.* ℥j. formatos & sufficiente quantitate sacchari conspersos, à quibus quater dejecit. Die XX. & membranæ cerebri crassæ, & interstitio laminarum cranii caro increvit rubra. Die XXIV. benè habuit, at, pro majore capitis roboratione, cataplasmati superiùs descripto vinum rubrum, & de furfuribus tritici parum addidi. Die XXX. facta est magna desquamatio cranii, & vulneri carne solida repleto ceratum divinum apposui, ad cicatricem comparandam. Die X. Junii vulnus cicatrice fuit obtectum, & XI. Patiens in publicum prodire cœpit. Die XX. pristinæ sanitati restitutus munus suum militare cum laude iterum obit.

OBSERVATIO SEXTA.

Vulnus capitis aliud cum introcessione cranii permagna.

ANno M.DC.XXXVI. Die xviii. Novembris, Hora ix. ante Meridiem, *Rusticus quidam Idelhusanus*, temperamenti calidi & humidi, circa trigesimum secundum ætatis annum, à quodam fabro ferrario, nescio ob quas lites de finibus agrorum habitas, coram judice & arbitro marra inversa in dextram syncipitis partem adeò percussus fuit, ut non tantùm retrò in terram caderet, & sanguinem ex naribus stillaret, verùm etiam ibi instar mortui sine sensu & motu jaceret. Horâ x. adhuc antemeridianâ vulnerati conjux vocavit Ulmæ Chirurgum quendam, qui cùm juvenis adhuc esset, & in Chirurgia nondum satis exercitatus, monstratum capitis vulnus (quod ob causæ violentiam statim sui dilatationem requisivisset) tanquam simplex solo pulvere Galeni adstringente, & albuminibus ovorum agitatis obligavit. Die xix. Novembris, horâ quartâ post meridiem lecticâ delatus est Ulmam, & circa septimam vocatus inveni ipsum insigni capitis dolore, febre, animi deliquio & oculi dextri tumore affectum. Quare ipsi aquam præscripsi corroborantem:

℞. *Aqu. ceras. nigr.* ℥ij.
Acetos.
Borrag. a. ℥is.
Spir. ceph. Anhalt. ℈j.
Marg. ppt.
Corall. rubr. ppt. a. ℈j.
Lapid. chrys. ppt. ℈ß:
Man. christ. f. ℥ß. *M.*

De qua sæpiùs cochlear unum & alterum assumsit. Ob sitim & nauseam vesperi usus est dimidia parte hujus Julepi refrigerantis,

℞. *Syr. è succ. violar.* ℥js.
Tinctur. ros. c. Julep.
Vin. granator. a. ℥iiij.
Aqu. endiv. ℥ij.
M. pro duab. dosibus.

Die xx. Novembris, horâ x. ante meridiem æger conquestus est de maximo capitis dolore: ego verò, solutâ fasciâ, detecto & inspecto vulnere, globosa specilli parte vulneris latitudinem & profunditatem diligentissimè exploravi, & cranium valdè depressum deprehendi. Quapropter eadem hora vulnus spata Celsi (*Tab. II. Fig. I.*) in formam crucis dilatavi, & membranâ unguibus à cranio diductâ, ad sistendum sanguinis fluxum & vulnus apertum conservandum, apposui stupam cannabinam, subacto ovi candido madefactam, & pulvere Galeni stegnotico conspersam: ad prohibendam inflammationem totum caput & collum oleo rosato calidè inunxi, spleniumque quadruplicatum

catum in vino rubro & calefacto expressum, & partibus vulneri vicinis applicitum fascia (*Tab. XXVII. Fig. X.*) superligavi. Vesperi Patiens bibit alteram Julepi refrigerantis partem, ususque in cæna pro potu aqua hordei, & pro cibo panatella. Die xxi. horâ iterum decimâ ante meridiem, sanguine suppresso, fasciam solvi, & remotis removendis vulnus inspexi, & inveni non tantùm in osse syncipitis depressionem (quæ latitudinem unius pollicis transversi à sutura coronali, duorum verò transversorum à sagittali distabat) verùm etiam duarum rimarum vi contusionis subortam dispersionem, quarum anterior à depressione modò dicta per suturam coronalem ad dextrum oculum, posterior verò ad sinistram aurem protendit. Rebus ita confusis, ossi pulverem radicum Aristolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ cum filamentis aridis adhibui, vulneri unguentum digerens apposui, ac desuper Ceratum Diapalma, & propter insignem oculi dextri tumorem sequens cataplasma applicui.

℞. *Farin. Hord.*
Fabar. a. ℥ij.
Mic. pan. domest. ℥ijs.
Pulv. ros. rubr.
Bethonic. a. ℥vj.
Ol. rosat. ℥iij.
Oxymell. simpl. q. s. M.

Æger eodem mane, duabus scilicet horis ante prandium, assumsit bolos aliquot lenitivos, ex ℥j. electuarii lenitivi, & f. q. sacchari albissimi formatos. Die xxiii. ob majorem capitis inflammationem, dolorem, vertiginem & tumorem dextri oculi coactus fui cranium depressum prope suturam coronalem & sagittalem modiolis trepani perforare. Perforato cranio & foraminis asperitatibus per instrumentum lenticulatum derasis, os depressum vecte submisso reduxi, duræ matri particulam serici oleo rosato imbutam filoque annexam imposui, ossi pulverem cephalicum inspersi, filamentaque arida adhibui, reliquo vulneri filamenta digestivo oblita applicui, hisque omnibus Ceratum Diapalma & Cataplasma superligavi, non neglectis colli & partium vulneri vicinarum inunctionibus factis ex oleo rosarum calido. Vesperi æger meliùs habuit, quàm tempore matutino ante cranii perforationem & iterum usus est suo Julepo refrigerante. Die xxiv. horâ decimâ ante meridiem Patienti (qui multo meliùs habuit, quàm diebus præteritis) revulsionis & refrigerationis gratia incisa fuit vena mediana dextri brachii, & emissus sanguis ad ℥iiij. Die xxv. lenito dolore, æger, ob constipationem alvi in vulneribus capitis valdè noxiam, exhausit potionem sequentem, quæ omnis ferè caloris expers est:

℞. *Elect. lenit. Flor.* ℥j.
Syr. ros. sol. f. ℥ij.
Aqu. ceras. nigr. q. s.
M. & F. Potio.

Vulnus detectum & oculus dexter mihi optimè placuit. Æger ad vesperam resumpsit dosin julepi sui refrigerantis. Die xxvi. Patiens dixit se per totam noctem quietissimè dormivisse, nullumqne aut capitis, aut oculi dextri dolorem percepisse. Die xxvii. iterum placidè dormivit, & plane nullam circa vulnus molestiam sensit. Religato vulnere, ex dura cerebri membrana guttulæ aliquot serosæ materiæ effluxerunt. Ad majorem igitur membranæ crassæ exiccationem, ipsi linimentum ex Syrupo de rosis siccis, terebinthina & spiritu vini paratum, & linteolo serico inductum apposui. Ad majus etiam capitis robur, cataplasmati vinum rubrum & austerum, loco oxymellis simplicis immiscui. Die xxviii. licet æger tam bene habuerit, quam die præterito, ego tamen crassam cerebri membranam ex contusione superficialiter denigratam conspexi. Die xxix. ob alvi constipationem Patiens assumpsit iterum potiunculam suam laxativam, à qua tres habuit sedes. Membrana verò à linimenti modo propositi usu ad suppurationem tetendit, atque post detersionem maculæ illius nigræ gossypio tentatam, & aliqualem sanguinis profusionem rubra apparuit. Die xxx. æger iterum benè habuit, sed circa frontem & musculum temporalem conquestus est de dolore quodam pulsatorio. Die ii. Decembris dolor iste sponte cessavit, ægerq; dixit, se ratione virium absque baculo ambulare posse. Pus duræ matris, quod eo die per foramen modiolis factum effluxit, fuit album & bene coctum. Loco linimenti & digestivi, membranæ crassæ & labiis plagę adhibui unguentum de betonica cerato citrino permixtum. Die iii. & iv. æger bene habuit, & ego separatam duræ matris particulam volsellæ dentibus extraxi, eademq; remedia duræ matri & vulneri, quæ die præterito, imposui. Die v. dura mater carne rubra undique fuit obtecta, quod optimum signum est Celso, qui l. 8. scribit: *ubi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana caro increscere.* Die vii. ad majorem duræ matris exiccationem, ipsi apposui ceratum divinum. Die viii. ix. & x. æger bene habuit, Die xi. nihil dormivit, Die xii. conquestus est de dolore capitis, & die xiii. parum dormivit. Die xvi. specillo nonnihil incurvato inter primam & secundam sive internam & externam cranii Tabulam perveni, & ossis particulam, quæ citra dubium doloris & vigiliarum causa fuit, instrumento lenticulato separavi, & separatam volsellæ beneficio exemi. Die xviii. aliud ossiculum, quod natura circa frontem separavit, ἀκανθαβόλῳ extraxi. Die xix xx xxi. & xxii. æger bene habuit, sed xxiii. conquestus est de dolore capitis gravativo, propter quem assumpsit supra descriptam potionem laxativam, à qua quinquies dejecit. Post prandium aquam frigidam copiosè bibit, & propterea de ventriculi dolore conqueri cœpit. Die xxv seu Nativitatis Christi, æger carnibus multis vescebatur, unde novus ad plagam humorum affluxus oriebatur, calor totius febrilis sentiebatur, & caro in vulnere nigra apparebat. Quapropter ipsi carnium esus fuit prohibitus, & sola panatella ad prandium & cœnam fuit concessa. Purgato leniter corpore, & observata victus tenuis ratione, excrescentiam carnis nigram alumine usto consumsi, & spatio quinque dierum æger melius habuit. Mense Januarii vulnus cerato divino ad cicatricem duxi, & dictis remediis ægrum pristinæ sanitati restitui.

OB-

OBSERVATIO SEPTIMA.

Contusio capitis, ob intermissum trepani usum, centesimo die mortem inferens.

RUsticus, vir robustissimus, nunquam per dies vitæ infirmus, quadragenarius, ab aliis pugnis exceptus, & valide in nudo capite percussus fuit, crebrasque ac vehementes ictus sustinuit: factum hoc est die xi. Novembris, Anno M.DC.XXX. Æger non magni æstimavit hoc, & per aliquot dies subsequentes consueta munia obiit, quamvis dolores non parvos ex percussione senserit. xviii. ejusdem mensis die magis infirmari, majoresque dolores persentire cœpit. Maxillæ inferioris motus difficilis accessit, ita ut vix os aperire, cibosque ingerere, tandem etiam os claudere, sine subsidio manus, maxillam comprimentis, non amplius potuerit. Barbitonsor Villanus tunc vocatus capitis plagas, nescio quibus remediis, curare cœpit. Cum autem omnia ingravescerent, Chirurgus quidam exercitatus, post quatriduum, nempe vigesimo secundo ejusdem mensis, ex vicino oppido accersitus, qui caput subtumidum ab ecchymosi reperit. Is variis externis adhibitis discutientibus tumores repressit quidem, ast dolores non submovit, qui totum caput & nucham etiam indies magis occupare cœperunt, & ita invaluerunt, ut nec caput movere, nec oculos attollere posset; accesserunt vertigines, pervigiliæ, levia deliria, membrorum debilitates, ita ut pedibus vix stare, minus ambulare, interdum etiam brachia sustollere non potuerit. Medicus tandem vocatus septimo die mensis Decembris adfuit, qui ex lecto adductum & scamno insidentem ipsum conspexit, torvum vultum exhibentem, ita ut non parum terreretur, & vel convulsiones, vel alia graviora ac periculosiora accidentia jam jam imminentia metueret. In habita signorum & symptomatum exploratione caput etiam, ut, qua parte magis doleret, scire posset, manibus contrectando perquisivit, & in posteriore ac suprema parte mollitiem quandam digitis cedentem, & ad cujus compressionem cavitas conspicua in cute manserat, deprehendit, adeoque sanguinis sub cute musculosa jam concreti & putrescentis effusionem, & congestionem animadvertit, quem per cutis incisionem, ne cranii os ab eo corrumpatur, vel pericranium inflammetur, vel supra enumerata accidentia intendantur, & tandem necem adferant, evacuandum judicavit. Factum hoc à Chirurgo præsente, & crucis in modum cutis novacula aperta fuit, & incisio facta usque ad pericranium: & effluxit sanguis nigricans, concretus & serosus. Ab apertione hac symptomata illa utcunque mitigata sunt, & capitis dolores magna ex parte remiserunt. De hac re alii, præsertim ii qui damnum ægro intulerunt, male judicare cœperunt, ac si ista incisio non necessaria, sed frustanea, majorq; noxa capiti illata fuisset. Inde motus præsens Medicus, qui ex symptomatum pravitate non parvum periculum imminere censuit, & insuper in istam suspicionem venit, ac cranium rimulam ex ictibus contraxerit (nondum enim tunc ipsi certum esse potuerat, an arma vel fustes præter pugnos adhibita fuissent,) vel sanguis sub cute collectus putrescens cranium inficere cœperit, vel obortâ inflammatione

matione in externa parte, suturæ sagittali vicina, portio saniosi humoris per suturam intus decesserit, vel venulæ quædam, quæ in cerebrum vel ejus membranas contingunt, disruptæ sint, à quibus sanguis effluens, inque saniem conversus symptomata illa excitaverit; propterea que, ut etiam pericranium à cranio revelleretur, imò etiam cranii perforatio, si Symptomata non recessissent, institueretur, suasit, alium etiam Medicum in Chirurgicis Operationibus exercitatissimum adesse voluit, qui vocatus, cùm omnes circumstantias probè examinasset, cum illo planè consensit, &, ut pro abundantiori cautela pericranium solveretur, consuluit, alioquin certam securitatem nunquam promitti posse, quod rationibus & exemplis confirmavit; sed in hanc rem Medicus tertius & Chirurgus, qui ab adversa parte huc submissi erant, consentire noluerunt: eò quod graviora symptomata nulla ampliùs adessent, nec signa læsi cranii ulla apparerent, hinc ab omni periculo immunem esse pronuntiarunt, quapropter ut vulnus, quod per aliquot dies adhuc apertum servari possit, iterum consolidetur, suaserunt: reliqui ne viderentur non necessarias afflictiones superaddere velle, consenserunt. Factum ergò ut vulnus consolidatum. Ab hoc autem tempore denuò affligi cœpit ingentibus doloribus totius capitis, maximè ejus partis intimæ, qua incisio facta fuit, de quibus etiamnum conqueritur per dies noctesque, accedunt iterum vertigines & magnæ membrorum debilitates, noctes totas insomnes ducit, cibos fastidit, horrores & frigus partium inferiorum, superiorum autem æstus continuos sustinet. Die v. Februarii defluxionem gravem sensit per sinistram capitis partem, ac si aqua calida perfunderetur, humoribus per fauces delabentibus, & in pectus irruentibus, ubi insignem gravitatem, qua se suffocatum iri putabat, induxerunt, sed post paucas horas iterum discussi sunt. Medicus præsens denuò vulnus aperiendum & dilatandum existimavit: alter autem in id consentire noluit, sed omni periculo vacare pronunciavit. Infirmior autem quotidie fit æger, corporeque suo indies consumitur & moritur. Duplex hinc oritur quæstio. I. An apertio vel incisio cutis in capite à præsente Chirurgo instituta necessaria fuerit? II. An percussiones in capite factæ periculum & ipsam necem afferre potuerint? Ad primam quæstionem respondetur, quod non solùm à Chirurgo tentata cutis in capite incisio, verùm etiam proposita ipsius pericranii dissectio, & cranii per modiolos perforatio, summè fuisset necessaria ob symptomatum urgentium præsentiam, quæ aliquam sub cranio noxam indicarunt. Ad secundam, quod contusiones capitis, cùm vel sine rima cranii nunquam spernendæ, etiam post centesimum læsionis diem ipsam mortem inferre possint, præsertim verò tunc, quando cranium fractum ad expurgandam illam materiam, quæ paulatim per rimam ad cerebrum vel membranam ejus crassam descendit, modiolis non aperitur. Hunc casum ipsique annexas quæstiones mihi proposuit Clarissimus Dominus *D. Jacobus Eggoldus*, *Physicus Memmingensis*. Responsionem meam confirmabunt quatuor sequentes Observationes, quarum duas priores, ut communicatas, hîc inserere visum fuit.

(o)

OBSERVATIO OCTAVA.

Contusio capitis nona septimana ex improviso necem inducens.

ANNO M.DC.XXXVI. Mense Decembri, ex Clarissimi Domini mei collegæ, *Johannis Georgij Gockeli*, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ac Reipublicæ Ulmensis Physici ordinarii, fidelissima relatione accepi, funestissimi nostri Teutonici belli occasione (in quo utrinque fortissimi sanguinis flumina effusa piorum promeritis lachrymis ansam dederunt) Cæsarianum quendam militem, Austriacum, in excursionibus illis & imaginaria quadam pugna, in qua ad gladiolos usque ventum erat, à Suecico quodam equite, cestra, duobus repetitis ictibus, in capitis occipite ita mulctatum fuisse, ut expugnatus, humique prostratus, captivus in adversariorum suorum manus pervenerit, & receptui dato signo, cum aliis commilitonibus semimortuus in xenodochium Ulmense delatus fuerit.

Hos ergò omnes Medicis, Amplissimi Senatus nostri in ægros benignitate constitutis (ex quorum numero D. *D. Gockelius* alter aderat) & Chirurgo suo traditos, alimentis necessariis enutritos, internis & externis medicamentis ex arte ita tractatos fuisse, ut plures illorum ad suos incolumes salvique pervenerint, hunc nostrum attamen (sed sine cruento vulnere, absque ulla cranii aut fissura, aut evidenti quadam depressione) percussum, elapsis circiter novem septimanis, cùm & expeditè loqui & ingredi valeret, nullosque ampliùs ex contusione dolores sentiret, & recreandi animi gratia sæpiuscule obambulando, genio suo indulgeret, de abitu, vel tandem etiam in patriam cogitare cœpisse; verùm dum proxima quavis data occasione certo sibi navigio discessum decreverit, noctu salvus, ut quidem omnibus videbatur, somnum atque quietem capiens, subitò in ipso sopore extinctum & mortuum esse.

Ne ergò omninò insperati hujus ex vita discessus causa lateret, præfatum Dominum meum collegam à Nobilissimis xenodochii Ulmani Præfectis petiisse, ut apertâ per Chirurgum calvariâ, ponderatis matribus, & inspectâ ipsâ cerebri substantiâ, liberam ipsi indulgentiam & potestatem concederent, in fundamenta ulteriùs inquirere & totam quasi rem ab ovo, ut dicunt, repetere: Dominis Præfectis lubentissimè annuentibus, se cruciformi cutis incisione, pericranii ab osse separatione, & ipsius cranii, juxta usitatum modum, serra in orbem facta dissectione, partiumque omnium diligentissima inspectione & consideratione ne minimam in cranio rimulam, nec ullum etiam levissimæ depressionis vestigium animadvertere potuisse, verum in percussæ partis subjecta cerebri substantia, non secùs ac in putridis pomis usuvenire solet, ad digiti crassitiem, enormem & ad ventriculos ferè anteriores penetrantem putredinem, & aliqualem piæ matris corruptionem invenisse; reliqua autem cuncta omninò illæsa apparuisse.

Communicatis super hunc casum opinionibus, de externa causa & violenta percussione dubitare nullo modo potuimus, cùm illa & morbum & necem militi huic intulerit: sed hoc nobis scrupulum injecit, & admirationi justæ fuit. I. Quod lædens illa vis non proximas potiùs, sed interiores magis partes percutiendo læserit; quamvis experien-

rientia plura talia observârit exempla. II. Quomodo in cerebro temperati illi & pellucidi animales spiritus tam graviter turbari possint, ut & ipsi, in momento quasi, cerebri siderationem admittant, partibus exterioribus salvis. Et III. Quare putredo illa insignis in ipso cerebro suborta & piæ matri communicata nullos unquam partium internarum dolores, nullamque vel externorum, vel internorum sensuum depravationem induxerit, sed ex improviso omnem sentiendi facultatem cum ipsa vita abstulerit. *Hac igitur Observatione Chirurgi notent, ut nullas capitis percussiones, etiamsi partes cerebrum continentes illæsas invenerint, leves judicent, nec percussis unquam indubitatam salutem promittant, nullosque iis, in diæta præsertim, erroris concedant, sed eos potius arte cautè & prudente diffidentia ita tractent, quo sacræ nostræ artis vera lumina existant.*

OBSERVATIO NONA.

Introcessio cranii & punctura duræ matris, quæ ob denegatum instrumentorum apparatum interemit ægrum.

PRæfatus modò Dn. *D. Gockelius* mihi narravit. Dum Anno M. DC. XXXIII. Februarii ad Physicatum Biberacensem vocaretur, & ob bellicos ibidem tumultus spem inter & metum versaretur, quod paganus quidam ab invadente hoste, ob spem prædæ, in privatis suis ædibus direptus, & ensis manubrio, sed sine cruento vulnere, ad verticem ita percussus fuerit, ut calvariæ os, ad instar foveæ, insigniter depressum duram cum pia matrem vellicârit, atque febrem cum mentis abalienatione induxerit. Medicus iste salariatus ad ægrum vocatus, dato Pharmaco laxativo, adhibitâ venæsectione in brachio, & præscriptis alterantibus, febrem cum symptomatibus emollire tentavit, ac insuper omnem lapidem movit, quo communibus & præsentibus instrumentis depressionem elevaret, attolleretque & ad statum naturalem reduceret, at omnia frustrà. Nam ob trepani defectum, quod aliunde propter viarum insecuritatem tam citò afferri non potuit, innocentissimus ille vir altero mane vitam cum morte commutavit, adeò ut defectus necessariorum, supraque depictorum & descriptorum instrumentorum, & debitæ manualis operationis denegata administratio salutis spem huic ademerit. *Hic notandum, si prima læsionis die cutis in crucem fuisset incisa (Tabul. XXVI. Fig. IX.) &, consistente sanguine, eodem adhuc die cranium modiolis perforatum (Tabul. XXVII. Fig. VI.) ut ossiculum membranas cerebri deprimens erigi, & easdem pungens eximi potuisset, æger forsan mortuus non esset.*

OB-

OBSERVATIO DECIMA.

Vertigo cujusdam oviculæ ex abscessu cerebri proveniens.

ANno M. DC. XXXIV. Die XXIV. Decembris, cùm essem in tonstrina Chirurgi *Nicolai* Reutten/is mentionem fecit suarum ovicularum, quarum una laboravit vertigine, Germani Wirbling appellata. Hoc malum, dixit pecoris Magister, pulchrioribus ferè oviculis esse commune, ipsasque, toto cerebro in aquam converso, tandem subitanea morte perire. Chirurgus igitur prædictus oviculam vertigine & longa circumgyratione debilitatam mactari jussit, mactatæque caput in ædes meas misit, ut illud aperirem, & in veram hujus symptomatis causam diligenter inquirerem. Unde detectas meninges cerebri substantiam, ejusque anteriores ventriculos perlustrans, ne guttulam aquæ reperi. Hinc tertium & quartum cerebri ventriculum inspexi, in quibus pariter nullum aquæ vestigium invenire licuit, sed tertius concreto sanguine repletus comparuit. Postea olfactus organa manubrio scalpelli anatomici osseo elevavi, & in sinistro latere inter cerebrum nempe & piam ejus matrem inveni abscessum, instar vesicæ piscium, aqua limpidissima repletum, propeque oculum sinistrum substantiam cerebri subnigram. Ego miratus fui, cùm in hoc malo ipsissimum cerebrum afficeretur, cur ovicula non potiùs convulsionibus aut paralysi, quàm vertigine laboraret.

Anno M. DC. XLV. Die XXV. Januarii una ex meis oviculis simili vertigine interiit. Quare caput ejus secui, &, ablato cranio, substantiam cerebri cum omnibus suis integumentis examinavi, statimque in sinistro, occipitis quasi, latere sub dura matre folliculum, instar piscium vesicæ, crassum, aquaque & vermiculis, quales in caseis generantur, repletum; incipiebat enim ad fundum putrescere. Hic autem tumor tunicatus magnitudine ovum gallinæ superans in cerebri substantiam ita se insinuavit, ut tertium ejus ventriculum nonnihil comprimeret. Hæc ovicula, opilione teste, tota sui interitus die in dextram sese partem circumgyravit.

OBSERVATIO UNDECIMA.

Contusio capitis curata, cui successit vertigo & apoplexia.

QUod accidit superioribus oviculis, quarum caput aperui, illud etiam hominibus evenire potest. Observavi namque cum Barbitonsore *Joanne* Burrauß/ & Chirurgo, *Georgio* Riedlin similem affectum in Maria Schwartzmännin/ Michaëlis filia, quæ post contusionem syncipitis à me curatam per integrum annum de sola vertigine gravissimas querelas habuit, remediisque frustrà usurpatis, ad cœnam aliquando sedens apoplexiâ fortissimâ subitò obiit. Hujus parentes à me petierunt, ut cranium aperirem, ad removendam, vel confirmandam illam veneni suspicionem, quam ex certo quodam facto conceperant. Apertâ igitur calvariâ, inspectoque

 cere-

cerebro, in ſiniſtro latere tumorem, quoad folliculum & materiam contentam ſuperio-
rum duorum poſtremo non abſimilem, qui magnitudinem ovi gallinæ mediocris ad-
æquans, tertium cerebri ventriculum ex parte compreſſit. Quærentibus, quænam hu-
jus tumoris tunicati cauſa extiterit, reſpondi, nec forſan adeò malè, quod cerebrum ea
parte vehementer percuſſum debilitatem quandam contraxerit, propter quam af-
fluens alimentum non in cerebri, ſed modò deſcripti tumoris ſubſtantiam fuit conver-
ſum. *Ex his iterum ſatis patet, nullas capitis percuſſiones eſſe contemnendas, ſed omnes magni faciendas, quoniam nullus tam perſpicaci ingenio præditus eſt, quin illud aliquando partium internarum ad interitum diſpoſitio effugiat.*

OBSERVATIO DUODECIMA.

Vulnus capitis cum depreſſione & fiſſura cranii, ac læſione membranarum cerebri.

ANno M. DC. XXXV. MICHAEL SCHNEIDER miles Ulmenſis, & præſi-
diarius Elchingenſis à milite Cæſariano in vertice & occipite acinace vulneratus
fuit. Vulnus occipitis erat ſimplex, vertici verò inflictum comitabatur non ſolùm de-
preſſio & fiſſura cranii, verùm etiam læſio membranæ cerebri craſſæ & falcis, quæ ra-
mos arteriæ carotidis & venæ jugularis admittit. Hæc duo vulnera Barbitonſor qui-
dam ſatis imperitus more ſuo ſimpliciter tractavit, & per primam intentionem curavit.
Quid fit, miſerrimus abhinc Patiens atrociſſimos ſuſtinuit dolores, quos ſecuta eſt pri-
mò phrenitis, ſecundò convulſiones totius, & tandem apoplexia. His ita ſe habentibus,
ſextâ poſt læſionis horam ſeptimanâ, veſpertino tempore, ab ægri conjuge adhuc vi-
vente in conſilium vocatus ægrum apoplexiâ correptum inveni, cujus cauſa fuit obſtru-
ctio nervorum dependens à copioſo pure, quod per vulnus expurgari debuiſſet. Imò
tanta erat puris nigri & fœtidi copia, ut etiam per nares & palatum exitum quæſierit, &
illum inveniens apoplexiam ſolverit, & mihi certiſſimam oſſis fiſſuram læſionemque
partium internarum ſignificarit. Locum verticis intempeſtivè conſolidatum digito
tangens inveni maximam foveam, quæ depreſſionem cranii evidentiſſimè ſignificat.
Facto prognoſtico ægrum in maximo verſari periculo, clyſterem laxativum injeci, eo-
que rejecto venam cephalicam aperiri curavi. Secundo die verticis cutem & pericra-
nium in formam crucis ſcalpello (*Tabul II. Fig. I.*) incidi, pericranium digitis ab oſſe
vehementer depreſſo & multoties fiſſo diduxi, vulnusque filamentis medicamento ſte-
gnotico imbutis dilatavi, ut in peragendis operationibus in hoc affectu maximè neceſ-
ſariis ſatis hiaret. Tertio die, ſanguine firmiter ſubſiſtente, cranium in depreſſionis cir-
cumferentia quinquies trepano Aquapendentis perforavi, & per unumquodque fora-
men linteolum ſericum & oleo roſaceo imbutum ad duram matrem demiſi, oſſi pul-
verem cephalicum inſperſi, vulnerisque labia digeſtivo, cerato Diapalmæ, linteo tripli-
ci vino auſtero calido expreſſo & faſcia commoda obtexi. Die quinto, mane, omnium
foraminum interſtitia ſerrulâ meâ verſatili (*Tab. XXVIII, Fig. VIII.*) intercidi, cranium
depreſſum

depreſſum (ſed dicta ratione per ſerrulam meam ab integro & ſano liberatum, cujus in-
terior lamina ad diploidem uſque corrupta fuit) volſellæ dentibus exemi, eminentias-
que cranii acutas, ne internas partes pungerent, ſubmiſſo priùs membranæ cuſtode
(*Tab. XXIX. Fig. VII.*) forcipibus commodis (*Tabul. XXIX Fig. IV. V. VI. & VIII.*) ab-
rupi. Hoc facto, cerebrum inſtrumento decuſſorio (*Tab. XXVIII. Fig. I.*) modicè de-
preſſi, & materia purulenta per datam viam in maxima copia effluxit. Meningi deinde
craſſæ (cujus falx transverſim inciſa continuò ſtillabat ſanguinem) & tenui linteolum
magno foramini reſpondens & unguento, quod Hieronymus Fabricius ab Aquapend.
l. 2. de vulneribus c. 22. deſcribit, imbutum appoſui, oſſi pulverem & filamenta ſicca,
labiis digeſtivum, & deſuper ceratum Diapalmæ, cataplaſma Hippocratis, & faſciam
Galeno *Cancer* dictam. Veſperi Patiens meliùs habuit, & materia purulenta per nares
& palatum expurgari deſiit. Die ſexto detectam membranam ejusque falcem iterum
inſpexi, & deprehendi ſanguinis profluvium, quod ob vaſis profundiorem ſitum com-
peſci non potuit: vaſa namque inciſa immediatum adſtringentium & conſolidantium
contactum & aliqualem compreſſionem requirunt: quorum utrumque hîc non fuit
conceſſum, ob novum hæmorrhagiæ & apoplexiæ metum. Quapropter ægri conſan-
guineis & conjugi indicavi, ipſum citra vitæ periculum integrè ſanari non poſſe, quia
vulnere verticis ad cicatricem ducto, ſanguis, quem falx inciſa ſtillat, iterum in pus mu-
tatur, & exitum per ſuperiora non inveniens prædicta ſymptomata excitare, & ipſam
mortem inferre poteſt. Præmiſsâ hac prædictione, membranam cerebri duram, cra-
nium & labia vulneris more ſolito tractavi, & vulnus tandem inſtar fonticuli, in ſuturæ
coronalis & ſagittalis concurſu inuſti, apertum detinui, per quod materia, quam falx
læſa ſuppeditabat, ſenſim quoque & paulatim exivit, & inde Patiens ſuo iterum functus
eſt officio militari per dimidium anni ſpatium. Hic vino optimè inebriatus ulcuscu-
lum verticis neglexit, quod ſpatio viginti quatuor horarum conſolidatum ne guttulam
ampliùs materiæ dedit. Symptomatibus, longè antea prævisis, non ſtatim occurrenti-
bus, æger cum ſua conjuge de ſanitate tutiſſima planè non dubitavit, donec poſt trime-
ſtre iisdem ſymptomatibus correptus ſubitò obierit. Poſt obitum ægri, ſi cranium ſerrâ
aperuiſſem, (ſed mihi conceſſum non fuit) citra dubium materiam ſub cranio inveniſ-
ſem. Ex hac hiſtoria luculenter patet, perforationem cranii non primis ſaltem diebus,
verùm etiam non raro longè poſt læſionis tempus ſummo cum fructu inſtitui poſſe.
Conſtabit etiam ex ſequente, ſymptomata prava quandoque comparere ſtatim, quan-
doque poſt centeſimum diem, quæ, ſi cranium à principio, veluti ſupra (*Tabul. XXIX. Paragrapho V.*) monui, fuiſſet apertum, nunquam omni procul dubio ægros cor-
ripuiſſent.

OBSERVATIO DECIMA TERTIA.

Vulnus capitis vigeſima nona ſeptimana per trepanum curatum.

ANno M. DC. XXIX. Menſe Septembris, Mediolani, agnatus Domini *Nicolai*
Tiſchlers / Magiſtri equitum, in ſyncipite accepit vulnus, quod Chirurgus loci

ob symptomatum absentiam, intra quatuordecim dies, per primam intentionem curavit. Anno M. DC. XXX. Mense Martio curatus venit Ulmam, de summo totius capitis dolore, vertigine, oculorum caligine & paralysi dextri brachii conquerens. Huic ego in ædibus Nicolai Reutten/ ob magnam fissuræ cranii suspicionem, post vigesimam à læsione septimanam, syncipitis cutim & pericranium scalpello in triangulum incidi, vulnusque separato ab osse pericranio, impositis filamentis stegnotico imbutis sufficienter dilatavi. Die XIII. Martii, subsistente sanguinis fluxu, cranium fissum reperi, & illud ad latus rimæ angustissimæ bis trepano perforavi, & utriusque foraminis interstitium serrula mea versatili excidi. Evacuata materia, quæ paulatim per rimam cranii supra duram cerebri matrem descendit, dicta symptomata cesserunt, & æger mensis spatio unius, sub mea cura, pristinæ sanitati felicissimè fuit restitutus.

OBSERVATIO DECIMA QUARTA.

Rima & depressio laminæ cranii internæ, exteriore salva.

ANNO M. DC. XXVI. Mense Julio, Nobilissimis inclytæ Reipublicæ Ulmensis Duumviris scripto retuli, quod BARTHOLOMÆUM Schäffer militem Cæsarianum, à rusticis Altenstattensibus in capite læsum visitare volens, jam mortuum invenerim, &, præsentibus multis in causam mortis, quam vigesimo læsionis die oppetiit, diligentissimè inquisiverim, cujus solitaria fuit vulnus in occipitis, circa suturam lamdiformem, dextra parte, cum rima & depressione solius laminæ cranii internæ, quæ cerebrum continuo compressit, à Barbitonsoribus Geislingensibus simpliciter curatum. Cum autem, in hac cranii noxa, purulenta materia (quæ per rimam laminæ internæ occultam, exterior enim erat salva & integra, ad cerebrum delapsa est) absq; chirurgiæ neglectæ auxilio non potuerit expurgari, multo minus interior cranii lamina, cerebrum continuo deprimens, absque idoneis instrumentis elevari, ortus est abscessus sub calvaria, qui, introducta prius febre & phrenitide, rupti dextrum cerebri ventriculum replevit, & subitaneis convulsionibus necem intulit ei, cujus vita, in principio læsionis, debita cranii perforatione per trepanum, & per vectes elevatione (quæ duæ operationes in Italia, præsertim vero Patavii, citra ullum læsionis periculum fere cottidiè instituuntur) procul omni dubio conservari potuisset. Et quia in territorio Ulmano non hic solus, sed antehac plures ob neglectum vel potius incognitum in cranio operandi modum miserè interierunt, Inclytus Reipublicæ Patriæ Senatus meritò decrevit, ut data occasione barbitonsores chirurgiam exercentes in demortuorum capitibus quantum possibile informarentur quomodo se in læsionibus cranii tam periculosis gerere debeant, ne patientes vulnera in capite, ob denegatum vel solius manus præsidium, vitam cum morte commutare cogantur.

OB-

OBSERVATIO DECIMA QUINTA.

Vulnus capitis, post apertionem cranii, ex potu vini interdicto, lethale.

ANno M.DC. XXIV. Die XIX. Maij *Henricus Hebich* tinctor juvenis, à victoribus ebriis vulneratus fuit in capite circa suturam coronalem, & musculum temporalem, quem primis diebus tractavit Nicolaus Reutte/ qui me tertia die ad ægrum vocavit, è cujus vulnere statim frustulum ossis, à cranio undique separatum, volsella extraxi. Die quarto propter magnam vulneris inflammationem idonea medicamenta adhibui, usque in diem læsionis nonum, quo Patiens de punctorio & gravativo capitis dolore conqueri cœpit. Hic dolor mihi certissimum signum fuit, quod materia purulenta sub cranio contineretur, & membranæ cerebri ab osse quodam acuto pungerentur. Die decimo ægri parentes in consilium quoque vocarunt Clarissimum & Excellentissimum Dominum Gregorium Horstium, qui mecum consuluit, ut modiolis secundum artem aperiretur, quo materia, quæ sub cranium descendit, exitum habeat, & ossiculum pungens extrahi queat. Die primo Junii cranium, in præsentia præfati Dom. Horstii perforavi trepano, & statim membranam cerebri inflammatam observavi. Tertia post trepanationem die, ob insignem duræ matris inflammationem purulenta materia sufficienter expurgari non potuit. Quapropter cum consensu & in præsentia D. D Gregorii Horstii & Johannis Reguli Villingeri, in cranio jam perforato modiolis aliud foramen paravi, amborumque dein foraminum interstitium serrula mea versatili excidi. Post secundam perforationem, ossiculum ab interna cranii lamina separatum, quod cerebri membranas assiduo pupugit, volsellæ dentibus extraxi, quo extracto, dolor ille pungitivus omnino cessavit, donec, à largissimo vini prohibiti potu, abscessus in ipsa cerebri substantia genitus febrem symptomaticam, delirium, & convulsiones totius corporis excitarit, & ipse æger interitus sui (nam die vigesimo Junii vitam cum morte commutavit) causa extiterit.

OBSERVATIO DECIMA SEXTA.

Contusio capitis, tribus mensibus, instante novilunio, convulsiones inferens.

MARCUS Böckh Ulmensis, Danielis filius Anno M.DC.XXIX. Die XV. Novembris delapsus est in terram, & statim parentibus ecchymosin, in dextra syncipitis parte, prope suturam coronalem & sagittalem, monstravit, cui successit primo dolor, deinde convulsiones totius. Vocatus remedia exhibui interna, à quibus convulsiones cessarunt, & tumorem admota agni recens mactati pelle fere resolvi. Nihilominus tamen circa novilunium puer denuo conquestus est de capitis dolore, quem sequebantur prædictæ convulsiones. Post duos menses tumor

synci-

syncipitis indies major factus est, ita ut eadem symptomata, & tertio & quarto mense, puerum infestarint. A parentibus iterum accersitus inspexi tumorem, & adstantibus indicavi, hujusmodi symptomata, meo judicio, excitari à materia acri, erodente & vellicante pericranium, neque etiam mea me fefellit opinio. Siquidem facta capitis per scalpellum (*Tab. II. Fig. II.*) cruciformi sectione (*Tab. XXVI. Fig. IX.*) usque ad cranium reperi materiam, quâ evacuatâ vulnus globulis dilatavi. Die secundo, subsistente sanguinis fluxu, & religato vulnere inveni etiam cranium asperum & subnigrum. Die tertio calvariæ ad meditullium derasæ inspersi quotidie pulverem cephalicum, & filamenta sicca donec optima carne obtegeretur. Vulneris autem labia tractavi primò digerentibus, secundò mundificantibus, tertiò incarnantibus, & quartò cicatricem inducentibus. Hac ratione puer septennis die vigesimo post sectionem, vel centesimo & vigesimo post morbi principium pristinæ sanitati fuit restitutus, qui adhuc superstes vestigia sectionis monstrare potest.

OBSERVATIO DECIMA SEPTIMA.

Vulnus capitis cum dedolatione cranii.

ANno M. DC. XXXI. Die iv. Novembris Nobilissimus Dn. A. S. Patricius Ulmensis inter verticem & occiput vulneratus fuit, cum deperditione cutis & dedolatione cranii, ad magnitudinem illius monetæ, quam Thalerum Imperialem vocant. Vulnus hoc *Nicolaus* Reutte statim replevit medicamentis stegnoticis, & ego Patienti, injecto priùs & rejecto enemate laxativo, venam cephalicam incidi, & sanguinis uncias sex educi curavi. Die v. vulnus religavi, ossique ad meditullium usque resecto inspersi pulverem cephalicum, & filamenta concerpta apposui, plagæ autem adhibui digestivum, & desuper, ad præcavendam inflammationem, ceratum Diapalmæ atque cataplasma Hippocratis. Die vi. Novembris vulneratus ob oris amaritudinem assumpsit cholalogum leniens, à quo sæpiùs dejecit materiam biliosam, quæ ventriculum, æsophagum & os amarum reddidit. Die ix. æger meliùs habuit. Die xii. ob constipationem alvi Patiens conquestus est de dolore capitis circa vulnus, quare admisit enema laxativum, quo rejecto dolor etiam remisit. Die xiii. vulnus coxit pus album & æquale, unde digestivo aliquid detergentis immiscui. Die xvi. Novembris cranio cœpit caro increscere, quamobrem labiis sarcoticum ex unguento de Bethonica & cerato citrino paratum applicui, donec cranium beneficio hujus sarcotici & pulveris cephalici carne solida obductum fuisset. Vulnus optima carne repletum tandem cicatrizavi usu cerati divini. Atque his levibus remediis (*quæ tamen Chirurgum verum rarissimè fallunt, si modò, præmissis Universalibus, bonam vivendi regulam præscribat, inque id diligentissimè incumbat, ut Patientes vulnera cephalica tenuiore victu sint contenti, Baccho & Venere omninò abstineant, & alvum quotidie lubricam habeant*) Nobilissimum virum adhuc superstitem, aliosque quamplurimos citra derasionem aut perforationem cranii felicissimè curavi.

OB-

OBSERVATIO DECIMA OCTAVA.

Punctura cranii utramque laminam penetrans.

ANno M. DC. XXXI. Die xxiv. Augusti, miles quidam Cæsarianus instrumento quodam acuto *Jacobum* Wirth/rusticum Aichensem vulneravit in vertice, quem Barbitonsor istius loci ut simpliciter vulneratum tractavit, & intra septimanam curavit. Octavo post curationem die æger conquestus est de insigni tumore & dolore capitis circa locum affectum. Nono delatus est Ulmam. Decimo cutim & pericranium scalpello (*Tab. II. Fig. I.*) in formam crucis seu literæ X incidi, & vulnus, denudato cranio, globulis sanguinem comprimentibus, dilatavi. Undecimo inveni fracturam cranii, quam eodem die beneficio terebelli (*Tabul. XXVIII. Fig. III.*) delere tentavi. Cùm autem punctura ista usque ad secundam laminam pertingeret, & de penetratione suspicionem faceret, cranium die duodecimo (omisso terebello) modiolis perforavi, & materiæ, quæ supra duram matrem descendit, facilem exitum paravi. Expurgata materia, membranæ apposui linteolum oleo rosato imbutum, ossi pulverem cephalicum, vulneri digestivum, & desuper diapalmæ ceratum & cataplasma notum fasciâ *Cancer* dicta superligavi. Die xii. dolor capitis remisit. Die xiv. inflammatio declinavit. Die xxx. cranium separavit squamulam. Die xl. vulnus cicatrice fuit obductum.

OBSERVATIO DECIMA NONA.

Vulnus capitis, cum duobus fungis, lethale.

ANno M. DC. XXXVIII. Die ix. Augusti, CONRADUS Scheiffelen Ulmensis, miles Cæsarianus, triginta septem annorum, temperamenti calidi & sicci, in cruento & acerrimo conflictu prope Wittenweiher habito, acinace sauciatus fuit in posteriore capitis parte, cum læsione ossis occipitis. Hoc vulnus à principio tractavit quidam Empyricus, quasi simplex esset. Die xxiv. Decembris Patiens Ulmam venit, & iterum in manus cujusdam imperiti Balneatoris incidit. Hic enim vulnus obligavit, veluti primus Empyricus, usque in diem xxxi Januarii, Anni M. DC. XXXIX. quo æger fuit receptus in Nosocomium patrium, ubi Balneator iste vulnus, partim cicatrice & partim excrescentia carnis obductum, specillo obtuso & tenui exploratus, dictum modò specillum ad tertiam longitudinis partem, recto tramite, non tantùm in fissuram cranii & ambas cerebri membranas, verùm etiam in ipsissimam cerebri substantiam (ex qua multum puris effluxit) non sine magno errore immisit. Die i. & ii. Februarii præparato & purgato corpore Patiens de oculorum gravitate conquestus est. Die iii. Balneator imprudens jussu Patientis me ut & Clarissimum meum collegam, Dominum *D. Moysen Heldium*, & peritissimum præ cæteris Chirurgum *Georgium* Riedlen in consilium vocavit. Inspecto vulnere, & consideratis circumstantiis, ob profundam inprimis specilli intromissionem, anguem in herba latitare suspicati sumus. Unde cutim & peri-

 cranium

cranium ſcalpello in trianguli formam incidi ſtatim, vulnusque dilatatum ſtegnoti-
cis obligavi. Die IV. ſubſiſtente ſanguine, & inſpecto vulnere rimam cranii longam &
ſatis latam invenimus. Rebus ſic ſtantibus, cranio pulverem cephalicum & filamenta
ſicca, labiis digeſtivo quodam oblinita & deſuper Diapalma appoſui, cum cataplaſma-
te Hippocratis inflammationem prohibente, & faſciâ quatuor capitibus præditâ *Ta-
bul. XXVI. Fig. III. & X.* Die VI æger conqueſtus eſt de vertigine & dextri oculi do-
lore. Die VII. meliùs habuit, & ſumſit aliquot bolos ex *Electuarii lenitivi* ℥vj. &
Electuarii de ſucco roſarum ʒij. formatos & ſaccharo obductos, à quibus quater de-
jecit bilioſa. Die VIII. ægrotus iterum conqueſtus eſt de oculi dextri dolore, & fun-
gis impoſui unguentum Ægyptiacum Hildani pulvere aluminis uſti permixtum, quod
tamen fungos non conſumſit, ſed ita ſaltem deterſit, ut ſpecillum obtuſum (*Tab. VIII.
Fig. VI.*) facilè inter utrumque fungum intromittere potuiſſem. Et quum rima per ſe
ſatis longa & lata eſſet, & tot errores à Barbitonſore commiſſi, ad trepanum ſeu per-
forationem cranii pervenire nolui, ne operatio tam inſignis, & quæ plurimis fuit ſa-
lutaris, informaretur: Ex relatis enim conſtabat, non duntaxat ambas cerebri
membranas eſſe læſas, verùm etiam ipſum pati cerebrum. Quare die IX. ob capitis do-
lorem Patienti ſecta fuit vena mediana dextri cubiti & emiſſus ſanguis ad ℥iiij. Veſpe-
ri Patiens meliùs habuit. Die XIV. parum dormivit ob frigidum hypocauſtum, ſicut
en in vulnera capitis gaudent calore temperato, ita iis frigiditas aëris maximè adver-
ſa eſt. Die XV æger benè habuit, & labia vulneris recenter facti citra dolorem fuerunt
rubra: fungi autem majores viſi, pro quorum exiccatione uſus ſum decocto divino,
absque tamen ullo fructu, quod in aliis fungis ſæpiùs præſentaneum fuit remedium,
quapropter particulam majoris fungi novaculâ abſcidi. Die XVIII. Patiens à me præ-
ſcriptis cibis non fuit contentus, unde ejus ſoror dedit panatellam è pomis aliisque
rebus confectam, quam ſtatim evomuit, & quam peſſimè exinde habuit. Die XIX.
magna puris copia per fungorum interſtitium effluxit, cranium nonnihil ad flavedi-
nem tetendit, labiaque vulneris tumida conciderunt. Die XX dextrum latus omninò
fuit paralyticum, Patiens tota nocte dormivit, & de nihilo conqueſtus eſt. Die XXI.
fungus uterque planè albus, craniumque omninò lividum apparuit. Die XXII. Patiens
loquelam amiſit, cerebrum caro fuit correptum, & brachium dextrum motibus
convulſivis agitatum. Die XXIII. æger horâ ante meridiem nonâ obiit. Die XXIV. Fe-
bruarii inſpexi vulnus, in quo fungi adeò ſubſederunt, ut fiſſuræ digitum annula-
rem facillimo negotio potuerim inſerere. Aperto per ſerram cranio, interna oſſis fiſſi
ſuperficies in tantum fuit corrupta, ut totum occipitis os uſque ad ſuturam lambdoi-
dem tenuius eſſet quàm os petroſum. (*Hic probè notandum, quod ad fracturam cranii
cognoſcendam non ſufficiat, ut æger frangat nuces vel oſſicula alicujus fructus, quando non
adeſt depreſſio cranii, quæ poſſit cerebri velamina pungere, atque adeò dolorem inferre gra-
vem: fregit enim hic nuces avellanas & juglandes, oſſicula etiam Ceraſorum & Malorum
Perſicorum, obivit officium militare, & nunquam conqueſtus eſt vel de minimo capitis do-
lore.*) Mox ſpecillo obtuſo intra fungos poſito abſceſſum deprehendi magnum, qui
in ſiniſtro cerebri latere latitavit, proprio folliculo circumſeptus. Remotis proximis
cerebri

cerebri integumentis, cerebrum ipſum cum abſceſſu tunicato adſtantibus monſtravi,
& proceſſum duræ matri falcatum elevavi, ut ſpatium, quod eſt inter dextram & ſini-
ſtram cerebri partem, cum ſuis vaſis & ſpiris inſpici poſſet. Cerebro transverſim in-
ciſo & magna ejus portione, citra læſionem ventriculi ſiniſtri, ablata, abſceſſus in con-
ſpectum venit, ex quo pus fœtidum in magna quantitate effluxit: deterſo per goſſipium
abſceſſu, in circumferentia apparuit craſſa aliqua membrana, quæ materiam purulen-
tam continuit: in vicinis autem partibus nullum adfuit vel inflammationis, vel corru-
ptionis ſignum. His conſideratis, ventriculum cerebri ſiniſtrum aliquantulum com-
preſſum, dextrum verò minimè depreſſum, ſed aqua limpida diſtentum oſtendi: in ſini-
ſtro plexus choroides pallidus, in dextro rubicundiſſimus apparuit. Ex dictis cauſam
paralyſeos dextri lateris, vertiginis, doloris dextri oculi, & heſternæ convulſionis dex-
tri brachii habemus. Ideoque ubi læſum & fiſſum cranium, & fungoſa caro ſubcreſcit,
ibi certiſſimum ſignum eſt, ſi non ſubſtantiam, ſaltem cerebri membranas vel contuſas
vel laceratas eſſe.

OBSERVATIO XX.

Introceſſio cranii mollioris in adulta minimè fiſſi.

IN generali contuſionum capitis curatione (*poſt Tabul. XXIX. Paragrapho XVI.*) anno-
tavi, cranium in adultis rariſſimè deprimi citra rimam ſive internæ ſive externæ, niſi in
iis quibus natura mollius dedit cranium. Hoc confirmavit *Ancilla Domini Michaelis*
Miettmans Mercatoris Ulmenſis, quæ trigeſimo ætatis anno vas aqua plenum ſupra
caput geſtans de ſcala decidit in dextrum ſinciput, cui tumefacto accerſitus Chirurgus,
Nicolaus Reutte/ pellem agninam calidè applicuit. Altero die, remota pelle, & fovea
digitis percepta, adſtantibus depreſſionem cranii & neceſſariam cutis diviſionem indi-
cavi quâ conceſsâ, integram cutim ſcalpello in crucem incidi, ſtatimque oculis & ſpe-
cillo rotundo deprehendi parvam, & in exteriore lamina minimè fiſſam depreſſionem.
Obligato vulnere, de interioris laminæ integritate maximè dubius, quoniam caſus ab
alto fuit vehemens, modiolorum operam propoſui, quam Patiens admittere noluit.
Facto itaque prognoſtico, quod vulnus hoc, ſeu potius depreſſio lamina interiore
fiſſa citra cranii perforationem tutò curari nequeat; ea verò integra exiſtente, Patiens
minori cum periculo ſanari, vulnus per duodecim dies apertum detinui, quod, cùm
nec unicum appareret accidens, vel interioris laminæ rimulam, vel aliqualem ce-
rebri læſionem arguens per ſecundam intentionem curavi digerenti-
bus, detergentibus, incarnantibus, & cicatricem
inducentibus.

OBSERVATIO XXI.

Fissura cranii capillaris & penetrans in puero & adulto curata.

ANno M. DC. XLIV. biga quædam deonerata transiit Davidem Hailbronner/ Jacobi Nautæ filium, & sinciput sinistrum cum detectione ossis & rima cranii Chirurgus, *Ezechiel* Vogel/ rimam observatam statim parentibus monstravit, & vulnus stupa stegnotico imbuta sufficienter dilatavit, quo fortè necessaria cranii derasio tutissimè institui possit. Altero mane à parentibus accersitus reperi cranium à pericranio latè denudatum & fissura dubia fractum. Hinc rimam scalpris benè instructam statim & eodem mane derasi, & ultra meditullium perveniens observavi interiorem cranii tabulam rima tantummodò capillari fissam. Quare, remotis scalpris, vulnus cum osse deraso medicamentis solitis tractavi, puerumque viginti quatuor dierum spatio felicissimè restitui, qui neglecto scalprorum usu, ut crebra testatur experientia, perire potuisset. Rationes, propter quas cranium haud perforarim, videantur suprà, post Tabulam XXIX. paragrapho V. de vulnere capitis cum rima ossis capillari & penetrante. Eodem modo restitui *Johann. Georgium* Hornung / qui Anno M. DC. XXXV. Die XXVIII. Decembris in musculo temporum dextro vulnus accepit cum rima cranii penetrante & capillari.

OBSERVATIO XXII.

Contusio occipitis scalpris derasa.

ANno M. DC. XXXVII. Mense Septembri, *Maria* Lutzen, à militibus Bavaricis miserrimè tractata, monstravit indocto Barbitonsori occiput ex contusione tumefactum. Patiens malè curata conqueritur de vehementissimo occipitis dolore, quem excitavit Empyricus, qui tumorem, appositis statim suppurantibus, maturavit, deinde medicamenta resolventia per quatuordecim dies adhibuit, donec materia purulenta ob integumentorum crassitiem exitum non inveniens pericranium (unde vehemens dolor) & cranium corroderet, musculorumque (qui caput extendunt, & splenii rectique vocantur) insertiones ab osse diduceret. Patiens in Xenodochium Ulmense recepta petiit manuale auxilium: Quare, præmissis universalibus, & instituta tenuiore victus ratione, occipitis exteriora, ut materiæ præclusæ pararetur exitus, scalpello in triangulum, ne musculorum dictorum fibræ per transversum læderentur, incidi usque ad os, quod asperum & à materia diutiùs retenta corrosum reperi. Evacuatâ igitur materiâ, vulneris labia benè diducta filamentis medicamento stegnotico & satis noto imbutis replevi, & altero die os occipitis asperum scalpris undique derasi. Operatione peracta, cranio lævigato pulverem cephalicum inspersi, vulnerisque labiis filamenta digestivo oblinita adhibui, donec bidui spatio cranium scalpris derasum carne solida obduceretur. Osse carnibus contecto, vulnus beneficio unguenti de Bethonica incarnatum cerato

rato divino cicatrizavi. Post vigesimum à derasione diem cranium aliquot squamula protrudens dolorem capitis renovavit, qui tamen exemptis volsella ossiculis statim cessavit. Hîc obiter monendum, ne Chirurgiæ tyrones (si contusiones capitis sub integumentis cranii suppuratæ resolventibus per tempus tam longum appositis minimè cedunt) medicamentorum resolventium usum protrahant, sed potiùs citra moram & periculi metum cranii velamenta debitè incidant, ne pus sub crassissima cute longiùs dimorans pravam qualitatem acquirat, & cum pericranio subjectam calvariam erodat. Vid. post *Tabul. XXIX. Paragraph.* XIV. *de contusione capitis citra læsionem cutis & cranii.*

OBSERVATIO XXIII.

Concussio cerebri & tumor brachii suppuratus.

ANno M. DC. XXVII. Mense Novembris, *Johannes* Semlen / Oppingensis ex agro Ulmensi, rustici cujusdam Nellingæ famulus, temperamenti calidi & humidi in ædibus Marci Feyhels fuit, in quibus more loci juvenculæ & ancillæ filum duxerunt, pensumque suum absolverunt. Hic verò noster *Johannes* cum aliqua juvencularum tum temporis in hypocausto lusit. Huic reliquæ præsentes juvenculæ seriò imperarunt, ut tales nugas relinqueret, sonst werde ihm der Baum gestellt werden / cujus pœnæ Processus talis est: Detinent aliquem corpore inverso, ut capite respiciat terram, pedibus verò suspensum subitò in terram iterum remittunt, ut caput concutiatur. Hoc perpetrarunt etiam juvenculæ in nostro ægroto, quia non obtemperavit, usque dum sanguis è naribus & auribus profluxerit, atque humi prostratus instar mortui jacuerit. Videntes prædictæ juvenculæ dubium hunc actum, humi prostratum aqua frigida statim asperserunt, quo revocentur illius spiritus. Hic aquâ perfusus, quasi à morte revocatus, surrexit, de magnoque sinistri brachii & totius capitis dolore conquestus discessit. Secundo die, præsente hoc capitis ac brachii dolore, æger nihilominus frumentum ventilavit. Tertio & quarto pejus habuit, ita ut propter febrem & motus totius convulsivos lecto decumbere coactus fuerit. Sexto morbi die curru petiit Oppingam. Septimo mater accersivit Chirurgos. Die X. XI. XII. XIII. & XIV. die æger antedictis convulsionibus vexabatur. Die XV. mater decumbentis filii urinam transmisit Clarissimo Domino Doctori, *N. Klebsattelio*, *Medico Geislingensium indefesso*, qui præscripsit pulverem contra casum (ad dissolvendum sanguinem grumosum) in mixtura syrupi acetositatis citri & acetosæ cum aqua pimpinellæ sumendum. Hinc æger mutus & surdus usque ad vigesimum quartum diem laboravit comate: de qua aphonia ita vaticinatus est Hippocrates Sect. 7. aphor. 58. Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri necesse est. Loquendi huic audiendique impotentiæ supervenit Diarrhæa, quæ per triduum durante, æger loquentes alios iterum audivit, & ipse loquens conquestus est de dolore vehementissimo sinistri brachii circa musculum deltoidem.

Die verò XXIX. inclytæ Reipublicæ Ulmensis decreto contuli me Oppingam, ubi Johannem inveni valdè conquerentem de magno capitis dolore circa suturam sagittalem & coronalem, siti & febre insigni, ardore & nigredine linguæ, totius brachii prædicti paralysi, & scirrho ædematoso, qui circa musculum deltoidem ad suppurationem tendens ægrum maximè torsit. Qua de causâ ægro Ulmam delato, revulsionis gratia statim præscripsi Enema sequens,

℞. *Decoct. comm. pro Clyst.* ℥ix.
Mell. ros. sol. ℥ijs.
Elect. diacath. ℥j.
Ol. chamom. ℥ij. *M.*

A quo æger quinquies dejecit excrementa biliosa & excrementosa. Bregmati capitis ex contusione tumefacto applicui cataplasma digerens & roborans.

℞. *Mic. pan. domestic.* ℥iij.
Furfur. tritic.
Farin. hord. a. ℥ij.
Pulv. flor. ros. rubr.
Herb. Beton. a. ℥ß.
Ol. ros. ℥iij.
Vin. rubr. q. s.
Sal. comm ℨj. *M.* ad ignem.

Scirrho brachii ædematoso ad suppurationem promovendam apposui cataplasma, quod constabat ex mica panis domestici, farina seminum lini, pulvere foliorum malvæ & althææ, lacte & oleo chamomillæ: ad sitis levamen æger usus est aqua hordei Magistrali, quæ syrupis sequentibus jucundior fuit reddita,

℞. *Syrup. Acetos. citr.*
Acetosæ simpl.
Granat. a. ℥ij. *M.*

Mane & vesperi scyphum seri caprini depurati hausit. Cibus fuit cremor hordei & panatella, quæ conficitur ex mica panis siliginei, jusculo carnis salito, & butyro recenti. Potus ad cibum fuit aqua hordei. Suppurato post aliquot dies tumore brachii, abscessum, cujus materia tactu facilè deprehendi potuit, inter musculum bicipitem & deltoidem scalpello aperui, ex quo magna purulentæ materiæ quantitas fluxit. Foramini inciso, seu vulneri, ad mitigandum labiorum dolorem, turundam ex stupa factam, ovique vitello & albumine oblinitam imposui, & desuper diachylon simplex adhibui ad suppurandas tumoris reliquias. Sequenti die religatum vulnus globosa specilli parte exploravi, & os humeri corruptum inveni. Ideò foramen satis angustum imposita turunda, quæ conficitur ex spongia compressa, nonnihil dilatavi, & dilatato turundam lineam digestivo,

℞. *Tereb. lot. in aqu. scord.* ℨijs.
Vitell. ovi. j.

Pulv.

Pulv. radic. arist. rot.
Irid. flor. a. ℨß.
Mell. ros. colat. q. s. M.

Oblinitam imposui. Interea corpus cacochymum aliquoties expurgatum fuit, infuso sacculi sequentis, de quo alternis diebus sumsit ℥iiij. duabus horis ante prandium,

℞. *Radic. polypod. querc.* ℨij.
Irid. Flor.
Cichor. a ℨijs.
Herb. Agrimon.
Bethonic.
Veronic.
Prunell.
Absynth. a. P. ß.
Fol. sen. Alex. s. ß. ℥js.
Rhab. elect. ℥ß.
Agaric. rec. troch. ℨiij.
Sem. carth. excort. ℥ß.
Anis.
Fœnicul. a. ℈js.
Crem. Tart. ℨiijs.
Cinnam.
Gingib. a. ℈js
Uvarum pass. ℨvj.

Incisa & contusa ad sacculum, qui infundatur in ℔iijs mulsæ simplicis. Pro majore ossis exiccatione vulneri per siphonem injeci decoctum divinum, & ossi pulverem ex radicibus aristolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ paratum adhibui. Exteriùs aliquoties brachio spongiam ex aqua salsa & vino rubro expressam superligavi. Die vigesimo æger propter dolorem capitis usus est sequentibus pilulis, à quibus dejecit decies.

℞. *Mass. pill. aur.* ℈ij.
Extract. pill. coch. ℈j.
Mag. mech. nigr. gr. vij.
C. syr. de Bethon. F.
Pill. parv. & deaur.

Die sexagesimo natura frustulum ossis protrusit, quod volsellæ dentibus arripui & extraxi, ulcusque postea cicatrice obduxi.

OBSERVATIO XXIV.

Vulnus oculi cum infixo fusi aculeo.

ANNO M.DC.XLIV. Die XXI. Martii consilium meum & operam petiit per matrem suam *Rosina* Pfeifferen / filiola militis Ulmani quatuor annorum, quæ ante aliquot

aliquot dies cecidit in mucronem fuſi, qui non ſolùm palpebram ſuperiorem oculi ſiniſtri læſit, verùm etiam fractus & ita in orbitam oculi intruſus fuit, ut minimè videri potuerit. Hoc vulnus Barbitonſor imperitus obligavit, & tanquam ſimplex conſolidavit; inde oculus quotidie major factus eſt, & membranæ palpebrarum tunicis oculi omninò adnatæ. Rebus ita ſtantibus, palpebras digitis nonnihil diduxi, & membranas utriusque palpebræ ſpecillo lato ab oculi tunicis, quibus adhærebant, ſeparavi. *Vid. Tabul. XXX. Fig. VII.* Quo facto, cataplaſma ſequens oculo tepidè admovi, & faſcia ad oculum Galeni obligavi.

℞. *Pomor. dulc.* iij.
Album. ov. j.
Tut. ppt. ʒj.
Lap. chryſ. ppt. ℈j.
Alum crud. ℈ß.
Aqu. roſ.
Plant. a. ℥j. *M.*

Die vigeſimo ſecundo Martii puella ſumſit Diacydonii laxativi ʒijs, à quo quinquies dejecit. Nuchæ applicari juſſi emplaſtrum veſicatorium Horſtii. Ab uſu horum medicamentorum dolor & tumor oculi inflammatorius remiſit. Die XXIII. & XXIV. puella benè habuit. Die XXV. iterum conqueſta eſt de magno oculi dolore. Propterea non Barbitonſor, ſed ego oculum ipſe religavi, & palpebras digitis ab oculo diduxi, & mucronem fuſi volſellæ dentibus extraxi, quo extracto dolor omnis oculi mox ceſſavit. Et hæc ſunt medicamenta, quibus filiolam militis intra paucos dies priſtinæ ſanitati feliciſſimè reſtitui.

OBSERVATIO XXV.

Gutta ſerena per ſetaceum nuchæ inuſtum curata.

ANno M. DC. XXXIX. *Maria* Röthen in Territorio Ulmenſi nata, circa vigeſimum ſextum ſuæ ætatis annum ob ſuppreſſos menſes conqueſta eſt de utriusque oculi vitio, quod vulgo gutta ſerena nominatur. Huic in Noſocomium Ulmanum receptæ circa novilunium venam ſaphenam dextri pedis incidi, & ſanguinis ℥vj. educi curavi. Deinde pilulas hyſterico cephalicas

(℞. *Maſſ. pill. de caſtor.* ℈ij.
Extract. pill. coch. ℈j.
Magiſt. Jalapp. gr. vj.
Aqu. artemiſ. comp. q. s.
Form. pill. N. XXVII.

& vinum medicatum præſcripſi ad expurgandum totum corpus & caput. Poſt finitum catharticorum uſum femori dextro quatuor digitis ſupra genu fonticulum in parte domeſtica (*Tab. XXV. Fig. II.* femur dextr.) inuſſi. Elapſis quatuor ſeptimanis menſes iterum cœperunt fluere, ſed admodum diminutè: quapropter Patienti exhibui doſin pilula-

pilularum de Ammoniaco correctarum, à quibus purgatio ſatis evidenter fuit promota. Circa tertium novilunium menſes denuo apparuerunt quidem, ſed adhuc diminutè fluxerunt: quamobrem Patiens repetiit uſum pilularum menſes promoventium, à quibus ad nutum fluxêre. Quarto menſe purgatio juſto tempore & quantitate convenienti reſpondit: nihilominus tamen Patiens triſtiſſima viſum inde non recepit. Hinc, quia antehac in *Joann. Davidis Commerellii* chariſſima conjuge, & *Joann Chunrado Ehingero*, ſetaceum nuchæ inuſtum (*Tab. XXX. Fig. III. IV. & V.*) ad hujusmodi nervorum obſtructiones præſtantiſſimum inveni, cervici ſetonem applicui, ulceraque per viginti dies aperta detinui, donec ægra priſtinum viſum lætiſſima receperit. Menſibus ritè fluentibus, fonticulum in femore conſolidavit, & ab eo tempore uſque ad Annum M. DC. XLV. incolumi ſanitate fruita eſt.

OBSERVATIO XXVI.

Gutta ſerena utriusque oculi incurabilis.

ANno M. DC. XLII. *Johannes* Hegelin / Apparitor Ulmenſis conqueſtus eſt de amavroſi, quæ modernis *gutta ſerena* vocatur. Hinc in Xenodochium patrium delatus accepit repetitis vicibus ſequentes pilulas ophthalmicas,

℞. *Maſſ. pil. Luc.*
Sin. quib. a. ℈js.
Mag. Gialapp. gr. vj.
Ol. fœnic. deſt. gutt. ij.
Aqu. Euphras. q. s.
Form. pill. N. xxvij.

Quibus nil quicquam conferentibus, cervici primò veſicatorium, deinde ſetaceum in nucha applicari juſſi, quod utrumque præſidium aliàs optimum cùm miſer cæcus ſine emolumenti perceptione admiſiſſet, revocavi in memoriam, quæ Patavii Anno M. DC. XX. Obſervatoricinæ meæ inſerui. Cadaver paupérculæ cujusdam Patavinæ (quæ per viginti annos amavroſi pedetentim invadente laboravit, & tandem cancro mammillæ ſiniſtræ occulto, & medicamentis non convenientibus ad thoracis cavitatem detruſo miſerrimè obiit) delatum fuit in Theatrum Anatomicum, ubi, præſentibus multis Studioſis, in cauſam hujus cæcitatis legitimam inquiſivi. Aperto igitur per ſerram cranio, inveni duos anteriores cerebri ventriculos ſubſidentiam paſſos & conglutinatos, per quos ſpiritus animalis ad oculos deferri non potuit. Unde nervis opticis ſenſim marceſcentibus (apparebant enim hic duplo minores, quàm in aliis reperiuntur) amavroſis ſeu gutta ſerena illæſis undique oculis inducta fuit, benè enim adhuc nutriebantur venis & arteriis rectè conſtitutis, niſi quod arteria ad alterius oculi radicem ingreſſa turgebat, adeoque inflammationem quandam, menſtruis nempe regurgitantibus, inſinuabat. Addebat Excellentiſſimus Adrianus Spigelius in lectione Anatomica, quam ſuper paupérculæ caput habuit, vitio huic minimè occurri potuiſſe, licet Pauſa-

nias aliquando ex vulnere frontis talem guttam ſerenam ſublatam fuiſſe affirmet; inde quoque ſatis elucescere guttam ſerenam non ſemper, imò rariſſimè ex obſtructione nervorum opticorum oriri, ſed plerumq; ejusmodi diſpoſitionem præſupponere. Hinc etiam mirum non eſt, quamdiu ejusmodi affectus omnem & multis expertam medendi operam eludunt.

OBSERVATIO XXVII.

Convulſio oculi dextri ob concuſſionem cerebri.

ANno M.DC.XXXIX. Die v. Septembris, horâ primâ poſt meridiem, *Georgius* **Mercklen**/ miles Ulmenſis, ab uno commilitonum ſuorum jactu raphani libram pendentis in dextro oculo adeò læſus fuit, ut illicò humi proſtratus apoplecticorum ſeu mortuorum more jaceret. Sic æger omninò attonitus in xenodochium fuit delatus, cui ſequentia fuerunt adhibita. Statim vocatus primò palpebras digitis diduxi, & oculum affectum inſpexi, quem (ut etiam ſanum) ſuperiora verſus convulſum inveni. Rebus ita ſtantibus, mihi in mentem venit Hippocratis aphoriſmus 58. ſectionis 7. Quibus occaſione aliqua cerebrum fuerit vehementer concuſſum, mutos protinùs fieri eſt neceſſe: quod etiam in noſtro percuſſo evenit. Unde revulſionis gratia præſcripſi Enema ſequens.

℞. *Mell. roſ. ſol.* ℥ij.
Anthoſ. ℥j.
Elect. è ſucc. roſ. ℥ß.
Diacathal. ʒvj.
Decoct carm. ℥viij. *M.*

Poſt horam rejecti Enematis ægro ſecta fuit vena mediana ſeu communis utriusq; brachii, & emiſſus ſanguis in totum ad ʒviij. interim ſæpiſſimè ipſi exhibitum fuit cochlear unum aut alterum de aqua confortante uſitata, & quinta portione ſpiritus cephalici Anhaltini, qui in ſoporoſis cerebri affectibus maximè excellit, permixta. Die vi. Septẽbris, qui ſecundus erat à læſione, apoplexiæ ſupervenerunt motus convulſivi totius corporis per integram noctem durantes. Pulſus ægri fuit æqualis. Ob id reiteratus eſt clyſter & ſpiritus cephalicus in aqua confortante diligenter exhibitus.

Rejecto clyſtere æger meliùs habuit, neque oculi ampliùs apparuerunt convulſi, ſed in ſuo naturali ſtatu, &, quod majus eſt, Patiens me & adſtantes denuò vidit & audivit, loqui tamen non potuit, procul dubio propter compreſſionem aut obſtructionem nervorum recurrentium Die iii. læſionis æger tota nocte dormivit, de nihiloque alio conqueſtus, quàm de laryngis compreſſione: quare ſumſit potionem purgantem.

℞. *Syr. roſ. ſol.*
Mann. ſel. a. ʒvj.
Extr. Rhab. ſ ʒj.
Diacarth. ℈js.

Aqu.

Aqu. pimpin.
Verun. a. q. s.
M. F. Potio.

Poſt cujus ſufficientem operationem uſus eſt ob amiſſam loquelam & laryngis compreſſionem ſequenti lambitivo.

℞. *Syr. violat.*
Oxemelit. ſimpl. a. ℥j.
Flor. Benz. ℈ß.
Aqu. Veronic. ℥ij. *M.*

Die iv. æger meliùs habuit, quàm die præterito, digitisque monſtravit ſe velle comedere ovum. Die v. iterum benè habuit, & petiit eadem ratione mellicratum pro potu, ſed ob loquelam nondum reſtitutam bibit potionem Medicam horâ ante meridiem octavâ,

℞ *Syrup. roſ. ſol.* ℥ij.
Elect. diacathol. ʒvj.
E ſucc. roſ. ʒiij.
Decoct. flor. & fr. q. s.
M. & f. potio.

Horâ quartâ ab hauſtu potionis Medicæ æger aliquoties purgatus iterum expeditè loquutus eſt. Die vii. miles pulcherrimè vixit, &, citra topicorum auxilium, priſtinæ ſanitati reſtitutus in publicum prodiit.

OBSERVATIO XXVIII.

Vulnus & fractura naſi.

ANno M.DC.XLIV. Die xxii. Aprilis Nobiliſſimus & ſtrenuus Dominus *Wolfgangus à* **Bartenhaim**/ Teutonicus Ulmenſis, rura ſua animum recreandi gratia viſitans decidit ex equo, qui ipſi naſum calcaneo fregit & adeò laceravit, ut vulneris labia propter inſignem hæmorrhagiam & magnam naſi frigiditatem ad mutuum contactum vix adduci potuerint. Ea nocte ſanguinis fluxum Chirurgus Patientis ordinarius, *Joann. Jacobus* **Riedlen**/ medicamentis ſtegnoticis ſiſtit. Die xxiii. in ſubſidium vocatus naſum omninò depreſſum valdeque laceratum inveni. Rebus ita ſtantibus, ſeptum nares diſtinguens, oſſiculaque naſi depreſſa ſpecillo nunc lato, nunc rotundo & obtuſo repoſui, & naribus tubulum plumbeum, cerato Diapalmæ ac linimento ſimplici obductum impoſui, ut narium ſeptum & ejus oſſa jam repoſita in loco ſuo conſervarentur. Vulneris labia ſine ſutura ad mutuum contactum adduxi, adductaque linteolis oblongis (*vid. Tab. XXXIV. Fig. VII.*) medicamento ſequenti imbutis, & in crucem adhibitis conſervavi, faſcia Galeni naſum obligans.

℞. *Album. ovi. j. optim. agitat.*
Pulv. Tut. ppt. ʒis.
Lapid. chryſ. ppt. ℈j.
Aqu. plantag. ℈js. *M.*

Ob vehementem capitis dolorem fronti & temporibus applicui oxyrrhodinum sequens,

℞. *Album. ovor. ij. conquass.*
Acet. Ros. ℥ß.
Aqu. Ros. ℥iiij.
Ol. Rosat. ℥ij. M.

Stupa cannabina exceptum. Collum & cervicem oleis adstringentibus calefactis inunxi, eisque splenium in vino rubro & austero expressum calidè adhibui, ad impediendum & intercipiendum humorum in caput affluxum. Ob animi deliquium ægro præscripsi aquam cordialem,

℞. *Aqu. Cerasor. nigr.*
Pimpinell.
Fragar.
Rosar. a. ℥j.
Cinnam. ʒijs.
Marg. ppt ℈js.
Corall. rubr. ppt. ℈j.
Lapid. chrys. ppt. ℈ß.
Man. chryst. perl. ℥ß. M. ad vitr.

De qua sæpiùs per intervalla sumsit. Horâ nonâ ante meridiem Patiens usus est clystere refrigerante, alvum laxante, & per consequens humores caput ex contusione debilitatum petentes revellente.

℞. *Herbar. Malv.*
Pimpinell.
Violar.
Borrag.
Nymph. a. Mß.
Flor. Chamomill. P. ij.
Semin. lin. ʒiij.
Melon.
Fœnicul.
Citr. a ʒj.
Coqu. in s. q. aqu. font.
Colatur. ℥viij. add.
Mell. ros. sol. ℥iiij.
Ol. violar. ℥ij.
Chamomill. ℥j.
M. pro Enemate.

A quo bis dejecit materiam valdè crassam & adustam. Ante horam undecimam prædictus Chirurgus meo jussu Patienti incidit venam medianam dextri brachii, & ℥v. sanguinis emisit, qui biliosus & semiputridus fuit. Æger vesperi sumsit haustum acidularum Uber-

Uberkengensium vino granatorum permixtarum, ad extinguendam sitim intolerabilem. Victum ordinavi tenuem, pro cibo vel cremorem hordei, vel panatellam, vel brodium carnis, in quo vitellus ovi fuerit dissolutus: pro potu, decoctum C. C. usti & præparati, vino granatorum correctum. Die XXIV. Aprilis æger quoad vires & dolorem capitis meliùs habuit, quàm die præterito: vulnus nasi linteolis emplasticis detractavi, & Patienti ob nimias vigilias & totius corporis incendium præscripsi sequentem cum pediluvio emulsionem.

℞. *Herbar. Bethon.*
Lactuc.
Violar.
Flor. Nymph.
Rosar.
Papav. err. a. Mj.

M. & coqu. in s. q. aqu. fontanæ pro pediluvio ante cœnam usurpando.

℞. *Semin. melon. ℥js.*
Papav. alb. ℥ß.
Aqu. Nymphææ
Fragar.
Ceras. nigr.
Acetos. a. ℥iiij.
Fiat s. art. Emuls. cui add.
Corall. rubr. ppt. ℈js.
Margarit. ppt. ℈ij.
Syr. violar. ℥ij.
M. pro tribus dosibus,

Quarum quælibet sumatur duabus horis post cænam. Die XXV. Aprilis Patiens de pediluvii & emulsionis effectu interrogatus respondit, se aliquantulum dormisse, & conquestus est de summo calore & rubore dextri oculi, quem post reiteratum superioris enematis usum cataplasma sequens statim juvit.

℞. *Pomor. dulc. in lact. coct. & fort. expr. N. ij.*
Album. ov. j. conquass.
Pulv. Tut. ppt. ʒj.
Aqu. rosar. q. s.

M. ad ignem, & fiat cataplasma oculo calidè apponendum, quod in ophthalmiis & epiphoris est expertissimum. A Die XXVI usque XXX. Aprilis tubulos plumbeos unguento de Tutia Magistrali obduxi, pulvereque carnis excrescentiam prohibente

℞. *Pulv. alum. ust. ℈ß.*
Tut. ppt. ℈ij. M.

aspersos naribus indidi, exteriùs ceratum divinum applicui: quibus vulnus intra & extra nasum consolidavi. Post vulneris curationem Patiens ipse tubulos plumbeos & solo unguento de Tutia infectos naribus immisit, & nasum fascia Galeni firmavit, donec

 etiam

etiam ejus oſſicula fracta & depreſſa callo quodam fuerint colligata. Iisdem remediis plures in naſo vulneratos curavi, præcipuè verò Nobilem Dominum *Chriſtophorum Schleicherum* & *Melchiorem* Frikh/ politorem lini Ulmenſis integerrimum: quorum poſterior præter vulnus naſi & in capite acceptum, etiam paſſus eſt vulnus thoracis penetrans cum læſione diaphragmatis & ventriculi. *Vid. Obſerv.* 58.

OBSERVATIO XXIX.

Excreſcentia carnium in naribus benigna & maligna.

R*Uſticus quidam Jungingenſis, uti & textor Ulmanus* ozænâ Gallicâ laborarunt, cujus excreſcentia amborum nares ita obſtruxerat, ut Patientes aërem per narium meatus inſpirare minimè potuerint. Quapropter ipſis præſcripſi curam ex lignis ſudoriferam, eaq; finita excreſcentias conſumſi medicamento ex ℥ſs linimenti (*quod Joannes Prævotius in ſua Medicina pauperum ad carunculas in meatu urinario auferendas meritò commendat, & ego Tabula XL. Figur. VI. propoſui*) & ℈ſs Mercurii præcipitati compoſito, ad illinendas turundas, quas naribus affectis leniter immiſi. Carunculis in totum exeſis, naribus exulceratis impoſui plumbeos & cerato divino obductos canales, donec conſolidarentur. Ad malignorum ulcerum curationem alii commendant mixturam ex decocto ligni ſancti, aut ſaſſafras, melle roſarum, aloë ſuccotrina & mercurio præcipitato, qua ſæpiùs in die nares, meatum urinarium, pudenda, aliasque partes malignè exulceratas lavant, atque ſic feliciſſimè curant. e. gr.

℞. *Decoct. lign. ex aqu. plant.* ℥viij.
Mell. roſar. colat. ℥j.
Aloes ſuccotrin. ʒvj.
Mercur. præcipit. ℈ſs. *M.*

Solo Prævotii linimento, quod modo allegavi, nuper quoque *Jacobum* Bockhſperger/ Schænoplocum Ulmenſem à benignis quidem, ſed ſuffocationem minantibus narium excreſcentiis, citra omnem doloris ſenſum, intra ſeptimanæ ſpatium liberavi.

OBSERVATIO XXX.

Tumor maxillæ ſuperioris cum folliculo exciſus.

ANno M.DC.XXXI. *Roſina* Stenglerin/ Gieglingenſis, temperamenti melancholici mihi narravit, quod ipſi ante quadriennium caruncula quædam in ſiniſtra oris ſede circa molares maxillæ ſuperioris dentes enata fuiſſet, moles ſcilicet rubra, pendula, & magnitudine nucem moſchatam adæquans, quam ſeptimo menſe Barbitonſor iſtius loci, citra ullam corporis præparationem aut medicamentorum topicorum uſum extraxit. Paucos poſt menſes denuò excrevit durus, ruber, venis obſitus & maximè dolens tumor, uſque in quartum annum, quo magnitudinem ovi anſerini ſuperavit, ita ut non tantùm prædictæ maxillæ & dentibus molaribus, ſed etiam canino & mediæ palati parti

parti adnatus, deglutitionem & loquelam impediret, quare ejus exciſionem à me inſtanter petiit. Hic tumor circa dentes molares non ratione malignitatis, ſed aceti acerrimi, quo ſæpiùs os ob fœtorem colluit, aliquantulum exulceratus fuit. Cùm autem viderem tumorem aliâ ratione tolli non poſſe, quàm Chirurgiâ, ad corpus præparandum præſcripſi die IV. Octobris ſequens:

℞. *Hydromel. Tartariſ.* ℥ij.
Aqu. borrag. ℥iiij.
Cordial. Saxon. ʒij.
M. pro doſ. una.

Hoc ſyrupo Patiens uſa eſt per triduum, bis in die, duabus nimirum horis ante prandium & cænam. Die VII. deglutivit quinque horis ante prandium ſequentes pilulas,

℞. *Maſſ. pilul. aur.*
Sine quib.
Extract. pill. coch. a. ℈j.
Magiſt. Mech. nigr. gr. vij.
C. Syr. de Bethon.
Form pilul. parv. & deaur.

A quibus decies dejecit materiam ſeroſam, bilioſam & aduſtam. Die X. ad inſpiciendum ſanguinem ipſi ſecta fuit vena mediana ſiniſtri brachii, & emiſſus ſanguis ad ℥iiij omninò ſeroſus & aduſtus. Unde ordinavi ſacculum medicatum in menſura vini Nicarini per 24. horas infundendũ, de quo infuſo alternis diebus 2. horis ante prandium hauſit ℥iiij.

℞. *Radic. fœnic.* ʒiij.
Polyp. querc ℥ß.
Comar. abſynth. pont. p. j.
Herb. Bethon.
Veronic.
Agrimon. a p. ß.
Fol. ſen ſ. ß. ℥ſs.
Radic. mech. nigr. ʒij.
Rhab. elect. ʒiij.
Hermodact.
Turbeth. a. ʒſs.
Sem. carth. exc. ʒvj.
Aniſ.
Fœnicul. a. ℈ſs.
Crem. Tart. ʒiij.
Gingib.
Cinnam. opt. a. ℈j.
Inciſa & contuſa ad ſacculum.

Ab uſu vini hujus cathartici remiſit frequens illa ſalivæ exſpuitio, quæ prædictam ſanguinis inſpectionem & expurgationem deſideravit. Interim Patiens non neglexit bonam

nam

nam victus rationem, & loco vini bibit decoctum sarsaparillæ. Die xx. & xxi. mane, vesperi & post cænam sumsit de sequenti mixtura tantum, quantum cuspis cultri latioris comprehendit.

℞. *Conf. Borragin.*
Rosar. a. ℥j.
Cortic. citr. cond. ʒiij.
Nuc. Mosch. cond. ʒj.
Mag. corall. rubr.
Marg. a. ℈j.
Lapid. Hæmatid. ℈ß.
Syrup. acetos. citr. q. s.
M. F. condit.

Die xxiii. cùm Patiens ab usu conditi benè haberet, ad conservationem virium sæpiùs assumsit cochlear unum aut alterum de sequenti aqua corroborante.

℞. *Aqu. Ceras. nigr.* ℥ij.
Borrag.
Rosar. a. ℥j.
Spir. ceph. Anhalt. ʒj.
Marg. ppt.
Magist. corall. rubr.
Lapid. Hæmatid. ppt.
Chrys. ppt. a. ℈j.
Man. christ. perl. ʒß.
M. ad vitrum.

Et ne aliquid desit inter bene operandum, præscripsi etiam hanc aquam odoriferam.

℞. *Aqu. odorif. Fuchs.*
Rosar. a. ℥j.
Acet. ros. ℥vj. *M.*

His præparatis, ore Patientis aperto, & ejus capite ab adstantibus firmiter detento, tumorem ante, retro & post molares dentes scalpello (*Tab. XIV. Fig. XVII.*) separavi, & in medio forcipe (*Tab. XI. Fig. VIII.*) abscissum extraxi. Post tumoris extractionem Patiens ad sistendum sanguinis fluxum os sæpiùs colluit sequenti mixtura.

℞. *Aqu. Plantag.*
Prunell.
Rosar. a. ℥iij.
Acet. ros. ʒjß. *M.*

Cùm autem post repetitam oris collutionem sanguis non substitisset, venulas & arterias ferramentis (*è Tab. XIX.* petitis &) candentibus aliquoties tetigi, adustisque spongiam ustam albumine ovi agitato imbutam, & pulvere Galeni adstringente aspersam, atque splenium in vino rubro expressum imposui. Maxillam exteriùs linteo quadruplici in eodem vino expresso & fascia duobus capitibus prædita obligavi. Vesperi Patiens benè

benè habuit, &, subsistente sanguine, serosi humoris magna copia ex ore defluxit. Die xxiv. Patiens de insigni capitis dolore conquesta est, sed medicamenta ob novæ hæmorrhagiæ tumorem in ore fuerunt relicta. Die xxv. sanguine firmiter subsistente spongiolam & splenium extraxi, & post collutionem oris gargarismate præscripto,

℞. *Aqu. Plantag.*
Prunell.
Veronic.
Rosar.
Quinquefol. a. ℥iiß.
Mell. ros. col. ℥ij.
Tinct. ros. ʒjß. *M.*

Ulceri filamenta carpta, unguento, ex pulvere Galeni adstringente & albumine ovi confecto oblita imposui, linteoque triplici & fascia maxillam exteriùs obligavi. Vesperi ob alvi constipationem ægra admisit Enema laxativum.

℞. *Decoct. carminat.* ℥viij.
Mell ros sol. ℥ijß.
Elect. diacath. ℥j.
Ol. chamom. ℥jß.
Amygd. dulc. ℥j.
M. pro Enemate.

A quo sexies dejecit Die xxvi. per totam noctem se quietissimè dormivisse dixit, & quo ad fauces benè habuit. Die xxvii. extractis medicamentis, qui nudius tertius apposui, circa palatum & dentes molares apparuit quædam particula viscosa, quam specillo, lanâ in spiritu vitrioli madefactâ, involuto aliquoties tetigi, osque & fauces gargarismate ordinario lavari jussi. Die xxviii. extractis denuò medicamentis, omnia circa dentes molares atque palatum pulcherrimè habuerunt. Die xxix. eschara, quam ignis induxit, ablata, ægra sæpiùs in die lavit os sequenti medicamento:

℞. *Mell. rosar. col.* ℥jß.
Tinct. ros ℥ij. *M.*

Die xxx. Patiens ob capitis dolorem repetiit usum pilularum cephalicarum, à quibus dolor omninò cessavit. Die xxxi. ulceri cicatrix cœpit induci, & Patiens articulatè iterum, & citra omnem linguæ hæsitationem loqui. Die i. Novembris ægra benè quidem habuit, sed ad majorem oris exiccationem bibit decoctum sarsaparillæ. Die ii. omnes oris partes cicatrice ferè obductas vidi, & ad præcavendam mali recidivam consului Rosinæ, ut usum vini medicamenti repeteret. Die iii. ulcus omninò consolidatum apparuit, & Patiens exinde lætissima in publicum prodiit.

OBSERVATIO XXXI.

Tumor alius cum folliculo in maxilla superiore separatus.

Ex consiliis Medicis & αὐτοψίᾳ constat mala, de quibus conqueritur Nobilis & Honestissima Domina *Maria Cordula* Trappin / esse hemacraniam & steatoma vel meliceridem superioris maxillæ subcutaneam. Causa horum affectuum est materia pituitosa, tenuis & bile permixta. Quemadmodum verò bilis originem trahit à caliditate hepatis & obstructione lienis, sic pituita partim ex capite, partim ex ventriculo & utero provenit. Pro curatione horum affectuum necesse est, ut humores pituitosi & biliosi evacuentur, hepar refrigeretur, lien ab obstructionibus liberetur, caput exiccetur, ventriculus & uterus corroboretur, ne hujusmodi humores iterum generentur, in corpore colligantur, & postea in caput ruant. Hisce indicationibus (ut prognosticum attingam) credo nos satisfacere non posse, considerans talem capitis & inferiorum partium indispositionem, quæ curatu sit difficilis. Nihilominus tamen (ne paucorum mensium spatio malum pejus fiat, quod certè fiet, nisi primo quoque tempore idonea usurpentur remedia) proponam, quæ in hoc casu fieri debeant. Aperienda, meo judicio, vena cephalica dextri brachii, & ℥vi. vel ℥vij. sanguinis emittendæ. His peractis Domina Patiens sibi curet inuri setaceum inter primam & secundam colli vertebram (*Tabul. XXX. Fig. III.*) vel loco setacei, singulis tribus mensibus nuchæ adhibeat vesicatorium, & quatuor digitis supra genu sinistrum (*Tab. XXV. Fig. II.*) atque in commodo brachii dextri loco (*Tab. XXV. Fig. II.*) inuratur fonticulus. Tumori maxillæ duro ante acidularum & decocti sarsaparillæ usum nullum topicum adhiberem. Corpus præparetur & purgetur medicamentis blandis. Patiens igitur utatur Syrupo carthartico.

℞. *Syr. de mann.* ℥j.
Extract. Rhab. ʒj.
Diacarth. ℈ijs.
Mag. Tart. ℈j.
Aqu. ceras. nigr. q. s.
Ol. mac. dest. gutt. ij.
M. f. syr. liquid.

Postea sumat ter vel quater hydromel Tartarisatum cum aqu. cerasorum nigrorum, & denuò purgetur infusione agarici trochiscati, & foliorum senæ, syrupo rosarum solutivo & manna. Hoc facto hepatis caliditas temperetur, lienque obstructus aperiatur usu acidularum Swalbacensium. Finito acidularum usu, totum corpus præcipuè verò caput propter hemicraniam purgetur sequentibus pilulis.

℞. *Mass. pill. aurear.*
Cochiar. a. ℈js.
Magist. Gelapp. gr. vij.
C. syr. de bethon.
Form. pill. xxvij. *deaur.*

A qua-

A quarum operatione caput expurgetur errhinis & masticatoriis blandis, ne humores irritentur ad oculos & thoracem: ad capitis corroborationem mane & vesperi de spiritu cephalico Anhaltino gutt. xv. in aliquot cochlearibus aquæ cerasorum nigrorum sumantur. Tempore Autumni post totius expurgationem, hepatis attemperationem, obstructi lienis reserationem, capitisque corroborationem, nihil præstantius est ad dissolvendum tumorem in maxilla superiore durum, quam decoctum sarsaparillæ, quod habet hanc prærogativam, ut omnes tumores digerat duros & dissolvat: illud tamen ita exhibeatur, ne sanguinem calefaciat.

℞. *Radic. Sarsaparill.* ℥ij.
Lign. Guajaci (pro corroboratione ventriculi) ℥ß.
Aqu. fontan. ℔iiij.

Fiat infusio per 24. horas, dein coquantur ad consumptionem medietatis & colentur pro syrupo sudorifero, de quo sumat mane, quinque horis ante prandium ℥v. *& quatuor horis ante cœnam* ℥iiij. *& singulis diebus mane tantum, hora elapsa post assumptum syrupum ingrediatur lectum, in eoque sine vi sudet per horulam.*

Pro potu ordinario fiat secundum decoctum, coquendo residuam materiam primi decocti in ℔xij. aquæ fontanæ ad consumptionem tertiæ partis, cui in fine ebullitionis addantur uvarum passarum ℥ij. & ita decoctorum usum per xxx. dies continuet, renovando secundo quoque die decoctum secundum. Inter usum sudoriferi animadvertendum, ne alvus constipetur, ideoque Domina Patiens alternis diebus utatur Enemate, aut potione Medica laxativa. Singulis quoque septimanis sumat semel supradescriptas pilulas, vel medicamentum æquivalens, & eo die, quo purgans vel laxans per os assumit, à decocto primo planè abstineat. Pro debilitate ventriculi recipiat semicochlear spiritus mastichini. Externæ ventriculi regioni applicetur ceratum ex caranna & taramahaca paratum, vel aliud simile. Si his medicamentis tumor iste non cedit, ad sectionem deveniendum est. Et hæc sunt pauca illa remedia, quibus Nobilis Patiens tutissimè potest uti: quæ tamen omnia Clarissimi & Excellentissimi Medici præsentis, Domini Doctoris *Christophori Eisenmengeri* judicio relinquo. Ulmæ Suevorum, die xx. Augusti, Anno M.DC.XLII.

Extractum Literarum Dominæ Patientis, quas Heilbronnæ Anno 1643. *die* 7. *Martii exaravit.*

Tumor in mala dextra post usum decocti sarsaparillæ minor factus est, ita ut ferè evanesceret. Sic Deus Ter Optimus Maximus direxit curationem. Ego putavi perfectè curatum esse tumorem. Quid fit? Infelix post Bachanalia in balneum ordinarium consilio & consensu Medici ingressa sum, & vix iterum egressa animadverti alterationem atque augmentum tumoris. Hinc quotidie majorem compressionem non absque dolore sentio, veluti tempore præterito. *Ex hoc patet fructus & utilitas decocti salsaparillæ.* Tumor fuit in dextra maxilla superiore, & magnitudinem ovi gallinacei superavit. Præterito Autumno (præparato corpore & educto sanguine) usa est Patiens decocto sarsaparillæ,

rillæ, quo tumor ferè discussus. Elapsis aliquot mensibus Patiens, quæ sibi videbatur restituta, usu balnei caput nimium calefecit, & tumoris incrementum sentiens, magnis mœroribus & continuis lachrymarum effusionibus illum ad priorem magnitudinem adduxit. Rebus sic stantibus, Patiens Heilbronna venit Ulmam, ut ibi tumor Chirurgia curaretur. Communicatis cum Excellentissimo Domino Doctore, *Christophoro Eisenmengero, Reipublicæ Heilbrunnensis Physico*, consiliis, factoque prognostico, nos optimam sperare sanitatem, si modò os maxillæ illæsum fuerit Præmissâ purgatione & venæsectione, Dominam ægram Anno 1643. Die 2. Maji in lectum, ligatis ad latera manibus collocavi: deinde unus ex adstantibus labium superius hamulo nonnihil sursum traxit, ut commodè inter tumorem & musculum primum, qui labium attollit, cultello separatorio (*Tabul. XIV. Fig. XVII.*) pervenire possem. Hoc cultello superius usque ad ossis jugalis suturam perveni, & tumorem à prædicto musculo separavi. Inferius autem prope dentes molares & gingivam cartilagineam tumoris tunicam (quam ab osse quarto maxillæ superioris eodem scalpello diducere frustra tentavi) coactus fui incidere, quâ incisâ effluxit materia quædam instar mellis crassa & flava, & tumor subsedit. Effluxa materia & cartilagineo folliculo per forcipem exciso, vulnus albumine ovi agitato imbutis, pulvereque chrysoliti præparati & adstringente Galeni conspersis filamentis obligavi. Die sequente, cùm subsisteret sanguis, prope musculum secundum, qui labium abducit, inveni quoddam tuberculum, sub quo erat foramen, per quod specillo obtuso citra negotium in cavitatem osseam perveni. Die xII. Maji in præsentia Domini Doctoris Eisenmengeri tuberculum illud incidi, & foramen dilatavi. Die xIII. Maji post abitum Domini Eisenmengeri prope dentem caninum aliud tuberculum instar ossis durum reperi, quod etiam forcipe (*Tabul. XI Fig. II.*) excidi. Die xxvII. interstitium extracti folliculi ab ultimo dente molari usque ad caninum ita consolidatum fuit, ut ne guttula puris exiret. Foramen autem globulis apertum conservavi, donec ossiculum beneficio decocti sarsaparillæ desquamaretur. Die xII. Julii ossiculo ablato vulnus cicatrice obduxi.

OBSERVATIO XXXII.

Vulnus sclopeti in maxilla inferiore.

ANno M.DC.XXXIV. Die xxvII. Augusti, *Tesserarius quidam Suecicus*, in conflictu Nordlingensi, in maxilla inferiori, infra dextram aurem, duobus sclopeti globis sauciatus fuit, quorum uterque linguam læsit, & oppositam maxillæ partem fregit cum offensione tonsillarum, omniumque dentium molarium insigni sanguinis fluxione, animi deliquio & febre. Die xxxI. Augusti, qui erat quintus læsionis, venit Ulmam vulneratus, cui ob sanguinis fluxum, febrem & animi deliquium præscripsi sequentia.

℞. *Syr. acetos. citr.*
Julep. ros. c. tinct. a. ℥js.
Aqu. Endiv.
Plantag. a. ℥ijs.

Misc.

Misc. pro syrup.
℞. *Marg ppt.*
Corall. rubr. ppt. a. gr. vij.
Lapid. Chrys. ppt. gr. vj.
Aqu. rosar.
Plantag.
Ceras. nigr. a. ℥j.
Syr. corall. ʒvj.
Acetos. citr. ʒjs.
M. F. Potio cordialis.
℞. *Mell. ros sol.*
Ol. violar. a. ℥iij.
Decoct. emoll. ℥x. M.

Pro Enemate laxativo & refrigerante potionem æger statim sumsit dimidiam Syrupi partem vesperi. His peractis, revulsionis gratia admisit enema præscriptum, à quo ter dejecit materiam nigram & sanguine mixtam. Post usum clysteris, & sanguinis fluxu stegnoticorum opera compresso, vulnus religavi, & non solùm inferiorem maxillam in utraque parte reperi læsam, verùm etiam linguam, cum insigni faucium inflammatione: propter quam æger, qui loquelam amisit, ilicò adhibuit gargarismum refrigerantem & adstringentem. Elotis benè faucibus, vulneribus internis & externo iterum imposui spongiolam combustam, albumine ovi agitato imbutam, & pulvere adstringente Galeni ac chrysoliti ppt. aspersam. Desuper applicui ceratum conveniens, & maxillæ, partibus vicinis oleo rosarum inunctis fasciam adhibui. Hac ratione comprimebatur enormis ille sanguinis fluxus. Die sequente ob compressum sanguinis fluxum & mitigatam faucium inflammationem æger meliùs quidem habuit, nihilominus tamen de insigni capitis dolore laterisque dextri pulsatorio conquestus est. Ob id ipsi secta fuit vena ejusdem lateris mediana & emissus sanguis ad ℥iiij. Post horam sumsit jusculum hordei per infundibulum (*Tabul. XXXII. Fig. VIII.*) injectum. Tertio etiam die monstravit digitis insignem musculi temporalis dolorem. Quapropter adhibui seqens Cataplasma:

℞. *Farin. hord.*
Fabar. a. ℥vj.
Mic. pan. d mest. ℥iiij.
Ol. ros. ℥iij.
Vin. rubr.
Oxymel. s. a. q. s.
M. ad ignem in form. catapl.

Vesperi sumsit suam panatellam liquidam per instrumentum modò allegatum, & per idem parum aquæ hordei. Os enim ob musculi temporalis læsionem aperire non potuit. Media nocte sumsit haustum ex syrupi acetositatis citri & vini granatorum *a.* ℥js cum aquæ cerasorum nigrorum ℥ij. Die quarto monstravit digitis & scripsit, se in faucibus

cibus circa columellam seu plectrum vocis insignem pati dolorem. Subsistente per triduum sanguine, vulnus religavi, ex quo pus fluxit cum tanto fœtore, quem ferre non potui: elotis sequenti gargarismo faucibus.

℞. *Aqu. plant.* ℥vj.
Prunell. ℥ij.
Bol. Armen. ℈j.
Sal. prunell. ℈iß.
Alum. crud. ℈ß.
Syr. myrth. ℥j. *M.*

Vidi circa columellam, & specillo obtuso tetigi quandam duritiem vacillantem, seu frustulum ossis, quod partes circumstantes pupugit, & dolorem circa fauces induxit. Hanc ossis particulam volsellæ dentibus arreptam exemi. Vesperi æger usus est supra descripto clystere. Die quinto aliquantulum melius habuit, & ex religato vulnere magna puris semicocti copia exivit. Die sexto Patiens sumsit potionem Medicam,

℞. *Syrup. rof. sol.* ℥ß.
Extract. Rhab. ʒj.
Aqu. plantag. q. s.
Lapid. chrys. ppt. gr. vj.
M. & f. potio.

A qua quater dejecit materiam flavam. Vulnus obligavi filamentis digestivo illitis,

℞: *Terebinth. lot. in aqu. scord.* ʒij.
Pulv. rad. Irid. Flor.
Arist. rot. a. ʒß.
Syr. de ros. sicc. ʒij.
M. pro Digestivo.

Exterius applicitum fuit splenium oleo violato & lumbricorum terrestrium imbutum Ad linguam æger præter aquam rosarum & gargarismum nihil usurpavit. Die septimo idem cœpit balbutire, unde balbutiens dixit, digitisque monstravit, se faucibus iterum dolere. Inspectis igitur faucibus, particulam ossis dolorificam volsella extraxi, & vulnus, veluti die præterito, obligavi. Die octavo æger conquestus est de dolore colico, qui post usum clysteris ordinarii, cui portio quædam amygdalarum dulcium fuit addita, remisit. Die nono æger melius habuit & instructus bonis medicamentis discessit: quibus an restitutus fuerit, nec ne, mihi non constat.

OBSERVATIO XXXIII.

Cancer labii inferioris exulceratus.

ANno M. DC. XL. *Gallus* Sigmann/rusticus Langenaviensis, *cancro inferioris labii exulcerato* affectus, postquam à multis Chirurgiæ peritis dolens percepisset, se ab isto malo liberari non posse, nisi illud sectione radicitùs extirpetur, ob difficultatem

tem domesticam, qua premebatur, ab Inclyto Reipublicæ patriæ Senatu supplex impetravit, ut in Xenodochium reciperetur, & ibi *Cancer* ferro & manu Chirurgi exercitati, *Georgii* Riedlin/abscinderetur. Abscissione per forficem factâ, & ulcere ad cicatricem ferè ducto, malum repullulavit. Senatus Inclytus recidivæ hujus certior factus, Patientem meæ curæ tradidit. Hic ob dolores capitis & artuum nocturnos mihi valdè suspectus, & in Nosocomium Gallico morbo affectis destinatum translatus decoctum ligni Guajaci ferè per mensem sumsit, unde dolores capitis & partium extremarum cessarunt. *Cancer* interim topicis medicamentis quotidie tractatus pauperculum vehementissimè cruciavit. Deinde corpus curâ sudoriferâ nimis calefactum usu seri caprini depurati refrigerandum, & refrigeratum ab atrabilariis humoribus per epicrasin expurgandum existimavi, decocto Magistrali sequenti:

℞. *Aqu. fluviatil.* ℔xviij.
Hord. integr. purgat. Mj.

Bulliant in vase obturato usque ad crepaturam hordei, tunc adde

Fol. Borragin.
Cichor.
Bethon.
Cardinib.
Sonch. a. Mj.

Quæ iterum bulliant ad remanentiam ℔xii. *abjectis herb. in colaturam infunde per viginti quatuor horas*

Fol. sen. s. stip. ℥ß.
Pulv. Colocynth. in petia ligat. ʒij.
Radic. polyp. querc. ℥iij.
Helleb. nigr. ppt. ℥ß.
Ireos numerat.
Agaric. crud. a. ℥j.
Uvar. passar. ʒvj.
Semin. anis. ʒß.

Infusa per dictum tempus ebulliant ad dimidiam liquoris consumptionem, & in fine ebullitionis pro unica ebullitione addantur cinnamomi optimi ʒij. *& Nuc. Mosch. incis.* ʒj. colatura dividatur in VIII. doses, *quarum una pendeat* ℥vij. *& qualibet usque ad usum conservetur in phiola super affuso oleo ad digiti latitudinem*)

De hoc decocto æger sumsit alternis diebus, summo mane, dosin unam, à qua jacuit in lecto benè coopertus, donec madorem corporis sentiret; quia decoctum ob colocynthidem amariusculum fuit, statim post assumtionem ejus deglutivit aliquid de pomo asso, aut ℥ß. passularum minorum; horâ elapsâ bibit brodium carnis calidum. Purgans hoc facilè trahit non solùm humores, qui ad locum affectum fluere possunt, sed eos

eosquoque, qui jam in fluxu sunt. Et hîc obiter notandum, hujus solius decocti crebro usu multos ab exulcerati carcinomatis doloribus liberatos, pluresque à nondum exulcerato cancro fuisse curatos.

Præparato corpore, pauperculi precibus devictus labium cancro exulceratum forfice abscidi, primo intuitu bono cum successu. At sequenti die animadverti tuberculum, quod forfex, quæ ad talem Chirurgiam valdè est incommoda, reliquit. Hoc tuberculum pulvere illo caustico (*quem Fabricius ab Aquapendente accepit ab Empyrico, & descripsit l. 1. Pentateuchi c. de Cancro*) frustrà tentavi consumere, indeque de certa curatione dubitare, & imminentem recidivam timere cœpi. Patiens autem meo jussu repetiit usum decocti superioris, non tamen alternis, sed singulis quaternis diebus: quo finito, & cùm ulcus beneficio unguenti de tutia ferè ad cicatricem duceretur (remanebat enim solum illud tuberculum, quod forfex præteriit) remediis internis & externis benè instructus, & ob vanam spem citissimæ restitutionis lætissimus ad suos domum redire festinavit. At quod suprà timui, elapso semestri etiam evenit, recidiva scilicet altera, malum prioribus multò pejus. Has recidivas autem forfici, qua bis malè peracta fuit operatio, unicè adscribendas existimo: Hæc enim ad tentatam operationem ineptissima fuit. Cùm igitur *Cancer* auferendus totum labium occupaverit, Chirurgi meo & Riedlini erroribus prudentiores facti, eum forfice caveant abscindere: ferè enim impossibile, quin forfex in labio aliquod relinquat vestigium, ex quo vel minimo malum recrudescere queat. Memini, quod aliquando in publicis lectionibus ab Excellentissimo Adriano Spigelio hanc cautionem audiverim, quam tamen pro nihilo habui, usque dum in rustico hoc & alio expertus sum, eâ non observatâ Patientes de vita & Chirurgos de fama periclitari. Æger secundam recidivam passus, tertiam quoque Chirurgiam à me instanter expetiit, quam moneta ex argento facta, acuta, & aqua forti intincta, juxta Aquapendentis placitum, administrassem absque dubio majori cum fructu, nisi vasa circumcirca maximè tumida laborem frustraneum fore indicassent.

OBSERVATIO XXXIV.

Dentium dolor periodicus felicissimè curatus, & apoplexia ob dentionem difficilem fortis.

QUamvis pilula Domini Doctoris Herlicii vel in ore detenta, vel dentibus cavis indita, omnem dentium dolorem (*semihorii spatio, ut Deodatus etiam l. 3. p. 135. attestatur*) mirificè sedet, quæ conficitur ex seminibus apii opio, hyoscyamo, & syrupo paveris,

℞. Semin. apii. gr. ij.
Hyoscyam.
Opii. a. gr. iiij.
Syr. pap. q. s.
F. pilul. N. j.

Nihilominus tamen ad periodicam dentium exacerbationem, quæ sæpè præstantissima elusit remedia, curandam & præcavendam Excellentissimus D. D. Spigelius scolopomachærio (*Tab. XIV. Fig. I.*) benè agnito eam anthelicis partem, quæ superiorem tragi immediatè contingit, felicissimo semper successu incidit, vulnusq; deinde iterum consolidavit. Hac nova Chirurgia ille ramulus arteriæ carotidis, qui ab auris anthelice ad dentes pergit, transversim inciditur, ita ut, intercepto humorum influxu, dolor non ampliùs revertatur. Hujus præsidii Chirurgici miram virtutem in se primum expertus est Author, postmodum me præsente in non paucis aliis. *Vid. Thom. Barth. cent. 4. Observ. 8.*

Anno M.DC.XXXVIII. Die xxvii. Februarii, horâ noctis octavâ, Illustris & Generosi Baronis, Domini *Ferdinandi Geizkofleri* dilectissimus *filius Ordolphus*, inter duodecimum & decimum tertium suæ ætatis mensem, ob difficillimam dentitionem, apoplexiâ forti correptus fuit & subitanea morte abiit. Quarto ante obitum die parentibus ejus proposui inustionem occipitis, aliàs valdè proficuam, mihique pluries expertam, quam parentes recusarunt, unde talia adhibui remedia, quæ in hujusmodi magna gingivarum intumescentia & pruritu, febre & catharro, non sine fructu usurpari possunt, & solent. Nihilominus tamen sine manifesta membrorum convulsione, absque clamore & dentium stridore filiolus, spes ultima generosæ familiæ, universali apoplexia subitò correptus discessit è vita. Quod autem hoc dentiendi tempus valdè periculosum sit, præsertim quando pueri caninos edunt dentes (ut inter duodecimum & decimum tertium à nativitate mensem) *ex Hippocratis sect. 3. aphorismo 25. & proverbio constat*: parentes de liberis suis gaudere non posse, donec dentes sub oculis canini fuerint editi.

OBSERVATIO XXXV.

Excrescentia carnis in palato.

IN palati anteriore parte, retro dentes incisorios, foramen est notatu dignissimum, per quod ex palato in narium amplitudinem venula atque arteriola, unà cum tunica palatum succingente, transmittitur. Ex hoc foramine ante tres menses Nobili matronæ & conjugi Domini *Alberti* Schleichers / Senatoris Ulmani, & secretioris Consilii Assessoris, nascebatur quædam excrescentia carnis, instar fungi, ex qua sanguis copiosè fluxit, quotiescunque Patiens illam linguâ vel leviter tetigit. Tandem cùm ille fungus, seu excrescentia carnis, ad nucis juglandis magnitudinem, ita ut loquelam impediret, pervenisset, usa est consilio sui Barbitonsoris, qui quædam medicamenta, at sine fructu, adhibuit. Anno M.DC.XLI. Die x. Martii vocatus locum affectum inspexi, specilloque excrescentiam circa basin tetigi, ex qua statim sanguis copiosè effluxit. Hisce consideratis manifestum erat, malum hoc ex prædicto foramine originem traxisse. Quapropter aliquoties usa pilulis Aquapendentis, quæ caput optimè purgarunt, & bona victus ratione. Excrescentiam medicamento, quod constabat spiritu vitrioli, succo portulacæ, & tinctura rosarum tetigi & diminui: denique instrumento, quo extrahere polypum soleo, residuum extraxi. Sic spatio decem dierum, summa cum admiratione, Patiens

ſanitati reſtituta fuit. Ante hujus mali invaſionem conqueſta eſt per biennium de inſigni dolore & gravitate auditus, jam verò poſt ſanguinis effuſionem abſque dolore audit. Ideo arbitror per Μετάϛασιν eſſe factam morbi curationem.

OBSERVATIO XXXVI.

Sinus calloſus & corruptio oſſis palati.

NObiliſſimus & admodum Reverendus Decanus, Dominus N. à Cronburg/ Anno M. DC. XXVI. conqueſtus eſt per Clariſſimum Medicum Auguſtanum, *Joann. Wolfgangum* Beer/ de periodico dentis dolore, & moleſtiſſimo quodam palati ſinu, petiitque à me conſilium & operam. Cùm igitur hujusmodi affectus primam ſuam originem traxerint à conſuetis hæmorrhoidibus ſuppreſſis, conſului, ut admodum Reverendus Patiens poſt ſufficientem ſanguinis è vena baſilica ſiniſtri brachii miſſionem corpus vino medicato à ſuperfluis & excrementitiis humoribus expurgaret, hæmorrhoides dein hirudinibus aperiri, fonticulumque ſiniſtro femori inuri concederet, quo humores è toto in caput aſcendentes, & ſinum cum dolore dentis foventes ad inferiora quaſi revellantur, & per fonticulum educantur. Ad præcavendum doloris impetum propoſui Chirurgiam in anthelice peragendam, quam præfatus Medicus, ſcolopomachærio meo candente, dexterrimè inſtituit. His omnibus factis, dentem carioſum extrahi curavimus, quo injectiones ex decocto in curanda oſſium carie divino per cavitatem evulſi dentis ad ſinum palati fiſtuloſum pervenirent. Cùm verò cavitas illa dentis & calloſus palati ſinus non coirent, neque Patiens citra ignis vim curari poſſet, interrogavi ipſum, utrum ignis efficaciam adhuc reſiduam cum bona ſpe ſalutis vellet experiri? Ægro annuente, Domino Doctori Beern inſtrumentum *(Tab. I. Fig IV. adumbratum)* Auguſtam miſi, quo optimè ignito ſinum calloſum, & cariem palati obtegentem citra guttulæ ſanguinis profuſionem incidit uſque ad dentis cavitatem, eoque in orbem circumvoluto notabile veſtigium oſſi impreſſit. Eſcharâ ablatâ, in conſpectum venit palati caries, quam ter quaterve ferramentis candentibus *(Tabul. XIX. Fig. VIII. & IX.)* tactam natura medicamentis exiccantibus aſſumptis & adhibitis adjuta ſeparavit, & ulcere conſolidato Patiens priſtinam ſanitatem acquirens fonticulum in femore per plures annos cum maximo fructu conſervavit.

OBSERVATIO XXXVII.

Vinculum linguæ unguibus malè diſruptum.

ANno M. DC. XXVIII. Die 11. Martii conjux *Jacobi* Zimmermanns peperit pulcherrimum filium, cui obſtetrix, cujus famæ parco, ligamentum unguibus more ſuo incidit, ut in futurum articulatè loqui poſſet. Huic operationi ſucceſſit dolor & inflammatio, quæ papillarum apprehenſionem, vel lactis potius ſuctionem fœtui prohibuit. Parentes lactendi impotentiam linguæ vinculo adſcripſerunt, & exiſtimantes, quod

quod obſtetrix linguam nondum ſatis à vinculo ſuo liberarit, vocarunt Chirurgum, qui pari imprudentia ligamentum & vaſa linguæ incidit, è quibus ſanguis in aſperam arteriam defluxit, & ægrum tertia die ſuffocavit. Extincto infante, mater cœpit conqueri de tumoribus mammarum à lacte concreto, quorum dexter malè tractatus tandem degeneravit in *Cancrum exulceratum*, & fœminam, poſt perpeſſos graviſſimos dolores, enecavit.

Fœmella quædam recens nata, poſtquam ipſi Chirurgus vinculum linguæ phlebotomo vulgari incidiſſet, propter dolorem linguæ parum lactis materni ſugere potuit. Lacte in mamma dextra concreſcente, mater fœtum admovit papillæ ſiniſtræ, qui, mitigato prius dolore, lac in utramque traxit mammam, ita ut tumor ex concreto lacte durus minimè emolliri, & reſolvi potuerit, niſi fœmella ablactaretur. Quo facto, mater in filiola obſervavit vertebras dorſi verſus dextram diſtortas, cui diſtorſioni vix emendabili anſam præbuit fœtus unicæ papillæ admotio. Ex his duobus ſaltem exemplis ſatis apparet, quam periculosè vinculum linguæ unguibus obſtetricum, & Chirurgorum phlebotomo ſæpè dilaceretur, & quanti facienda ſit legitima hujus vinculi Chirurgia, quam multis cum Animadverſionibus nobis propoſuit *Hieronym. Fabricius ab Aquapend. de qua vid. Tabul. XXXIII. Fig. III. & IV.*

OBSERVATIO XXXVIII.

Facies pulvere tormentario combuſta.

ANno M. DC. XXXVIII. Menſe Novembris, *Sigiſmundi* Reſchen/ aromatarii Ulmenſis filius, Matthæus in taberna ſua depoſuit ollam vivis carbonibus repletam prope ſcrinium, in quo reconditæ fuerant decem libræ civiles pulveris tormentarii. Hinc Africus violentior adſpirans ſcintillam ex olla in ſcrinium nullo operculo contectum detulit, ex qua pulvis accenſus pueri manus calefacturi faciem ita combuſſit, ut neque oculorum palpebras attollere, neque cibum & potum vel manibus apprehendere, vel ore accipere potuiſſet. Parentes de pueri reſtitutione valdè ſolliciti meum conſilium primâ læſionis horâ petierunt, quibus ut pro virili ſatisfacerem, præſcripſi ſingulare linimentum, quo ſolo Chirurgus, *Georgius* Riedlin partes læſas quater in die inunxit, & ſeptimanæ ſpatio ingentem illam combuſtionem, nulla remanente cicatrice, curavit:

℞. Butyr. recent. novies vel ſæpius liquefacti, & in aqua è ſpermate ranarum deſtillata loti. ℥vj.
Ol. de vitell. ovor. ℥ij.
M. f. Linimentum,

Quod in quibusvis ex hac cauſa combuſtionibus empyrevma extinguit, inflammationem mitigat, puſtulas prohibet, ſimulque dolorem lenit. Simile huic linimentum tradit *Petrus Joann. Faber* curatione XVII. ad faciem pulvere tormentario uſtam, quod componitur ex oleo Saturni, & de vitellis ovorum parato.

In reliquis combustionibus omnia superat linimentum illud, quod omnibonus Ferrarius de arte Medica infantum l. 4. c. 25. commendat, & ego multoties felicissimo successu ambustis adhibui, prout ipse Autor præscripsit.

℞. *Album. ovor. ij.*
Ol. rosat. ℥ij.
Aqu. rosar. ℥j.

Misce, & simul omnia optimè conquassentur: postea panniculus albus, subtilissimus aut lini aut serici, qui non sit nimis strictæ texturæ, madefactus prius in dicto linimento superponatur loco ambusto, & ligetur, & nunquam auferatur, donec convalescat, sed quotidie bis, terve sine remotione ipsius panniculi locus affectus super ipsum panniculum inungatur & illinatur; transacto verò principio, & hoc usque ad diem combustionis quartum, loco albuminis ovorum, ponantur & conquassentur in dicto linimento vitelli ovorum, & semper super ipsum panniculum inungito, donec videatur cutis regeneratio nova fieri; tunc verò eum forfice paulatim de die in diem, ubi nova cutis ipsa & sanitas apparuerit, panniculum incidere debemus, adeò, ut totus paulatim auferatur, quo ablato, videbitur locus affectus, procul dubio, sine ullo signo permanere.

OBSERVATIO XXXIX.

Scrofulæ totum collum occupantes.

ANno M DC.XXXI. Mense Januarii Nobilissima matrona, & charissima conjux Domini Josaphat Königs / scrofulis totum collum occupantibus obnoxia, me in consilium vocavit, cui præscripsi pulverem mixtum ex partibus æqualibus sacchari, gingiberis & turpethi, qui pituitam, scrofularum conjunctam causam ex profundioribus & remotioribus locis peculiariter expurgat, ut testatur *Avicenna l. 4. Fen. 3. Tract. 2. c. 10.* quia tamen honestissimæ matronæ natura ab usu pulveris in vino sumendi maximè abhorruit, sequentem mixturam tribus vicibus citra nauseam assumsit.

℞. *Pulv. Turbith. ℈iiij.*
Gingib. Indic. cond. q. s.
M. in form. Elect.

Corpore ab humoribus crassis sufficienter expurgato, parti affectæ apposui ceratum oxelæum emollitum oleo Logadorum, de lacertis parato, & cujus descriptio hæc est. *Accipiantur lacertæ virides vivæ, quantum placet, coquantur in oleo communi, donec comburantur, & oleum ab iis fiat nigrum. Colatura indatur vitro, & reponatur ad solem, usque dum fæces subsideant, oleum clarescat, & fuscum colorem acquirat*) & exhibui matronæ per triginta dies singulo mane drachmas sex de Electuario sequenti, quod Hercules Saxonia, & Joannes Prævotius tanquam longè certissimum ad curandas scrofulas remedium pro secreto habuerunt & ita pararunt. *Recipe lacertarum sive communium, sive viridium N. C. Abscissis capitibus & caudis, exemptisque interaneis infundantur in aceto*

vini

vini albi per se acerrimo & sine pipere facto per quatuor dies: deinde exiccentur & macerentur in alio aceto, siccenturque iterum in umbra, aut sole & in pulverem redigantur. Quo facto

℞. *Pulv. lacertar. ℥j.*
Mell. despum. ℥iij.
F. Mixtura.

De qua per 30. vel 40. dies pueris dentur pro dosi una ʒij. adultis verò ℥ß. ʒvj. vel ad summum ℥j. His remediis appositis & exhibitis nostra Patiens spatio mensis & dimidii à scrofulis dictis liberata fuit.

Mirificam unguenti, quod Fabricius ab Aquapendente libr. 2. Pentateuch. Chirurgic. c. 21. describit:

℞. *Ol. laurin. ℥j.*
Alum. Roch. ℥ß.
Sal. commun. ʒij. M.

Et ad scrofulas apertas commendat, virtutem expertus sum bis in quadam scilicet monacha & puella, quarum illa scrofulas habuit exulceratas in mamma, & hæc in collo. Joannes Riolanus l. 2. Antropograph. c. 15. de mesenterio scribit, scrofulas in corpore nunquam erumpere, nisi mesenterium strumosum fuerit, quod etiam testatur *Guido & Ingrassias.* Ejusmodi Mesenterium ferè innumerabilibus glandulis repletum reperi in Nobilissimæ Dominæ Altesheimerin cadavere, quod quoniam totus corporis habitus scrofulis quasi refertus erat, aperui, & in hydropis, qua obiit, causam inquisivi.

OBSERVATIO XL.

Angina cum respiratione difficillima & prohibita deglutione.

NObilis quædam fœmina Ulmensis Anno M.DC.XXVII. Die VII. Julii, menstruis ritè fluentibus, circa vesperam periculosa angina fuit correpta, quæ respirationem valdè difficilem reddebat, cibique & potus deglutionem denegabat. Huic vocatus subitò clysterem laxativum præscripsi, & eo rejecto sanguinis ℥iiij. ex vena brachii educi curavi. Die VIII. Julii horâ sextâ ante meridiem Patienti enema fortius fuit infusum, quo reddito Barbitonsor in lecto sedenti venas sub lingua incidit, & cucurbitulas siccas parti femorum domesticæ cum multa flamma affixit, hisque non solùm hodie, sed etiam heri usus est, ne per venarum superiorum incisionem purgatio menstrualis impediretur, & major ad partem affectam fieret attractio. Sanguine sufficienter extracto, cucurbitas removi, & Patienti gargarismum præscripsi, qui in omnibus periculosis anginarum speciebus, cùm adhuc in principio augmenti fuerint, maximè commendatur, si eo fauces inflammatæ sæpiùs in die colluantur.

℞. *Pulv. sinap. ℈jß.*
Aceti ex vino acerr. ℥j.
Aqua. plantag. ℥iij.
Sacch. albiss. ʒij.
M. F. Gargarismus,

Qui

Qui spatio horarum quatuordecim, partim humores repellendo, eosque partim resolvendo, Patientem morti proximam ab angina liberavit. Gargarismate solo, quod *Riverius Cent.4. Obs.76.* descripsit, & ob majorem Sinapis quantitatem validius superiori resolvit, nuperrimè citius curavi Nobilissimam Domini *Alberti Schleicheri* filiam, & *Matthæum* Scheiffelen/ Navitam Ulmensem, ædematosis tonsillarum inflammationibus correptos, & ob dolorem deglutire non potentes.

OBSERVATIO XLI.

Sinus thoracis subcutaneus.

Officialis quidam Cæsarianus Anno M.DC XXX. lethaliter sauciatus fuit in thorace, tribus digitis transversis infra claviculam dextram, & Ulmæ, in diversorio ad aratrum dicto, ferè curatus, ob errores in victus ratione commissos magna corripitur inflammatione, qua ad suppurationem ducta, fortè propter Chirurgi negligentiam degeneravit in sinum sub cute latissimum, & cujus fundus ad octavam usque costam descendit, ita ut neque Chirurgus, neque huic in subsidium vocatus Medicus pus in sinu collectum sufficienter, & prout necessum erat, expurgare potuerint, nisi ægrum cotidie in caput, pedibus sursum elevatis, collocarent. Cùm autem promissa sinus consolidatio nimis diu prottaheretur, æger ob quotidianam in caput conversionem jure impatiens me ab hospite sibi commendatum vocari jussit. Accersitus comparui, &, forma sinus explorata, mox totius subcutaneæ cavitatis proposui dissectionem, quæ scolopomachærio peracta felicissimè succedere solet. Hac Chirurgia autem ab ægro non concessa, recidit mihi in memoriam alius operandi modus, quo sinus hic ingens, ad facilitandum collecti puris exitum, in infima saltem parte, citò, tutò, & jucundè aperitur. Ideò ad hanc operationem orificium sinus nimis angustum penicillo ex gentiana parato dilatavi, instrumentique (*Tabul. XIV. Fig. IX.*) cuspidem globulo cereo probè munitam, inscio Patiente (*credebat enim me specillo ordinario adhuc semel exploraturum sinus quantitatem & qualitatem*) blandissimè immisi usque ad fundum, quem etiam citissimè perforavi. Perforato sinus fundo, instrumentum mox retractum ægro ostendi, & evacuatâ per datam viam materiâ, vulneri inferiori, seu recens facto imposui turundam cannabinam vitello & albumine ovi imbutam; superiori verò penicillum ex linteolo contortum & unguento de Bethonica infectum indidi, & desuper adhibito cerato diachalciteos, spleniosque quadruplici, totum deinde pectus commodo Sostrati vinculo (*Tab. XXXVI. Fig. VI.*) decenter (*superius scilicet arctè, in medio mediocriter, & inferius laxè*) deligavi. Postea vulnus recens aut inferius penicillo ex tela incerata cavo per aliquot dies apertum detinui, donec superius applicito cerato divino consolidaretur, sinusque parietes infusa mulsa detersi, beneficio non solùm spongiæ novæ, mollis, in vino rubro expressæ & adhibitæ, sed etiam, quantum licet arctæ, ligaturæ (*quam Galenus cataphractam appellat, & Tab. XXXVI. Fig. VII. ostendit*) conglutinarentur. Sinu agglutinato, penicillum cavum quotidie minui, & ulcus tandem cicatrice

obduxi.

obduxi. Hic curandi modus optimè succedit, quando sinus est recens; cùm verò is callum contraxit, voto non respondet curatio.

OBSERVATIO XLII.

Fistula thoracis exedentibus curata.

ANno M.DC.XLIII. *Joann. Jacobus Wolfius*, adolescens octodecim annorum Heilbronnensis, in dextro thoracis latere passus est tumorem durum, qui ad suppurationem ductus, & à Chirurgis malè tractatus in sinum callosum, seu fistulam degeneravit, quam Chirurgi Heilbronnenses, ut morbum desperatum, solius naturæ negotio reliquerunt. Patiens à tutoribus suis Ulmam missus meum consilium expetiit & operam, dataque manu obedientiam promisit. Ego verò, præmissis universalibus, ordinataque convenienti victus ratione, ad explorandam hujus fistulæ quantitatem & qualitatem, orificium ejus angustissimum medulla sambuci vehementer contorta dilatavi in tantum, ut facilè admitteret specillum rotundum, quo blandè immisso ex corruptione asperam costæ marginem tetigi. Ad consumendum callum fistulæ immisi penicillum ex linteo convoluto paratum, & sequenti unguento imbutum.

℞. Pulv. semin. hyoscyam. ℈j.
Alumin. ust.
Vitriol. ust. a ℈jß.
Butyr. in aqu. plant. lot. q. s.
M. & f. Unguentum.

Extirpato callo, fistulæ turundam lineam (*cujus apicem decocto divino madefactum euphorbio pulverisato conspersi ad corrigendam costæ cariem, reliquum verò turundæ ad calli regenerationem prohibendam sequenti unguento oblinivi:*
℞. Ung. de Beth. ℥j.
Ægypt. simpl. ʒij. *M.*)
Quotidie imposui, donec costa corrupta post duos menses, squamulas aliquot protruserit, quibus exemptis, turundam cotidie minorem, soloque bethonicæ unguento infectam applicui, donec ulcus solidâ carne repletum cicatricem beneficio cerati divini inducendum requireret. His topicis æger, & vino medicato pristinam sanitatem consecutus Ulma discessit, &c.

OBSERVATIO XLIII.

Fistula mammæ dextræ exesa.

Villana quædam puerpera ex concretione lactis in mamma dextra passa est inflammationem, quæ nimiis resolventibus indurata, adhibitis inconvenientibus remediis degeneravit primò in abscessum, & tandem in fistulam cum callo angusti orificii profundam. Quapropter Chirurgo Patientis ordinario consului, ut purgato per panchyma-

chyma-

chymagogon aliquod corpore, fistulæ orificium angustum turundis ex gentiana paratis sufficienter dilataret, postea callum semel imposita turunda linea & unguento sequenti imbuta consumeret.

(℞. *Mercur. præcip.*
Alumin. ust.
Virid. ær.
Sal. nitr. a. p. æqual.
Album. ovor. agit. q. s.
M. & f. unguentum.

Quod fistularum callos citò quidem, sed in partibus præcipuè nervosis, & exquisito sensu præditis non adeò jucundè & tutò extirpat) eoque consumpto ulcus unguento Ægyptiaco Mesue mundificaret, mundificatum unguento de Bethonica incarnaret, incarnatum cerato divino consolidaret, tumorisque duri reliquias cerato oxelæo resolveret. Chirurgus dato consilio obtemperavit, & Patiens exinde sanitatem exoptatissimam brevi recuperavit. *Tumoribus ex lacte coagulato duris medetur emplastrum de spermate ceti, quod Mynsichtus describit, & ego in quatuor matronis ablactantibus bono successu expertus sum.*

OBSERVATIO XLIV.

Cancer mammæ exulceratus, & scalpello abscissus.

RElìgiosissima Domina, Domina ANNA SIBYLLA, *Abbatissa Ursprìngensis*, quadraginta circiter annorum, temperamenti calidi & parum sicci, ante quinquennium ex mensium suppressione laborare cœpit, & in mamma sinistra tuberculum ipsi ortum est durum, nigrum & ita dolorificum, ut Barbitonsoris opem implorare cogeretur, qui tuberculi istius duritiem, non intellectâ causâ, emollientibus & humectantibus emollire & resolvere conatus est: sed hac ratione non modò nullam opem tulit, verùm potius miseram Abbatissam in majorem calamitatem præcipitavit: scimus enim ex nostro Sennerto, & aliis ante ipsum Autoribus, *Cancrum* emollientibus medicamentis tractatum exasperari. Dum emollientibus tuberculum non cessit, Balneator illius excisionem proponit, & dum concessam instituit, ac mammam cruore manantem videt, lepore timidior aufugit, & cruentam fereque mortuam Abbatissam dereliquit ita, ut sorores monasterii propter balneatoris aufugium præ anxietate fuerint coactæ sanguinem ex vulnere profluentem sistere, & ægram aquis corroborantibus reficere. Ab hac incisione integra mamma exulcerari cœpit, & in horrendam magnitudinem excrevit cum fœtore, ac si acetum cum carne mixtum esset, & vehementissimo dolore, quem cum Domina Abbatissa, febre jam ob viciniam cordis ingenti correpta, longius perferre non potuisset, Seffling am venit, ac ibi meum & Nobilis & Clarissimi Viri, *Domini Joann. Reguli Villingeri*, Medici experientissimi, affinisque mei plurimum honorandi consilium & auxilium imploravit. Nos prima visitatione, primoque intuitu malum ex odore, tumore & ortu judicavimus esse *Cancrum*, cui cùm aliter, nisi totius mammæ abscissione mederi non posset, de hac Dominam Abbatissam admonuimus, ut sectionem forti animo & spe certissimæ salutis (cùm *Cancer* radices profundas nondum habuerit, & tempus menstruorum ætatis ratione jam præterlapsum fuerit) ferè momentaneam sustineret. Hac in propositam operationem consentiente, ego mammam exulceratâ (ob summum fœtorem, magnam putredinem, & ingentem dolorem) lavi decocto divino, ipsique pulverem ex alumine usto, tutia præparata, lapide chrysolito & scordio paratum inspersi, & desuper ceratum oxelæum linimento simplici mixtum applicui.

℞. *Cerat. oxelæi.*
Linimen. simpl. a. ℥j.
Ol. myrtin. ʒij.
M. in mortar. plumb. calid.

Præscripsimus etiam vinum catharticum ex medicamentis hydragogis & melanagogis, ut corpus à vitiosis humoribus per epicrasin expurgaretur. Finito vini usu, Dominæ Abbatissæ secta fuit vena mediana dextri brachii, at emissus sanguis in paucissima saltem quantitate, eum modò in finem, ut ejus scilicet substantiam & qualitates inspicere & considerare possemus. Fuit autem emissus sanguis adhuc satis serosus, & semiputridus, absque omni ferè fibrarum concretione. Quapropter Patiens usa est, bis in die, sequentis conditi portione:

(℞. *Conserv. Borrag.* ℥js.
Trochisc. de vip. ʒiiij.
Syr. corall. q. s.
M. pro condito)

Ut materia serosa & maligna à centro ad circumferentiam duceretur. A dictorum remediorum diligentissimo usu Patiens melius habuit, fœtorque mammæ & putredo omninò cessavit. Sic præparato & purgato corpore, Domina Abbatissa propositam mammæ abscissionem instanter petiit: unde, ne longiore operationis procrastinatione ulcus *Cancri* profundiora peteret, Anno M. DC. LI. Die XXV. Junii omnia necessaria præparavi, & XXVI. sectionem ita institui. Etsi in totius mammæ abscissione accipienda sit acus longa, anceps, acutissima, duo fila trahens, & trajicienda in infima mammæ basi; deinde fila utrinque alliganda & constringenda firmiter, ac si hæc non sufficiat, alia acus transmittenda sit, ejusque fila similiter liganda (*ut ex Tab. XXXVI. Fig. II. patet*) ad evitandum tamen maximum dolorem, qui ex duplici acuum trajectione suboritur, (fretus ego cognitione Anatomica) exhibui Patienti potiunculam ex confectione *alkermes*, *aqua cinnamomi*, *& cordialibus* paratam, deinde sine acuum transmissione mammam novo vinculo & variis capitibus prædito (*quod excogitavi*) ligatam in circumferentia tumoris erosi atramento scriptorio notavi. His factis, unico tractu scalpelli acutissimi mammam à musculo pectorali radicitùs (*ne mihi accideret, quod posthac cuidam Lithotomo evenisse Observatio proximè sequens docet*) abstuli, & hæmorrhagiam non statim à sectione suppressi, sed postquam omnis sanguis atrabilarius & adustus, qui in venis mammæ proximis continebatur, effluxerit: quare venas & arterias (*saltem corroborandi gratia*) cauterio ignito (*Tab. XXXVI. Fig. V.*) leviter inussi, & loco sic inusto

pulverem adstringentem Galeni & lapidis chrysoliti præparati, albumine ovi conquassato exceptum & filamentis aridis allitum imposui, & deligatura, quam Galenus & alii Autores Græci cataphractam appellant (*Tabul. XXXVI. Fig. VII.*) commodè firmavi. *Die* xxvII. Junii, subsistente sanguinis fluxu, mammæ decurtatæ non digestivum adhibui, sed ceratum divinum, ob partis humiditatem. *Die* xxvIII. nullus aderat dolor, nullumque inflammationis signum, nihilominus tamen Domina Abbatissa sumsit die xxIx. haustum vini laxativi, & xxx. portionem conditi viperini, ad vitiosorum humorum reliquias educendas & dissipandas. *Die* xxx. Junii Patiens Ulmam vecta est, & usque ad IV. Augusti optimè habuit, nunquam conquesta de ullo symptomate. *Die* vI. Augusti observavi aliquot carunculas albas in mamma, quamobrem interrogavi Dominam ægram, an non errorem in victus ratione commiserit? respondit se jussu Oeconomæ haustum vini, quod tamen interdictum fuit, bibisse. *Die* vIII. fuit vox Abbatissæ aspera, & statim mihi in mentem venit Hippocratis dictum libr. de glandul. *quibus per morbum aut aliam quandam calamitatem mamma aufertur, vox felox efficitur.* Die Ix. Domina Abbatissa, ob constipationem alvi, iterum usa est vino laxativo cum manna permixto. Die xIII. cùm eadem, animi gratia, gossipinas chyrothecas acu texeret, inferiorem mammæ partem, ob continuum brachii motum, miliaris herpes corripuit: quapropter hujusmodi exercitium interdiximus, & vinum medicatum Patienti præscripsimus, ut materia biliosa & acris à circumferentia ad centrum, & ab hoc extra corpus moveretur. Die xIv. Augusti in Dominæ Patientis sinistro pede supra genu (*Tab. XXV. Fig. II.*) & brachio dextro (*Tabul. XXV. Fig. II.*) fonticulum paravi ad revellendos humores acres, ne in principales corporis partes irruerent. Die xvI. ob summum aëris calorem, maximumque herpetis dicti pruritum facta est excrescentia carnis, unde per os sumsit Patiens syrupum:

℞. *Syr. ros. sol.* ℥ij.
Extract. Rhab. ʒj. ℈ß.
Diacarth. ℈ij.
Mag. Tart. ℈j.
Aqu. cichor. q. s.
M. pro syr. liquid.

A quo per novem vices bilem copiosissimè egessit. Excrescentiæ carnis pulvisculum ex Tutiæ & lapidis chrysoliti præparati a. ʒj. & albuminis usti ℈iiij. compositum, & filamentis aridis aspersum applicui, ac Herpeti miliari ob insignem pruritum (*post fomentum ex decocto foliorum malvæ in aqua fluviali paratum*) apposui ceratum citrinum: à quorum remediorum usu & excrescentia carnis fuit consumpta, & herpes miliaris cum suo pruritu penitùs evanuit. Die vII. Septembris uterque fonticulus suum fecit officium: à nono usque ad xv. Patiens de pilulis Aloeticis Hieronymi Fabricii ab Aquapendente (*quarum optimum præparandi modum docet Gregor. Horstius cent. problem. medic. Decad* 1. *quæst.* 8. *q.* 5.) ℈j. hora ante cænam usurpavit propter dolorem capitis & pigritiem alvi: & postea optimè valuit, cicatrice parti affectæ obducta. Die xxvIII. Septembris Patienti secta fuit iterum vena ad explorandum sanguinem, qui bonus, rubicundus & omnis putredinis expers fuit. Die vI. Octobris, ob sanitatem pristinam, lætissima Domina Abbatissa nobis gratias retulit maximas, & Ulma discessit.

OBSERVATIO XLV.

Carcinoma mammæ non radicitus excisum.

ANno M.DC.XLIII. Die Ix. Decembris, Inclyti Senatus Ulmani decreto, cum Chirurgis nostræ civitatis experientissimis, Georgio Riedlen & Joann. Georgio Bauler / visitavi *Matthiæ* Rettenbergers / cauponis Wiblingæ charissimam conjugem, quæ sinistro brachio maximè dolens nobis retulit, quod Vitus Knobloch / Lithotomus Nellingensis, ipsi tertia post partum septimana, cancrum mammæ sinistræ occultum, in præsentia cujusdam Medici Ulmensis, & Ezechielis Vogelii, Chirurgi non imperiti, citra antecedentis causæ præparationem & evacuationem novaculâ communi absciderit, duosque tumores sub axilla insignes quidem, & magnitudinem pugnæ adæquantes, musculis tamen non adhærentes, vasorum læsionem timens topicis resolvendos reliquerit. Elapsis duodecim diebus, Knoblochius, nullum ex resolventium usu fructum percipiens, tumorum anteriori apposuit causticum ex arsenico paratum, quod cum radicitus non exedit, sed propter neglectum defensivum tantos dolores excitavit, ut humores ex toto accurrentes brachium enormiter distenderent. Rebus ita stantibus, marito & adstantibus significavimus, miseram mulierem neque ferro, neque medicamentis restitui posse, sed ob relictos tumores certò perituram; quod etiam brevi sub cura Vogelii, Chirurgi, Patientis ordinarii, evenit: vires enim doloribus exhaustæ neque ferrum, neque purgantia concesserunt, doloresque nullo medicamento anodyno mitigari potuerunt. Malè itaque fecit tam Medicus, quam Lithotomus I. Quod *Cancri* curam tempore puerperii, quo corpus ab atrabilariis humoribus expurgare non licuit, aggressi fuerint. II. Quod malum non radicitùs ferro extirparint (*ignorantes Hippocratis aphorismum* 12. *sect.* 2. *quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere consueverunt*) sed potius arsenico, quod periculosum, imprudenter apposito, retractisque ab utero purgamentis exasperarint. III. Quod petitam curationem *Cancri* Anatomiæ peritis (*qui præmissis universalibus tumores malè quidem relictos, sed non profundè radicatos citra vasorm læsionem aut recidivæ periculum excidere potuissent*) non commiserint, excusantes se Hippocratis aphorismo 38. sect. 6. quibus occulti cancri seu non exulcerati adsunt, medicamentis externè adhibitis non curare melius est: curati enim citiùs intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.

OBSERVATIO XLVI.

Cancer mammæ parvus & occultus medicamentis resolutus.

ANno M. DC. XXXIV. Mense Septembri, *Barbara* Heyleren / Villica Bermenringensis mihi monstravit in sinistra mamma tumorem, qui à suppressis mensibus, nullis remediis, sed sola sectione extirpari posse videbatur: habebat enim omnia

Cancri signa, duritiem scilicet tantam, quæ ut certissimum signum digitis prementibus non cessit, dolorem acutum, rotunditatem, inæqualitatem, lividitatem, calorem, vasorumque in ambitu nigricantium protuberantiam. Propositam Chirurgiam Patiens recusavit, *Cancrumque* medicamentis externis attingere, præter Hippocratem, *Amatus etiam Lusitanus Cent.* 3. *curation.* 3: *prohibuit.* Nihilominus tamen, quoniam quosdam novi, qui selectorum remediorum usu à *Cancris occultis* & nondum magnis fuerunt liberati, Patienti exhibui potionem melanagogam:

℞. *Conf. Hamech.* ℥vj.
Extr. hell. nigr. ℈j.
Crem. Tart ℈ß.
Decoct fl. & fr. q. s. M.

Et doloribus in dorso ingruentibus è saphena sinistri pedis ℥vj. sanguinis eduxi. Hoc facto, corpus ab atrabilariis humoribus quasi tinctum decocto Magistrali & Observatione trigesima tertia descripto expurgavi, & post exquisitam corporis expurgationem tumori mammæ duro applicui ceratum *Joannis Prævotii*:

℞. *Farin. Milii* ℥ij.
Ol. rosar. compl. & in mort.
Plumb. duct. ℥j.
Pulv. plumb. crud. ℥ß.
Virg. aur.
Sonch.
Solan. a. ℥ij.
Cer. nov. ℥ij. ʒvj.
Resin. Pin. ʒx.
M. & f. Ceratum,

Quod, trimestri spatio, tumorem insensibiliter resolvit. Interim, cùm menses per biennium jam suppressi nullis medicamentis internis promoveri potuissent, Patienti in utriusque femoris parte interna inussi fonticulum, ea intentione, ut inter curam *Cancri* materia peccans ad inferiora revelleretur, quos tumore resoluto per annum apertos detinuit, ne humores in corpore denuo collecti aliam partem, vel externam, vel internam offenderent. Anno elapso, mulier infelix, quæ sibi ipsi sanissima videbatur, fonticulos consolidavit, & exin de novo tumore in mamma dextra conqueri cœpit, quo per ferrum radicitùs extirpato, repetiit decocti Magistralis usum, & ambos fonticulos renovavit, quos ad vitæ terminum gestare jussi: quod utrum fecerit, nescio.

OBSERVATIO XLVII.

Dolores Cancri in mamma mitigantur, iliumque intertrigo curatur.

CHarissima *Petri* Heilbronners *conjux* in dextra mamma habuit *Cancrum parvum & occultum*, in sinistra magnum & exulceratum. Occultum, finito decocti Magistralis

stralis usu, ceratum oxelæum in mortario plumbeo & calido circumductum diminuit exulcerati verò dolores atrocissimos præstantissimum illud *Cancri* anodynum (*mixtura scilicet ex linimento simplici, cerato oxelæo, & oleo myrtino parata*) Observ. 44. descriptum usque ad obitum Patientis mitigavit. Eadem Patiens singulis annis conquesta est de molestissima ilium intertrigine, quam nimia obesitas corporis causavit: huic enim ob deambulationes præsertim æstivas & sudores totius partes modò dictæ fuerunt collisæ, attritæ, excoriatæ & inflammatæ. Hanc autem excoriationem ipsa Patiens crebra per diem aquæ ex fluvio dulcis (*in qua decocta fuerant folia malvæ*) ablutione, & pulveris Enporisti inspersione, bidui spatio curavit.

℞. *Pulv. flor. Balaust.* ℥ß.
Ros. rubr.
Santal. rubr. a. ʒiij.
Comphor. ℈ß. *M.*

Pulvisculus idem infantum quoque phlogosin & excoriationem, ab acriusculo lacte provenientem & urina, quam citissimè sanat.

OBSERVATIO XLVIII.

Cancri ex obstructione vesiculæ felleæ, & ductus bilarii incurabiles.

ANno M. DC. XXII. aperui cadaver Nobilis cujusdam Galli, qui atrocissimis intestini coli doloribus consumtus obiit, & inveni intestinum colon *Cancro occulto* affectum, cujus causa, meo judicio, fuit obstructio pori bilarii. Hic enim ea parte, quâ duodeno inseritur, lapillo pisum magnum adæquante adeò obstructus fuit, ut ne tantillum bilis per eum expurgari potuerit: hanc tamen bilis copiam natura non ad universum corporis habitum, ut plerumq; solet, sed ad colon deposuit. Anno M. DC. XXIV. Die XXIV. Januarii in cadavere Dominæ *Catharinæ N. Venetæ*, quam *Cancer* uteri exulceratus è medio sustulit, reperi vesiculam felleam calculo instar crystalli pellucido repletam & distentam, ut nihil quicquam bilis recipere apta fuerit. Nihilominus tamen natura bilem quotidie genitam non ad corporis circumferentiam, sed ad uterum expulit. Ex duabus hisce Historiis etiam duo notanda videntur. I. Quod ad obstructum porum bilarium & cysticum non semper sequatur icteritia, sed bilis quandoque expellatur vel ad intestina, vel uterum, vel aliam partem nobilem. II. Lectio, quam habuit Excellentissimus Spigelius super hæc. Si Venetæ & Gallo exortus fuisset *Cancer* in mammis aut artubus, ulcus post radicalem ferro refectionem vix cicatrice potuisset obduci: vel eo curato, materia illa maligna invasisset partes principales, ægrisque post tres vel quatuor annos mortem intulisset. Ratio est in promptu, quia non potuit causa tolli, quæ fuit obstructio vesiculæ felleæ pertinax. Lienis observavi obstructionem in quadam muliere incurabilem, quæ, dum viveret, per aliquot annos passa est ulcus in pede dolorificum, quod, quotiescunque sanabatur, toties febrem quartanam induxit, donec humor, cujus collectio prohiberi non potuit, per inustum femori fonticulum quotidie

 evacua-

evacuaretur, atque hac ratione febris quartanæ, ut & ulceris in pede valdè dolentis exortus prohiberetur.

OBSERVATIO XLIX.

Exulceratio pectoris, ejusque dolor beneficio fonticuli in femore parati mitigatus.

JOhannes Glaser/ Nauta Ulmensis, octuagesimo ætatis anno conquestus est de insigni angustia, vehementissimoque pectoris dolore, ac pustulis in dextro thoracis latere subortis, quibus exulceratis dolor & angustia recessit. Patiens accersivit Chirurgum, ipsumque etiam atque etiam rogavit, ut ulcuscula illa satis molesta consolidaret. Ulceribus cicatrice obductis, rediit dolor & angustia circa pectus, ita ut æger multas septimanas insomnes habuerit. Rebus ita habentibus, in consilium vocatus interrogavi senem, an ulcera in pedibus diuturna habuerit? Adhæc respondit, se per integrum decennium ulcus magnum in tibia dextra sine motus impedimento circumgestasse, & ab eo tempore, quo illud sanaretur, primo angustiam, secundo dolorem, tertio pustulas, & tandem quarto pectoris ulcuscula percepisse. Ad humores igitur revellendos in femore pedis prius exulcerati fonticulum paravi instrumento Julii Casserii Placentini, cui altera die successit aliqualis inflammatio, propter quam Patientem de recuperanda salute sperare jussi. Escharâ ablatâ, fonticuloque suum officium faciente, dolor pectoris & respirandi difficultas paulatim remisit, ita ut æger triginta dierum spatio à dictis symptomatibus liberrimus evaserit, & per multos abhinc dies, imò per duos annos senili gavisus sanitate citra ullum obstaculum negotia sua obierit. Ex his Chirurgiæ tyrones discant volo, quanto cum periculo ulcera diuturna in senibus præsertim consolidentur, & quanta cum utilitate parti femoris domesticæ inurantur fonticuli, si errore vel Patientis, vel Chirurgi, ejusmodi ulcera, quæ per longum tempus vitiosos corporis humores effuderunt, cicatrice obducantur.

OBSERVATIO L.

Fistula thoracis cum erosione claviculæ.

ANno M.DC.XXVII. Die x. Novembris, ad me *Joannis Majeri*, civis & cupedinarii Ulmensis *Uxor Sabina* venit, monstrans tumorem cum fistula supra claviculam sinistram, cujus fistulæ orificium tam fuit angustum, ut vix alicujus aciculæ cuspidem admitteret. Hujus causam quærenti respondit ægra, quod ante semestre laborasset febre, quæ per abscessum in hanc partem judicata. Hunc abscessum Medicus aliàs exercitatissimus, & Matthæus Memminger Barbitonsor adhibitis maturantibus suppuratum medicamento tandem caustico, non citò tamen & jucundè *(eò quod per 36. horas applicitum atrocissimos dolores, crebrumque animi deliquium excitavit)* aperuerunt, & escharam, quæ magnitudinem thaleri imperialis adæquavit, phlebotomo vulgari violenter detra-

detraxerunt, quâ ablatâ, effluxit materia quædam fœtida & flava, at in pauca quantitate. Ulcus hoc per quatuor hebdomadas apertum tenentes tandem consolidarunt, remanente notabili tumore & duritie, quam naturæ negotio resolvendam reliquerunt. Post mensem & dimidium relictus tumor in magnitudinem prima multo majorem excrevit, quem maturantibus denuo usurpatis emollitum tunc cultro rasorio inciderunt, ut materia excluderetur, quæ iterum pauca & biliosa fuit: quâ exclusâ, vulnus, ut antea per primam intentionem consolidarunt. Sic tertia & quarta vice ferramento abscessum inciderunt & conglutinarunt, ne minimam de læsione ossis suspicionem habentes, quam tot recidivæ ipsis facillimè indicere potuissent, ita, ut vel tandem abscessus in fistulam degeneraret, ob quam Patiens, quotiescunque brachium sinistrum, vel etiam quemcunque pedem parum movebat, atrocissimos cruciatus & syncopen passa est. Huic ita narranti, & meum auxilium roganti medicamenta præscripsi, quæ evacuarent biliosos humores, in toto corpore abundantes: horum enim copiam demonstrabant constitutio corporis calida & sicca, febris acutissima antecedens, flavus totius corporis color, & ipsa materia flava, quæ per fistulæ orificium quasi transudavit. Corpore præparato, & repetitis vicibus cholagogo optimè expurgato, fistulam angustissimam dilatavi, non ferramentis incisoriis *(quibus non solùm musculus pectoralis, ex præcedentibus incisionibus satis læsus, magis offenderetur, verùm etiam timor esset, ne iis sinistrè adhibitis vasa jugularia dissecta vel parum læsa, vitam cum sanguine effunderent)* sed turunda ex radice gentianæ præparata *(hoc est, in turundæ formam accommodata, supra fornacem calefactam exiccata, & in altera extremitatum filo alligata)* quam foramini imposui, eam detinendo Emplastro Diapalmæ ac deligatura cataphractæ *(Tab. XXXVI Fig. VII.)* & relinquendo in fistula per diem naturalem. Sequenti die radicem ab ichore bilioso tumefactam, & imo apice denigratam volsella exemi, & specilli rotunda extremitate sinus qualitatem, & coloris hujus causam investigans, ossis claviculæ portionem asperam reperi & mobilem. Quare pro adhuc majore foraminis dilatatione radicem priore crassiorem fistulæ immisi, desuper applicans ceratum diachalciteos, & dictam ligaturæ speciem, inungens quoque partes vicinas, ad detinendam radicem & prohibendam inflammationem, quam dolor ex dilatatione subortus, licet tam vehemens non fuerit, facilè attrahere potuisset. *Tertio die* gentianam, iterum prioribus majorem, intrusi, & sic consequenter, quotidie auxi magnitudinem turundæ, usque dum foramen, pro remotione ossis jam ferè separati, sufficiens visum fuerit. *Sexto die* fistulam globulis ex spongia paratis, filoque alligatis, ut extrahi possint, implevi, propendentibus filis de foramine, & desuper imposito emplastro diapalmæ, cum ligatura cataphractæ & partium vicinarum inunctione. Præparatio globulorum hæc est: Sumatur spongia nova & aqua dulci nunquam madefacta, intingatur in ceræ & resinæ partibus æqualibus commixtis & liquefactis, postea sub prælo fortiter exprimatur, & in umbra siccetur: exiccata conscindatur in globulos rotundos cum filo annexo. *Septimo die*, remotis spongiolis, fistula fuit amplissima, per quam ossiculum volsellæ dentibus arreptum absque singulari dolore extraxi. *Octavo die*, subsistente sanguine, ossi sano & detecto pulverem sequentem inspersi:

℞. *Rad. Irid. Flor.*
Aristol. rot.
Pencedan a. ℈js.
Euphorb. ℈ß.
Myrrh. ℈j. *M. F. Pulvis.*

Filamenta carpta & sicca apposui, donec firmissima carne fuerit obductum. Ulcus verò sacchari albissimi pulvere (*quod etiam bilis acrimoniam mitigat*) quotidie insperso detersi, & tandem emplastro Diapalmæ ad cicatricem duxi. Duritiei remanenti pro more applicui emplastrum oxelæum, cum linteo triplici, in vino decoctionis roborantium expresso, & ligaturam convenientem, ut reliquiæ discuterentur, & novus ad partem adhuc satis debilem affluxus humorum prohiberetur. Hac ratione intra mensem & quatuordecim dies felicissimè mulierem ab affectu periculosissimo pariter & molestissimo liberavi, ut testabitur Patiens adhuc superstes, quæ cum Georgio Hebichio, tinctore, in altero conjugio jam per decennium saluberrimè vixit.

OBSERVATIO LI.

Vulnera thoracis scalpello dilatata.

ANno M. DC. XXVII. Die v. Decembris, *Adamus* N. *Barbitonsor Eisingensis*, me convenit, mihique narravit, Reverendum Dominum, Gallum Schnitzer/ Parochum suum, heri post cænam à milite quodam Cæsariano vulnera duo accepisse, quorum unum sit in dextra inferioris maxillæ parte, alterum in dorso prope vertebras, *inter tertiam & quartam thoracis costam, (seu in eo costarum interstitio, quod Hippocrates ad paracètesin eligit, Tab. XXXVI. Fig. II o)* lateris dextri, in cavitatem thoracis penetrans, usq; ad supremam ejusdem lateris costam (*paulò scilicet inferius, quàm ubi clavicula summæ ossis sterni extremitati annectitur*) cum læsione pulmonum & vasorum intercostalium, quam subsecuta sunt hæc symptomata: Animi grave deliquium, magna respirationis difficultas, sudores frigidi, & dolores circa pectus maximi. Vulnus in dorso acceptum Barbitonsor obligavit turunda, albumine ovi agitato oblita, & inter membranam saltem carnosam & musculum ani scalptorem imposita, & desuper adhibuit Emplastrum stipticum Crollii. Vulnus maxillæ inferioris erat simplex, quare ipsi adhibuit Ceratum Diapalmæ *Die VI. Decembris* vocatus inveni vulneratum, de magna respirationis difficultate, sævissimisque doloribus, quos tam in parte pectoris anteriore, quam posteriore percipiebat, conquerentem. Quapropter dorsi vulnus, quod valdè erat angustum, specillo obtuso exploravi, an in cavitatem penetret nec ne? Cùm autem specillo pervenirem in thoracis cavum, de magna sanguinis intra thoracem collectione (*ob quam vulneratus difficillimè respirat*) certus, statim ad sistendum sanguinem, qui è pulmonibus læsis profluit, in thoracis cavitatem siphone sequentem infudi mixturam:

℞. *Pulv. adstr. Galen.* ʒj.
Lapid. chrys. ppt. ℈j.

Album.

Album. ovor. iiij.
Agitatis add.
Aqu. plantag. q. s.
M. pro injectione.

Vulneri imposui turundam filo alligatam & spissiore stegnotico oblinitam, ne angustius fiat, & vasa intercostalia ulterius sanguinem profundendo collectionem augeant. Desuper applicui ceratum diapalmæ, & linteum in vino rubro expressum, cum convenienti ligatura, (*quam Sostrati vinculum Tab. XXXVI. Fig. VI. vocant*) partim ad detinendum turundam, partim ad prohibendam inflammationem. Ad hæmorrhagiam compescendam viresque reficiendas præscripsi sequens conditum, ut æger, sæpius per diem, aliquam ejus portionem sumat:

℞. *Conserv Symph.* ʒvj.
Rosar. antiqu. ℥j.
Trochisc. de terr. sigill.
Charab. a. ℈j.
Bol. armen. ppt. ℈ij.
Marg. ppt. ℈js.
Sacch. ros tab.
Syr. granat. a. q. s.
M. pro condito.

Ad sitim levandum, caloremque temperandum ordinavi julepum refrigerantem & adstringentem:

℞. *Syr. granat.*
Myrtin. a. ℥j.
Aqu. Veronic.
Plantag.
Prunell.
Cichor. a. ℥iij.
Specier. diamarg. frig. ℈js.
M. pro duabus dosibus.

Horâ quintâ post meridiem vulneratus ob dolorem pectoris, & majorem hæmorrhagiæ internæ metum, sumpsit laudani opiati cum Magisteriis grana tria, à quibus per quatuor horas placidè dormivit. *Die VII. Decembris* Patiens ob infimi ventris dolorem admisit Enema anodynum & laxativum.

℞. *Radic. Alth.*
Torment. a. ℥ß.
Herb. Agrimon.
Veron.
Malv.
Violar.
Flor. Chamom. a. Mj.

 Sem.

Sem. Lin.
Fœnugr. a. ℥ß.
Anis.
Fœnic. a. ʒjs.
Uvar. passar. ℥ß.
Coqu. in s. q. aqu. font. ad ℥x.
Colatur. add.
Mell. ros. sol. ℥iij.
Ol. violat. ℥ijs.
M. pro Enemate.

A quo bis excrevit materiam biliosam & serosam. Post enematis rejectionem ipsi incisa fuit vena basilica lateris læsi & eductus sanguis ad ℥iiij. Hora tertia post meridiem extraxi turundam die sexto impositam, sed ob vulneris angustiam nihil effluxit: quapropter vulnus scalpello dilatavi (*Tab. XXXVI. Figur. VII.*) ut materia in thorace collecta & difficilem faciens respirationem liberum haberet exitum Statim post vulneris dilatationem libra una sanguinis adeò fervidi effluxit, ut profluens Patientem magis ureret, quam accensa candela. Sanguinis libra evacuata, thoraci iterum injeci mixturam supra descriptam, venas scilicet internas & sanguinem fundentes constringentem. Vulneri autem immisi turundam filo annexam, atque stegnotico medicamento inquinatam. Ad dolorem pectoris mitigandum præscripsi sequens unguentum anodynum:

℞. *Ungu. pect.* ℥j.
Ol. amygd. dulc.
Chamomill.
Lumb. terr. a. ʒjs.
M. ad ollam.

Die VIII. *Decembris*, ob sanguinem in thorace contentum, febris ægri major fuit, quam diebus præteritis. Soluto Sostrati vinculo, & turundâ extractâ, sanguinis libra integra, & vesperi horâ septimâ iterum libra una & semis effluxit. Circa decimam noctis horam æger sequentem assumpsit emulsionem, à qua iterum tres horas dormivit.

℞. *Semin. melon. excort.* ℥ß.
Lactuc.
Papav. alb. a. ℈j.
Aqu. Fragar.
Pimpinell.
Veronic. a. ℥iiij.
F. Emuls. cui add.
Specier. diamarg. frig. ℈js.
Syr. viol. ℥ij.
M. pro duab. dosibus.

Ad difficultatem respirandi & dolorem pectoris (*cujus causa erat magnus sanguinis in cavitatem effluxus*) sæpissimè aliquot cochlearia sumpsit de sequenti mixtura:

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Veronic.* ℥iij.
Pimpinell.
Cichor.
Plantag.
Ceras. nigr. a. ℥ß.
Lapid. Bez. gr. viij.
Hæmatid. ℈ß.
Terr. sigillat. ℈j.
Corall. rub. ppt.
Marg. ppt. a. ℈ß.
Man. christ. perl. ℥ß.
M. ad vitrum.

Die IX. *Decembris*, religato vulnere, iterum libra una & dimidia sanguinis effluxit; respiratio facilior fuit, quam diebus præteritis, ob id præscripsi decoctum vulnerarium.

℞. *Hord. integr. excort.* P. j.
Fol. Fragar.
Vinc. perv.
Bugul.
Pimpinell.
Veronic.
Cichor.
Fars.
Pilosell.
Verben.
Equis. a. Mß.
Rad. rub. tinct.
Torment. a. ℥ß.
Liquirit. ras. ʒiij.
Aqu. Fontan. ℔vj.
Vin. alb. ℔iij.
Coquantur ad consumptionem medietatis, & in fine ebullitionis add.
mell. ros. col. ℥iij.
M. & colentur.

De quo Patiens mane horâ septimâ ℥iiij. & vesperi horâ quartâ ℥iij. sumpsit. Potus ordinarius erat aqua hordei cum herbis vulnerariis decocta. *Die* X. *Decembris* æger aliquantulum melius habuit, & libra una sanguinis de vulnere effluxit. Vesperi, ob dolorem circa regionem umbilici, injectus fuit clyster suprà descriptus. Turundam vulneri immittendam obduxi digestivo.

℞. *Tereb. lot. in aq. plant.* ʒjs.
Ol. lumbr. terrestr. ʒj.
Vitell. ovi unius
M. in form. Linim.

Die XI. *Decembris* fuit pulsus omninò æqualis, & tam mane quam vesperi ℥viiij. puris sanguine mixti effluxerunt. *Die* XII. *Decembris* de vulnere iterum libra una puris finceri effluxit, & Patiens conquestus est de tussi, propter quam præscripsi Ecclagma:

℞. *Loch. de pulm. vulp.*
San. & exp. a. ℥vj.
Syr. de farf.
Ros. sicc.
Veron a. ℥j.
Pulv. Hyssop. ℈js.
Flor. sulphur. ben. purg. ℈j.
Troch. de spod. ℈js.
M. & dent. c. bacul. liquir.

De quo sæpiùs aliquid sumsit. Interim ob fœtorem puris non fuerunt neglectæ injectiones ex decoctione scordii, hordeique, & melle rosarum colato. *Die* XIV. *Decembris* puris cocti libra ex thoracis cavitate fluxit, & æger melius, quam die præterito, habuit. *Die* XV. per vulnus effluxit libra dimidia puris optimè cocti cum aliquot pulmonum particulis, asperæ arteriæ ramos evidentissimè inspicere licuit. *Die* XVI. & XVII. *Decembris* pus effluens iterum fuit coctum. Patiens propter tussim & amaritudinem oris duabus ante prandium horis sumsit sequentem bolum,

℞. *Flor. cass. rec. extr.* ℥j.
Specier. diamarg. frig. ℈ß.
Agaric. troch. ℈ij.
Rhab. elect. ℈j.
C. sacch. F. Bol.

A quo ter quaterve dejecit. *Die* XVIII. æger melius habuit, quam diebus præteritis. *Die* XIX. puris fœtidi ℥iiij. effluxerunt, quapropter cavitatem thoracis elui injectione ex scordio, hordeo & malle rosarum parata. *Die* XX. *Decembris* pus in minore quantitate exivit, neque fœtor tam magnus fuit, ut die præterito. *Die* XXI. urina non ampliùs fuit biliosa, & ægroto de tussi valdè conquerenti ordinavi sequens lambitivum.

℞. *Radic. symph. decoctor. contus. & per cribrum trajector.* ℥ij.
Specier. diatr. frigid.
Succ. liquir. insp.
Sacch. penid. a. ℥ß.
Syr. liquir.
Violar. a. q. s.
M pro Lambitiv.

Die XXII. tussis & fœtor puris remisit, ita ut tota injectio per viginti quatuor horas in cavo thoracis relicta à calore non fuerit mutata. *Die* XXIII. *Decembris* æger benè habuit, urina etiam planè naturalis fuit. *Die* III. *Januarii* Anni 1628. æger conquestus est de dolore vulneris, quod inspexi, & inveni cannulam (*I. Tab. XXXV. Fig. III. & IV.*) à carne optima extrusam: ob id, & quia nihil puris ampliùs effluxit, removi cannulam, & impo-

posui turundam ex linteo incerato cavam, unguentoque de Bethonica oblinitam, & quotidie bis de sequenti decocto in cavitatem thoracis siphone injeci, ad consolidandas & corroborandas partes internas.

℞. *Hord. integr. exc. M*ß.
Rad. consol. maj.
Tormentill. a. ℥ß.
Herb. Veron.
Pimpinell.
Pilosell.
Alchimell.
Consol. Sarac.
Bugul.
Verben.
Vinc. perv.
Fragar.
*Scord. a. M*ß.
Sem. cich. ℥ß.
Aqu. Fontan. ℔vj.
Vin. alb. ℔j.
Coqu. ad tert. part. cons.
Colatur. add.
Mell. rosar. col. ℥js.
M. pro injectione.

Die IX. *Januarij*, qui erat XXXVI. læsionis, vulnus omninò consolidatum fuit, & Patiens pristinæ sanitati restitutus, rursus in publicum prodiit.

ANno M DC. XXXI. Die XXII. Novembr. *Joann. Georgius* Kostnizer / Hippoporopæus Ulmensis, in sinistro latere inter sextam & septimam costam thoracis accepit vulnus, quod sine partium internarum læsione penetrabat, angustissimum, ita ut nullam turundam admitteret. Quapropter accersitus illud statim dilatavi scalpello (*Tab. XXXV. Fig. VII.*) ut sanguis in cavitatem prolapsus & pectoris angustiam efficiens convenienter possit expurgari. Evacuatâ per vulnus dilatatum sanguinis quantitate, quam vires oppressæ concedebant, vulneri imposui turundam ex lino crudo confectam, remedio sanguinem sistente infectam, filoque longo alligatam, &, præmisso clystere laxativo, sanguinem è vena mediana sinistri brachii Chirurgus eduxit. Sequentibus diebus, mane & vesperi, vulnus religavi, illique, emissâ prius conveniente sanguinis quantitate, turundam digestivo, in prioribus Observationibus sæpè jam proposito, imbutam immisi, donec evacuatâ omni materiâ, vulnus bonum coqueret pus. Ultimo plagæ adhibui cannulam ex linteo incerato cavam, & medicamento sarcotico inunctam, quam quotidie tenuiorem & breviorem paravi, usque dum vulnus solidâ carne repletum cicatricem requireret, postea cerato divino inductam.

OBSERVATIO LII.

Empyema per thoracis apertionem & diareticorum exhibitionem feliciter curatum.

ANno M. DC. XXV. *Nicolao* Kohlern / civi & nautæ Ulmensi violenter apertus fuit thorax in dorso, inter quartam & quintam à suprema costam, cultro panario, qui pulmones adeò læsit, ut Patiens præter sanguinis spatum de magna respirandi difficultate statim conquereretur. Primâ læsionis horâ accersitus in cavitatem thoracis siphone injeci mixturam stegnoticam (ex pulvere adstring. Galen. albuminibus ovor. & aqu. plantagin. paratam) & vulnus impositâ turundâ conservavi apertum. Ad virium instaurationem & sanguinis compressionem præscripsi electuarium:

℞. *Cons. rosar. antiqu.*
Symph. a. ℥ß.
Trochisc. de charab.
Terr. sigill.
Corall. rubr. ppt. a. ℈j.
Marg. ppt. ℈ß.
Syr. myrth. q. s.
M. pro Elect.)

Et victum tenuem. Discedens adstantibus indicavi, Patientem certò periturum, nisi paulò inferiùs novum vulnus quamprimum scalpello paretur. Adstantes recusarunt sectionem. Mane igitur proximo ipsi ægroto proposui paracentesin in loco Hippocratis instituendam, qui statim in ipsam consensit, eaque mediante, aliisque remediis non neglectis, felicissimè restitutus per annos aliquot integerrima vixit sanitate.

Anno M. DC. XXXI. Affinis meus, *Valentinus* Dettelbacher/ Pistor Ulmensis, in diversorio ad solem nuptialis sibi ipsi cultrum sub papilla sinistra in thoracis cavitatem adegit, citra tamen læsionem partium contentarum. Quapropter vulneri statim vocatus turundam stegnotico communi imbutam imposui, spleniumque in vino nigro & austero expressum Sostrati fascia (*Tab. XXXVI. Fig. VI.*) alligavi. Quo facto clysterem laxativum injici, & sanguinem è brachio educi curavi. Deinde materia partim per vulnus, partim per vias urinarias expurgata, plagam internis & externis medicamentis jam propositis, infraque multoties proponendis injectionibus, emulsionibus & decoctis vulnerariis consolidavi.

(o)

OBSERVATIO LIII.

Empyematis per diaretica felix curatio.

ANno M. DC. XXXVIII. Die XXIV. Junii, in Festo Divi Johannis Baptistæ, hora 7. vespertina, Dominus *Johannes Maschque* Capitaneus benè potus in monomachia vulneratus est à Domino Georg. Ludovici de Grien/ Legato seu Vicario militum, in dextro musculo pectorali, duorum digitorum transversorum infra claviculam, vulnere penetrante in cavitatem thoracis, cum insigni hæmorrhagia, animi deliquio, convulsione, stertore, sudore frigida, ἀσφυξία, & risu sardonico. Et sic vulneratus ultra dimidiam horam sine sensu & motu jacuit. In hoc periculoso Patientis casu conjugi ejus & filiæ charissimis dixi, prædicta symptomata esse præludia mortis. In mentem namque mihi venit Aphorismus Hippocratis 9. sect. 7. *A sanguinis profluvio desipientia, aut etiam convulsio malum.* Nihilominus tamen præscripsi aquam cordialem & odoriferam, suppositorium acre, & pulverem adstringentem Galeni.

℞. *Aqu. ceras. nigr.* ℥iiij.
Anhaltin. ʒj.
Lapid. Bezoart. ℈j.
Corall. rubr. ppt. ℈jß.
Lapid. chrys. ppt. ℈j.
Sacch. perlat. ʒß.
M. pro aqu. cordiali.

De qua Patiens crebrò cochlear sumsit. Revulsionis gratia ano inditum fuit suppositorium acre, naribus verò & carpis aqua odorifera Fuchsii, aceto rutaceo permixta sæpiùs adhibita. Vulneri turundam ex lino crudo confectam, ovi albumine agitato imbutam, & pulvere Galeni stegnotico aspersam imposui, &, desuper apposito splenio in vino rubro expresso, pectus fasciâ, ad claviculam Galeni, convenienter obligavi. Sic deligatus æger totam noctem quietè transegit, & crapulam edormivit. Secundo læsionis die, ob angustiam pectoris in dextro latere perceptam, & dolorem circa diaphragma, aperta fuit vena mediana lateris vulnerati, & emissus sanguis ad uncias quatuor. Vesperi ad mitigandum urinæ ardorem æger sumsit dimidiam partem sequentis emulsionis:

℞. *Sem. melon. exc.* ℥j.
Aqu. pimpinell.
Fragar.
Veronic.
Ceras. nigr. a. ℥ijs.
Fiat emulsio, cui add.
Corall. rubr. ppt. ℈js.

Marg. ppt. ℈j.
Lapid. chryſ. ppt. ℈ß.
Sacch. cand.
Syr. violat. a. ℥j.
M. pro duab. doſib.

Plagæ impoſui turundam digeſtivo (*ex vitello ovi, & Tereb. in aqu. roſar. lota.*) oblitam, & pulvere lapidis chryſoliti præparati aſperſam: &, appoſito ſplenio in vino rubro calidè expreſſo, dictam Galeni faſciam iterum adhibui. Tertio die æger ob alvum adſtrictam admiſit Enema ſequens laxativum,

℞. *Herb. Malv.*
Violar.
Pariet.
Veronic. a. M*j.*
Flor. chamom.
Malv a. Mß.
Semin. lin. ℥ß.
Melon.
Citr. a. ʒiij.
Coq. in ſ. aq. aq. ſ. & colat. ℥ix. *add.*
Mell. viol. ſol. ℥ij.
Elect. Lenit. Flor. ℥j.
Ol. violat.
Chamom. a. ℥js.
M. pro Enemate,

A quo quater dejecit. Vulnus propter fluxum ſanguinis medicamento ſtegnotico (ex albumine ovi, pulv. adſtringente Galeni, & lapidis chryſoliti præparato) tractavi, & æger ob animi deliquium ſæpè in die aliquot grana ſumſit de confectione alkermes, à qua melius habuit. Veſperi poſt emulſionis uſum conqueſtus eſt de ardore urinæ, quam excepit in vitro, in cujus fundo materia purulenta apparuit. Dolor & gravitas circa diaphragma & hepatis regionem deſiit, & æger exinde totam noctem placidè dormivit. *Die quarto*, propter abſentiam febris, & quia pus in cavitate thoracis collectum ad vias urinarias tenderet, operæ pretium duxi ægro præſcribere decoctum vulnerarium:

℞. *Ciner. aſtacor. fluviat.* M*js.*
Herb. Pimpinell.
Vinc. perv.
Veronic. a. M*ij.*
Aqu. Fragar. ℔ij.
Vin. oligophor. ℔vij.
Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, addendo colatur. ℥ij.

mellis roſarum colati. Hoc decoctum mane & veſperi mixtum fuit emulſioni præſcriptæ, quod mirificè ſanguinem & pus in thorace contentum ad vias urinarias deduxit.

Ex

Ex vulnere ſanguis manavit grumoſus, quapropter cavitati thoracis decoctum adſtringens & conſolidans per ſiphonem injeci (*quod deſcribitur Obſervatione LI.*) vulneri dein cannulam ex linteo & cera flava confectam impoſui, & deſuper ceratum diapalmæ cum ſpongia in vino rubro expreſſa & faſcia adhibui. *Die quinto & ſexto* æger iterum melius habuit. *Die ſeptimo* æger nihil dormivit, & conqueſtus eſt de dolore vulneris, & totius lateris affecti. Inſpecto vulnere, cannula, ſive turunda ex linteo incerato cava, extra vulnus reperiebatur, unde materia in pectore contenta, & dolorem excitans non habebat exitum. Evacuatâ materiâ remiſit dolor quidem, ſed Patiens conqueſtus eſt de oris amaritudine, propter quam præſcripſi ſequentem potionem:

℞. *Mann. ſelect.* ℥js.
Extract. Rhab. ʒj.
Crem. Tart. ℈ij.
Aqu. Veronic. q. s.
M. & F. Pot. brev.

A qua ter dejecit materiam bilioſam. Veſperi, cùm dolor in partibus pectoris ſuperioribus & inferioribus (*hoc eſt, circa vulnus, hepatis & diaphragmatis regionem*) remiſiſſet, inſpeximus & tetigimus infimum ventrem, qui flatibus videbatur diſtentus. Quare æger uſus eſt præſcripto Enemate, quod ipſi optimè conduxit, & inde tota nocte ad nutum dormivit. *Die octavo* urina erat turbida, & catharroſa, unde heſternus dolor à defluxione capitis potius, quàm ab ipſo vulnere originem traxiſſe videtur. *Die nono* iterum uſus eſt emulſione ſua cum decocto vulnerario permixta. Vulnus, injecto prius per ſiphonem decocto vulnerario, obligavi veluti diebus præteritis, ſed turundam ex linteo cavam & unguento digeſtivo antea præſcripto inunctam conſperſi pulvere, qui conſtabat ex aloë, thure, & lapide chryſolito. *Die decimo, undecimo, duodecimo & decimo tertio* vulneratus valuit. *Die decimo quinto* urina fuit clara, & æger tota nocte optimè quievit. Ex vulnere fluxit pus bonum: ideò cannulam ſeu turundam ex linteo incerato cavam extraxi, ſolidamque unguento de Bethonica oblinitam vulneri impoſui. *Die decimo ſexto* parum puris albi & benè cocti de vulnere fluxit, ægerque ſurrexit, & paulisper obambulavit. Veſperi uſus eſt emulſione, & decocto vulnerario mixtis. *Die decimo ſeptimo & octavo* æger iterum benè habuit, & ex vulnere nihil vel parum materiæ purulentæ exivit: Quapropter vulneri, neglecto turundæ uſu, ſolummodò plagulam ex filamentis carptis paratam appoſui, & deſuper ceratum diapalmæ & ſpongiam novam & ex vino rubro expreſſam ſuperligavi. *Diem vigeſimum* inter & vigeſimum ſecundum vulnus beneficio cerati divini conſolidavi.

OBSERVATIO LIV.

Vulnus thoracis periculoſum.

ANno M DC. XXXIII. Die ix Menſis Februarii Generoſus Dominus *Nicolaus* Dieterich / vulgò dictus Sperreiter in monomachia ſauciatus fuit à Generoſo Domino de Sittwein / Præfecto vigilum Suecico, & duo vulnera accepit, quorum

prius infligebatur sinistro carpo cum læsione venarum ac tendinum ad manum extremam decurrentium; alterum verò dextræ mammillæ, digito transverso infra papillam, in cavitatem thoracis penetrabat cum vasorum intercostalium læsione, & sputo sanguineo. Patiens propter sæva symptomata & grave animi deliquium quadrigâ delatus est in suum hospitium, ubi vulneribus, præsertim verò thoracis, omnia necessaria fuerunt adhibita. Inter alia hoc notatu dignum esse judico. Ante primam vulnerum deligationem nonnulli ex magna adstantium turba dixerunt, se exsugere posse sanguinem, qui in cavitatem thoracis fluxit. Admissi suxerunt quidem, at non sanguinem, sed potius gemmas & aurum: unus enim sugentium inter sugendum vulnerato annulum adamantinum mille florenis comparatum clam detraxit, sed proditus iterum restituit. Accersitus ego statim vulnus thoracis inspexi, & specillo obtuso in thoracis cavitatem perveniens, illam sanguine repletam reperi. Ex sputo sanguineo suspicatus sum læsionem pulmonum, unde thoraci per vulnus mixturam stegnoticam ex albumine ovi conquassato, pulvere adstringente Galeni, lapidisque chrysoliti præparati & aquæ plantaginis pauca quantitate confectam, siphonis opera (*Tabul. XXXV. Fig. III. f.*) injeci, & vulneri turundam ex stupa cannabina, eodem stegnotico (omissâ tamen aquâ) imbutam, & filo alligatam imposui, inunctisque partibus vulneri vicinis, desuper applicui ceratum diapalmæ, & linteum triplex in vino rubro expressum Sostrati vinculo (*Tab. XXXVI. Fig. VI.*) superligavi. Plagæ carpo inflictæ eadem remedia, ad fluxum sanguinis compescendum, fuerunt applicita. Pro corroboratione virium, & ad sistendum sanguinis fluxum in thoracis cavitatem, vulneratus crebrò recepit de sequẽti aqua:

℞. *Aqu. ceras. nigr.*
Rosar.
Plantag.
Pimpinell.
Veronic. a ℥js.
Cinam. ʒij.
Spir. lil. convall. ʒj.
Pulv. lapid. chrys. ppt.
Hæmatit. a. ℈j
Bez. gr. vij.
Corall. rubr. ppt. ℈js.
Marg. ppt. ℈j.
Man. christ. perl. ℥ß. *M.*

Ad sitim extinguendam bibit decoctum hordei syrupo corallino & tinctura de rosis permixtum, strictè observans tenuem victus rationem. Propter sputum sanguinis & febrem revulsionis & ventilationis gratia, curavi venam basilicam affecti lateris aperiri, & quatuor uncias sanguinis educi. Hisce peractis pro cœna nil nisi ptisanam hordei assumsit, & decoctum hordei tinctura de rosis alteratum bibit. *Secundo mane*, quia æger conquestus est, se præterita nocte nihil vel parum dormisse, hora octava matutina sequentem admisit clysterem.

℞. Ra-

℞. *Radic. acetos.*
Alth. a. ℥ß.
Herb. Pimpinell.
Agrimon.
Acetos.
Malv.
Violar.
Veronic. a. Mß.
Sem. lini ℥ß.
Fœnicul.
Carni. a. ʒj.
Coq. in s. q. aqu. col. ℥x. *add.*
Mell. viol. sol. ℥iij.
Ol. violar. ℥ij.
Chamom. ℥j. *M. pro clystere,*

A quo ter dejecit. Rejecto clystere religavi vulnus, ex quo parum sanguinis effluxit. Eodem tempore conquestus est Generosus Patiens de insigni dolore & calore lateris vulnerati, ob sanguinis in thorace collecti fervorem. Cùm autem sanguis iste ob vulneris angustiam exitum non haberet (etsi æger collocaretur in eadem figura, qua læsus fuerat) & febris exinde nimium cresceret, omninò necessarium fuit, sanguini parare exitum, vel vulneris angusti dilatatione per scalpellum facta (*Tabul. XXXV. Fig. VII.*) vel nova sectione, quæ, juxta Hippocratem, inter tertiam & quartam thoracis costam (*o. Tabul. XXXV. Fig. II.*) instituenda est. Hîc autem obiter notandum, quod Hippocrates costas incipiat numerare ab undecima haud numerata, atque idem sit ac si dixisset, inter septimam & octavam costam, à superioribus numerando, sectionem esse instituendam. Dilatatio autem vulneris frustrà fuisset in nostro Generoso instituta, quoniam major sanguinis in thorace collecti pars circa diaphragmatis regionem fuerat: difficulter *itaque sanguis* per vulnus licet dilatatum expurgari potuisset. Parum quoque paracentesis ipsi contulisset sive in dextro, sive in sinistro latere facta: in sinistro non contulisset, quoniam in dextro colligebatur materia. Dextrum incidere latus prohibuit insignis dorsi jecorisque dolor & intumescentia. Superfuerat igitur expurgatio per urinam & sputum, quam tamen expectare nimis periculosum erat, ob materiæ collectæ copiam, quæ caloris nativi suffocationem minabatur. Cùm igitur nec dilatatio vulneris, nec nova thoracis apertio videbatur fructifera, vulnus obligavi velut die præterito, & ad aliud auxilium deveniendum esse mecum concludens, mihi curavi fieri instrumentum aureum, (cannulam scilicet & obturatorem *Tab. XXXV. Fig. IV. m. n.*) ut facili negotio vel in triangulum, vel semicirculum inflecti possit. Hoc instrumento in triangulum curvato, & in cavitatem thoracis imposito, styloque ejus extracto (*Tab. XXXV. Fig. V. p.*) magna copia sanguinis (sine suctione, quæ fit ore) per cannulam effluxit. Post sanguinis hanc evacuationem, vulneri imposui cannulam cum ala argenteam

KK 2 (*Tab.*

(*Tab. XXXV. Fig. III. i.*) & mixtura pulveris adstringentis Galeni, lapidis chrysoliti præparati, & albuminis ovi illitam: desuper applicui Emplastrum diapalmæ, spongiamque novam in vino rubro expressam, & linteum duplex Sostrati vinculo superligavi. Ab instrumentali sanguinis evacuatione vulneratus tota nocte melius, quàm præterita quiescere potuit. *Tertio post læsionem die* instrumentum prædictum thoraci iterum adhibui, & libram unam & dimidiam sanguinis non modò cum admiratione assistentium, verùm etiam cum bona virium tolerantia extraxi. Assumpto prandio, quod erat ptisana & decoctum hordei, accepit vulneratus vesperi sequentem emulsionem.

℞. *Semin. melon.* ℥ß.
Papav. alb. ʒj.
Aqu. Fragar.
Pimpinell.
Veronic.
Nymph. a. ℥js.
F. Emulf. cui add.
Lapid. chrys. ppt.
Marg. ppt.
Corall. rubr. ppt. a. gr. viiij.
Syr. viol. ℥j. *M. pro dos. j.*

Post cujus usum per totam noctem quietè dormivit. *Die læsionis quarto*, quia mingens in meatu urinario acerbissimum dolorem sensit, inspexi urinam, quæ omninò turbata & fœtida mihi certissimum signum fuit, materiam in thorace contentam ad vias urinarias tendere. Vesperi ob constipationem alvi usus est Enemate sequenti:

℞. *Decoct. sequent.* ℥x.
Mell. violat. sol. ℥ij.
Cass. rec. extr. ʒvj.
Ol. violat. ℥iij. *M.*

Pro clystere, à quo bis dejecit. Quamvis internæ partes non videbantur læsæ, nihilominus tamen præscripsi decoctum thoracis cavitati infundendum, ad detergendum & consolidandum id, quod præter opinionem nostram læsum esse poterat:

℞. *Herb. Veronic.*
Pimpinell.
Prunell.
Plantag.
Agrimon.
Hord. integr. a. Mß.

Coqu. in s. q. vin. alb. oligophori & aquæ fontanæ ad ℔j. in colatur. prob. expressæ diss. mell. ros. colat. ℥ij. M. pro injectione. Hoc decocto per siphonem (*Tab. XXXV. Fig. III. f.*) injecto & relicto, vulneri cannulam ex argento perforatam (*Tab. XXXV. Fig. III. i.*) & digestivo oblitam imposui, desuperque ceratum diapalmæ, & sple-

& splenium quadruplex, in vino rubro expressum adhibui. Inter curam vulneris thoraci inflicti, vulnus carpi non fuit neglectum, sed alternis diebus convenientibus remediis provisum & obligatum. *Die sexto* ob amaritudinem oris Patienti potionem exhibui cholagogam:

℞. *Syr. ros. sol.* ℥js.
Extr. Rhab. ʒj.
Diacarth. ℈j.
Crem. Tart. ℈js.
Aqu. cichor. q. s.
M. & f. Potio brev.

Die septimo potum Patientis ordinarium miscui sequentis decocti partibus æqualibus:

℞. *Herb. Veron.*
Agrimon.
Vinc. perv.
Prunell.
Fragar. a. Mj.
Ciner. astac. fluv. ℥j.
Coqu. in s. q. vin. oligoph. ad ℔js. *colat. add. mell. ros. colat.* ℥ij.

Die octavo vulnus carpi & thoracis benè habuerunt: Patiens tamen pulvere usus est cordiali.

℞. *Pulv. lap. chrys. ppt.*
Mag. marg.
Corall. rubr.
A. gr. iij.
M. cum s. q syr. viol. & corall.

Die nono Patiens optimè habuit, & de vulnere thoracis parum puris cocti exivit: unde, omisso injectionis decocto, solam cannulam digestivo oblitam vulneri imposui. Plagæ carpi, loco cerati diachalciteos, applicui ceratum divinum, ad inducendam ipsi cicatricem.

Die decimo omninò nihil de vulnere thoracis effluxit, sed Patiens conquestus est de tussicula, quæ ab usu trochiscorum meorum pectoralium, cum moscho & ambra paratorum cessavit.

℞. *Specier. diair. s.* ℈ij.
Diambr. compl.
Pulv. Ir. Flor. a. ℈j.
Troch. gall. mosch. ver. ℈j. *gr. ij.*
Sacch. albiss. ℥js.
Cand. alb.
Penid. a. ʒvj.

Amyl. ʒj.
Ambr. gryſ. ver. gr. vj.
Mucilag. tragac. aqu. roſ. ſ. q. s.
M. & F. Trochiſci.

Urina adhuc turbida fuit, & vulneratus cum dolore minxit. *Die undecimo*, cum generoſus Patiens optimè valeret, nihilq; per vulnus ex cavitate thoracis amplius prodiret, vulneri, ne in fiſtulam degeneret, omiſſa cannula, turundam ex lino convolutam, filo alligatam, & unguento de bethonica illitam indidi, & deſuper admovi ceratum divinum. *Die duodecimo*, decimo tertio & decimo quarto, æger noctes dieſque ſine querelis tranſegit, dicens: ſe ratione virium, citra Scipionis beneficium, in plano ambulare poſſe. Cum *die decimo quinto*, decimo ſexto & decimo ſeptimo, vulnus ſatis mundum & deterſum appareret, ipſi turundam, quotidie breviorem impoſui, donec caro ab intra excreſcens ad interiora pergeret. *Die decimo ſeptimo* vulnus carpi cerato divino bene conſolidatum apparuit. A *die decimo octavo* uſq; ad vigeſimum ſecundum, ſtrenuus Dominus Patiens peroptimè valuit, & vulneri, omiſſæ turundæ loco, plagulam ex filamentis carptis confectam & unguento de bethonica illitam appoſui & partes vulneri vicinas, adhibita ſpongia nova, & ex vino rubro expreſſa, faſciaque compreſſiva, quam Tabul. XXXVI. Fig. VII. cataphractam vocant, obligavi. *Die vigeſimo octavo*, vulnus cerati divini beneficio cicatricem acquiſivit, & Patiens priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. *Die trigeſimo quarto*, reſtitutus de vehementiſſimo conqueſtus eſt ſiniſtri pedis dolore, qui originem traxit à magnis animi commotionibus, ſed, repurgato à biliosis humoribus corpore, ceſſavit.

OBSERVATIO LV.

Vulnus thoracis ob neglectam paracenteſin lethale.

ANno M.DC.XLV. Die x. Martij hora octava poſt meridiem, juvenis lanio à piſtore quodam vulnus accepit in dorſo anguſtiſſimum, duobus digitis tranſverſis infra ſcapulam dextram, & quatuor à ſpina, in cavitatem thoracis penetrans, quod chirurgus quidam ſenex, ſolertiſſimus aliàs & ſatis exercitatus (*quem primo quaſi læſionis momento acceſſit vulneratus*) ac ſi ſimplex eſſet & minime penetraret, obligavit: nullo enim ſpecillo vulneri ſæpius immiſſo in cavitatem thoracis pervenire potuit. Hinc ſanguis è vaſis intercoſtalibus inciſis in dictam thoracis cavitatem defluxit, & vulnerato tantam pectoris anguſtiam excitavit, ut ejus parentes hora duodecima noctis me & alium chirurgum vocari juſſerint. Circa mediam igitur noctem vulnus religavi, quod propter tenuis gladii qualitatem, ſitum thoracis mutatum, & appoſita medicamenta adſtringentia, adeo anguſtum erat, ut neq; ſpecillo in cavitatem thoracis pervenire, neque ſanguinem ſiſtentia ipſi per ſiphonem injicere, nec eadem vulneri ſub turunda applicare potuerim. Quapropter adſtantibus indicavi vulneratum de vita periclitari, & paracenteſin in loco Hippocratico (*inter coſtam ſcil, quartam & tertiã Tab.* XXXV. *Fig.* II. *o.*) mox adminiſtrandam propoſui, ut materiæ in thoracem delapſæ & certã ſuffocationem minanti pararetur exitus. Cùm autem hanc abſq; dubio ſalutiferam, in hoc ſubjecto, Chirurgiam parentes vulnerati concedere noluiſſent, & materia, exhibitis diareticis per vias urinarias tam ſubitò expurgari non potuiſſet, æger die ſexta ſuffocatus obiit, qui forſan dilatatione vulneris in principio neglecta conſervari potuiſſet, citra partium internarum læſionem decumbens. Illæſi namque fuerunt pulmones, quoniam æger nunquam expuit ſanguinem; non læſus æſophagus, quia Patiens ſine ulla difficultate cibum & potum deglutivit; non offenſum cor, neque vena cava, aut arteria magna, quoniam vulneratus tamdiu poſt acceptam plagam non ſupervixiſſet, ſed multo citius obiiſſet; non læſum pericardium, quoniam cor humido ſuo privatum citiſſimè deficit; non offenſum diaphragma, quia abfuerunt ſymptomata, quæ diaphragmatis vulnus comitari tradunt omnes Chirurgiæ Scriptores, æger autem conqueſtus eſt de ſola pectoris anguſtia, quam induxit copioſi ſanguinis collectio. Hîc admonitos volo Chirurgiæ tyrones, ut ad vulnus pectoris curandum vocati diligentiſſimè ſpecillo inquirant (ægro prius, ſi fieri poteſt, ea figura, in qua læſus fuit, collocato) an illud in thoracis cavum penetret, necne? Si penetrat, periculoſum pronuncient, &, ſi anguſtum, conſenſu Patientis & adſtantium obtento, dilatent (*Tab.XXXV.Fig.VII.*) ut materia in thoracis cavo collecta vel ſponte effluere, vel impoſito canali (*Tab.XXXV.Fig.V.p.*) educi poſſit. Si vulnus penetrans latum fuerit, illud turunda ob rationes modò dictas immiſſa apertum conſervent. Cùm autem collecta materia neque per vulnus in altiore thoracis loco inflictum ſponte expurgari, neque ob craſſitiem per applicitum canalem extrahi, neque ob copiam per vias urinarias expelli poſſit, ſtatim (*dum ſcilicet vires ægri adhuc conſtant*) perforationem adhuc reliquam cautè proponant, ſive concedatur, ſive recuſetur, ne ipſis vel Patientum, ſi ob affectus vehementiam moriuntur, conſanguinei, vel ii ipſi, qui vulnus inflixerunt, negligentiæ aut occiſionis crimen inſerendi, cauſam habeant.

OBSERVATIO LVI.

Vulnus thoracis paracenteſin requirens.

ANno M.DC.XXII. Menſe Aprilis, *Antonius* N. Auriga Patavinus ſauciatus fuit in dorſo, enſe ad ſiniſtram uſque mammam penetrante, atque ſic duo vulnera efficiente, quæ conſequebantur præceps in terram lapſus, grave animi deliquium, aphonia, frigidi in toto corpore ſudores pulſus intermittentes, vomitus ſanguinis, cum ſuſpicione cordis, aut æſophagi vulnerati. Vulnus utrumque, dorſi ſcilicet & pectoris, obligavi, ſed illud in mamma acceptum ſcalpello falcato (*Tabul. XXXV. Figur. VII.*) prius dilatavi, & dein utrique turundam ex ſtupa cannabina paratam, filo alligatam, albumine ovi agitato imbutam, & pulvere ſtegnotico conſperſam impoſui, nihilque omiſi, quod in ejuſmodi vulneribus fieri neceſſe eſt. Vulneribus obligatis, Patienti, ob ſummam virium debilitatem, vinum fuit conceſſum, nullum tamen arteriarum in carpis motum, per viginti quatuor horas, digitis percipere potui

Die

Die læsionem ſequente, quamvis magna ſanguinis copia ex thoracis cavo per vulnus effluxerit, nullus tamen pulſus adhuc deprehendi potuit, niſi vulneratus de loco in locum, aut de latere in latus moveretur. Eodem die aſſumptam panatellam ſubitò evomuit, unde œſophagum læſum eſſe mecum concluſi. Tertio die Patiens difficulter reſpiravit, in latere affecto ſeu ſiniſtro prope diaphragma ſenſit dolorem, de vulnere vix guttula ſanguinis effluxit, &c, quod maximum fuit, pulſus, ubicunque exploratus, omninò defecit. Hanc ob cauſam inter tertiam & quartam thoracis coſtam *(Tab. XXXV. Fig. II. o.)* juxta Hippocratem, ſcalpello pectus fuit apertum, hac intentione, ut evacuaretur materia in thoracem delapſa, ne copia ſua calidum innatum ſuffocaret, & qualitate pulmonum ſubſtantiam corrumperet. Factâ perforatione, vix tres aut quatuor guttulæ de vulnere recens facto effluxerunt, quod ideò notandum eſſe exiſtimo, quia nonnulli dicunt maximum fieri ſanguinis fluxum, ob vaſorum intercoſtalium inciſionem. Sed non inficias eo, quandoque, præcipuè verò in bilioſis corporibus, ſectioni thoracis tale ſuccedere ſanguinis profluvium in cavitatem, quando inciditur vel vena vel arteria intercoſtalis, quæ tamen vaſa ſcalpello ancipite *(Tabul. II. Fig. I.)* facillimè evitari poſſunt. Sit autem læſa vena aut arteria intercoſtalis, quid refert? parum aut nihil: ſanguis enim (qui ex recens facto vulnere, donec turunda ſtegnotico imbuta ipſi imponitur, in cavitatem thoracis delapſus eſt) ſi juxta Hippocratem paracenteſis inter tertiam & quartam coſtam inſtituitur, retineri nequit, aut ſi præter ſpem retineretur, ſequenti die, dum vulnus obligabitur, idem iterum effluet. Aperto igitur thorace, per vulnus vix quatuor ſanguinis guttulas profundens, è cavitate effluxit materia loturę carnium ſimillima ad integram ferè libram, quâ evacuatâ pulſum digitis carpo admotis manifeſtè percepi, & vulneri turundam mixtura albuminis ovi & pulveris Galeni adſtringentis oblinitam impoſui, veſperi denuò religavi vulnus ſtudio factum, rurſusque integram libram ſanguinis cum tertia parte puris commixtam emiſi, & vulneri turundam ex linteo convoluto paratam, & digeſtivo ſequenti oblitam intruſi.

℞. *Ol. Hyperic.* ℥ß.
Reſin. Tereb. ℥j.
Mell. roſar. colat. ʒiiij.
M. pro digeſtivo.

Deſuper applicui ceratum diapalmæ, linteum quadruplex ex vino rubro expreſſum & ligaturam Soſtrati convenientem. Quarto die obligavi ſuperiora vel enſe facta vulnera, & ex laterali per ſcalpellum parato vitrum puris quarta ſanguinis parte permixti effluxit. Circa labia vulneris novi apparuit inflammatio, propter quam ægro vinum hactenus conceſſum prohibui, ipſique pro potu ordinario præſcripſi aquam hordei magiſtralem. Pulſus manifeſtiſſimus fuit, &, quia ex ſuperioribus vulneribus pus in parva quantitate effluxit, Patienti ordinavi ſequentem ſyrupum vulnerarium, de quo ſingulis diebus, ſummo mane, & veſperi duabus ante cænam horis uncias quatuor aut quinque per os aſſumeret:

℞. *Hord. decortic. Mj.*
Fol. Fragar.

Vinc.

Vinc. perv.
Bugul.
Pimpinell.
Cichor.
Farſar.
Piloſell.
Equiſet.
Verben. a. Mß.
Radic. rub. tinct. ℥ij.
Liquirit. ʒvj.
Aqu font. ℔vj.
Vin. oligophor. ℔iij.

Bulliant ad conſumptionem medietatis, & decocto colato addantur ℥ij. vel ℥iij. mellis roſarum colati. Quinto die per vulnus novum & ſcalpello factum effluxit denuo vitrum puris nonnihil fœtidi, magisque ad flavedinem, quam ad albedinem tendentis. Ex utroque antiqui vulneris foramine prodiit materia inſtar caſei mucoſa (*ut in peripnevmoniacis ſæpiſſimè vidi*) ſed in pauca quantitate. Labia novi vulneris livida, & remotæ filamentorum plagulæ ob corporis impuritatem nigræ fuerunt, febrisque ſolito major facta. Sexto die, mane & veſperi effluxit per novum vulnus dimidium vitrum puris, ob cujus maximum fœtorem nullus in cubiculo manere potuit, ſub plagulisque & ſpleniis, quia humor verè melancholicus comparuit, ſequens injectionis decoctum præſcripſi:

℞. *Scord. Mjs.*
Mell. roſ. col. ℔ß.
Aqu. comm. ℔vj.
Coq. ad tert. part. conſumpt.

Et de colatura thoraci injiciatur integra libra per ſiphonem (*Tab. XXXV. Fig. III. f.*) delineatum. Poſt injectionem vulneri turundam immiſi præſcripto digeſtivo oblitam. Specillum argenteum puri immiſſum, & ſtatim extractum, ſi nigrum fiat, ægrotum vix evaſurum Hippocrates tradidit. Ego ad imitationem Hippocratis ſpecillū puri immiſi, quod cùm nullam nigredinem contraxiſſet, ſed albiſſimum permanſiſſet, de reſtitutione Patientis benè ſperavi. Septimo die, majorem febrem, quam diebus præteritis habuit æger, pus etiam in magna quantitate effluxit, ſed non adeò malum ſpirans odorem, ut die quinto & ſexto. Octavo die labia vulneris inter tertiam & quartam Hippocratis coſtam facti inflammationem conceperunt, ob quam Patiens majorem dolorem, febremque vehementiorem ſenſit. Nono die fœtor purulentæ materiæ evidenter remiſit. Veſperi autem circa vulnus novum reperi Eryſipelas, foramen magis dilatatum, & coſtam tertiam denudatam. Decimo die vulnus thoraci artificiosè inciſum adhuc latius comparuit, quam die præterito, cujus dilatationis cauſa, meo judicio, fuit humor bilioſus, qui acrimoniâ ſuâ ſubſtantiam carnoſam corrodit. Nocte æger circa coſtas ſpurias inſignem ſenſit dolorem, propter Eryſipelas etiam nervo intercoſtali communicatum,

 qui

qui musculo abdominis obliquè descendenti inseritur. *Undecimo die* Patiens melius habuit, & totam noctem dormivit: siphonem verò noluit admittere ob dolorem membranæ, quæ costas succingit. *Duodecimo die* æger mane tam magnum dolorem sustinuit, quam die decimo, unde, omissâ turundâ, vulneri tantùm spongiæ particulam in decocto vulnerario expressam imposui; per noctem toto corpore bis sudavit. *Die decimo tertio* Patiens iterum melius habuit, & pus album è vulnere fluxit. In his casibus nullum præstantius remedium est, quam non purgare corpus, quia si exhiberetur electivè purgans, omnes humores concurrerent ad intestina, & inde extenuaretur corpus, & extenuationem corporis mala sequerentur symptomata. *Die decimo quarto* tota nocte benè dormivit, pus etiam vulneris paucum fuit: ad vesperam pus in majori quantitate de vulnere exiit, & pulsus vehementior solito fuit deprehensus. *Die decimo quinto* æger majorem quam die præterito habuit febrem, quia in sinistro & sano potius quam dextro & læso decubuit latere, unde pus in thorace retentum febrem auxit. Vesperi vulneri, quia caro ipsi nimium increvit, iterum turundam imposui. *Die decimo sexto* Patiens ob amaritudinem oris, quam per quatuor circiter dies sensit, ʒj Rhabarbari sumsit, à quo medicamento biliosa quater egessit excrementa, & deinde melius habuit. *Decimo septimo* præbui syrupum vulnerarium; vesperi pus album in paucissima quantitate exivit, & quia vulneratus non amplius tussivit, decoctum in cavitatem siphone non injeci. Nocte benè dormivit æger, febris autem nonnihil major fuit, quam die præterito. *Decimo octavo*, neque thoraci infudi decoctum, neque vulneri imposui turundam, sed solummodo plagulas unguento de Bethonica oblitas adhibui, desuperque Ceratum Barbarum. Vesperi pus ad viriditatem potius, quam ad albedinem tetendit. Nocte dormivit quidem æger, sed per somnum rixas habuit, quæ pravorum in corpore humorum abundantiam significarunt. *Decimo nono die* Patiens per totam noctem sudavit. Pus nonnihil adhuc viride fuit: ideò quatuor horis ante prandium sumsit potionem, ex cassiæ recenter extractæ ℥js. & jusculo decoctionis cichorei, borraginis, pimpinellæ & veronicæ paratam, à qua ter omninò biliosa reddidit excrementa. *Die vigesimo* ℥ß. puris de vulnere exivit: quapropter vulnus hoc arte factum turunda gentianæ iterum dilatavi, & dilatato cannulam stanneam cum spongia in vino rubro expressa imposui. Tota vigesimi nocte æger non potuit dormire, quia cannula costas & pleuram premit. *Vigesimo primo*, quamvis nihil puris ex vulnere fluxerit, nihilominus tamen cannulam vulneri plumbeam imposui, ut heri, sed paulo breviorem & tenuiorem: quo facto, Patiens sumsit iterum florum cassias ʒvj in prædicto jusculo, herbis alterato, dissolutas, quibus addidi s. q. pulv. Rhabarbari, mechoacæ nigræ, & cremoris Tartari. In posterum æger non usus est decocto vulnerario, sed quotidie sumsit jusculum ex herba cichorei, borraginis, sonchi, fragariæ, & vincæ pervincæ alteratum. Eodem die vulnus in mamma consolidatum reperi. *Die vigesimo tertio* thoraci semel injectum decoctum vulnerarium, & parum puris effluxit, quod quia nonnihil adhuc viride fuit, Patiens denuo usus est pulvere suo purgante, cum floribus cassiæ permixto. *Die vigesimo sexto, septimo & octavo* thoraci non amplius injeci decoctum vulnerarium, & semel in die obligavi vulnus, & febris postridie remisit. *Die vigesimo nono* pus fuit album, & Patiens quasi extra pe-

tra pe-

tra periculum habitus. *Die trigesimo sexto* cùm religarem vulnus, ex eo magna puris copia fluxit, & tumor labiorum vulneris signum fuit alicujus erroris, quem æger in victus ratione commiserat: interrogatus etiam respondit, quod multum comederit de prohibitis lacticiniis, à quibus in posterum planè abstinuit, & brevi feliciter restitutus fuit.

OBSERVATIO LVII.

Vulnus abdominis cum fractura costæ penetrans.

ANno M.DC.XXVIII. Die III. Januarii, *Joannes* Vandereisen/ Augustanus, sculptor ærarius, & publicus Factionis pennatæ Pancratiastes, Ulmæ in diversorio ad Rosam, horâ noctis undecimâ, vulnus accepit à pistore quodam, affectioni Martiatæ addicto, in sinistro hypochondrio, circa quartam costam spuriam (*quæ in parte cartilaginosa transversim fuit dissecta*) cum exitu omenti, & magna sanguinis profusione, quam varia sequebantur symptomata, animi videlicet deliquium, vomitus, dolor, & tumor insignis circa septum transversum. Vocatus statim reposui omentum adhuc integrum, & vulneri turundam ex stupa cannabina paratam albumine & vitello ovi concussis imbutam, pulvere stegnotico conspersam, filoque alligatam immisi, &, desuper adhibito cerato diapalmæ pectus ac læsam abdominis partem Sostrati vinculo convenienter deligavi. Reposito omento, & exhibitis medicamentis corroborantibus, die IV. Januarii circa horam sextam matutinam ægrum accessi, ut vulnus religarem & inspicerem; at, quoniam propter virium debilitatem, & novæ hæmorrhagiæ metum, religare non licuit, ægro exhibui jusculum gallinæ herbis & radicibus adstringentibus alteratum, & abdomini ob cruciatus colicos applicui cataplasma, quod constabat ex digerentibus, resolventibus & anodynis. Ad virium instaurationem, & sistendum sanguinis fluxum, ægro sequens præscripsi electuarium:

℞. *Cons. ros. antiq.*
Rad. symph. a. ℥ß.
Trochisc. de charab.
Terr. sigillat.
Corall. rubr. ppt. a. ℈j.
Marg. ppt ℈ß.
Syr. myrthin. q. s.
M. pro Electuario,

De quo sæpiùs per diem assumpsit drachmam unam. Ob pectoris angustiam & respirandi difficultatem ordinavi ipsi Eclegma sequens, cujus crebro usu crassam & viscidam materiam expuit.

Syr. capill. ♀.
Liquir. a. ʒvj.
Farfar.
Veronic. a. ℥ß.
Tob. diatr. frig. ʒiij.

Aqu. violar. q. s.
M. F. Eclegma.

Ob dolorem & inflammationem circa vulnus applicui cataplasma usitatum. Die v. Januarii dolor & tumor inflammatorius nonnihil remisit, &, cùm subsisteret sanguis, religavi vulnus, cui turundam cannabinam digestivo communi inunctam & filo alligatam intrusi, partemque affectam, super imposito cerato diapalmæ & cataplasmate, iterum Sostrati ligatura involvi. Eodem die Patienti mane & vesperi exhibui jusculum, herbis *pimpinellæ, equiseti, veronicæ, & fragariæ, radicibus tormentillæ & consolidæ majoris, seminibusque melonum* alteratum, ut materia in abdomine contenta per vias urinarias excerneretur: addita sunt adstringentia, ne diaretica sine his exhibita, novam hæmorrhagiam excitarent. Sub noctem conquestus est de meatus urinarii pruritu, qui præsagiebat, materiam in cavum abdominis delapsam beneficio jusculorum diareticorum ad vesicam tendere, & per urinam expelli. *VI. Januarii* dolor omninò remisit, tumorque circa vulnus evanuit: at Patiens dixit, se hodie majorem, quàm heri sensisse pruritum, dum redderet urinam, quam inspexi, & copioso pure permixtam reperi. *Die* VII. *Januarii* æger conquestus est de dolore circa humerum dextrum, sub vesperam septimi de dolore hepatis, cum febre, & tussi sicca. Et cùm VIII. *Januarii* prædicti dolores unà cum calore febrili increscerent, ex vena basilica dextri brachii emisi uncias quatuor sanguinis, quo evacuato dolores post unam & alteram horam cessarunt, & febris denuo remisit. *Die* IX. materia vulneris fuit cocta, & Patiens quoad reliqua benè habuit: quare vulnus consolidare cœpi, quotidie turundam minuens, donec cicatrix inducenda veniret. Per noctem verò cùm sentiret circa ossis sacri & vesicæ regionem dolores colicis similes, præscripsi die x. potionem ipsi sequentem:

℞. *Ol. amygd. dulc. rec.* ℥iij.
Mann. elect. ℥ʃs.
Aqu. chamomill. q. s.
M. & f. potio.

Quâ assumptâ magnam bilis copiam evomuit, vigesiesque per alvum excrevit materiam biliosissimam, quæ hujusmodi dolorum unica extitit causa. Hac evacuatione finita Patiens melius habuit, remittentibus in totum doloribus usque in diem vigesimum tertium, quo ob errorem in victus ratione commissum diarrhæa biliosa fuit correptus; suasu enim muliercularum assumsit & avidè comedit pruna sylvestria, à quibus insignis dolor colicus & tenasmus oriebatur: quapropter die XXIV. exhibui ipsi ʒj. Rhabarbari pulverisati cum aqua cichorei, & duabus horis, post Rhabarbarum assumptum, elapsis hausit potionem sequentem:

℞. *Ol. amygd. dulc.*
Decoct. flor. cham. a. ℥iij.
M. & f. potio.

Bile sufficienter excreta, circa horam undecimam ante meridiem cruciatus colici & tenasmus omninò cessarunt. *Die* XXVIII. vulnus beneficio cerati divini ad cicatricem

cem

cem fuit perductum, & æger nullo circa plagam dolore, deq; nulla respirandi difficultate conquerens die XXIX. in publicum prodiit, cum sociisque suis usque in mediam noctem perpotavit. Die IV. Februarii restitutus cum conjuge in patriam iter paravit, illamque ante discessum fustibus egregiè excepit, ob levissimam causam excandescens. Cujus facti certior factus maritum jam restitutum admonui, ut sibi in posterum, quantum possibile, ab animi passionibus caveret.

OBSERVATIO LVIII.

Vulnus thoracis per septum transversum ad ventriculi fundum penetrans.

ANno M.DC.XLV. Die XII. Augusti, *Melchior Frick*, politor lini Ulmensis, in diversorio ad Rosam, ab hortulano quodam vulneratus fuit, non solum in capite & naso (*de quorum curatione supra Tabul.* XXIX. *paragr.* I. *& observatione* XXVIII. *dictum*) verum etiam in thorace, quinque digitis transversis infra sinistram papillam. Vulnus capitis capillatæ parti, & naso inflictum Elias Walther / Chirurgus Patientis ordinarius, statim medicamentis stegnoticis debite obligavit, & tertium in pectore inveniens me vocari jussit. Accedens vulneris in thorace accepti qualitatem exploravi, sed in cavitatem pervenire non potui: concidit enim vulnus, ob musculorum situm mutatum, in quo Patiens læsus fuit. Inter explorandi actum vulneratus evomuit magnam sanguinis copiam, ita ut æger gravi syncope correptus, divinis potius quam humanis auxiliis indigere omnibus visus fuerit. Hic vomitus mihi læsionem ventriculi & per consequens diaphragmatis in parte carnosa, atque perforationem pectoris indicavit. Quare, facto prognostico Patientem de vita maxime periclitari, vulneri turundam stegnotico usitato imbutam imposui, & thoracem, applicito super vulnus linimento simplici, Sostrati ligatura (*Tab.* XXXV. *Fig.* VI.) involvi. Secundo læsionis die, hora quinta matutina Patiens denuo vomuit duas mensuras sanguinis vino diluti, & posthac omne id, quod ore assumptum deglutivit. Quæsitum igitur fuit, cum plaga nasi non in narium cavitatem penetraret, ita ut sanguis per palatum ad fauces, & ab iis in ventriculum defluere potuisset, unde sanguinis iste & ciborum vomitus proveniret. Quærentibus respondi, quamvis vulnus collapsum specillo adhibito non concedat introitum in thoracem, nec aliqua in abdomine plaga appareat: nihilominus tamen accidentia, læsioni thoracis supervenientia, satis probare, gladium per musculos intercostales, & diaphragmatis partem carnosam (*nervosa enim substantia si esset læsa, graviora symptomata ægrum infestarent*) in ventriculum penetrasse. Perforatam pleuram significavit sanguinis in thoracis cavum fluxus, & multo magis indusii puritas: si namque thorax non fuisset apertus, sanguis de vulnere profluens, procul dubio, indusium rubicundissimo colore tinxisset. Nec obstat, quod Patiens de nulla unquam pectoris angustia, aut tussi conquestus fuerit: sanguis enim dicta symptomata efficiens per vulnus septi transversi defluxit in abdominis cavitatem, & ibi

ibi suppuratus tandem exiit per alvum. Ventriculi vulnus indicavit sanguinis & assumptorum vomitus, defectus appetitus, & dolor circa præcordia perceptus. His rationibus ego permotus ventriculi solius rationem habui, reliquis tamen vulneribus nō neglectis. Quare potum & medicamenta consolidantia, in paucissima quantitate, sed crebro exhibui (*ne exhibitorum copia vel distenderetur, vel denuo ad vomitum irritaretur ventriculus perforatus*) & vires ægri injectis clysteribus quotidie duobus, ex jusculo carnium pingui & vitellis ovorum paratis conservavi. Potus fuit vinum granatorum, medicamentum vero consolidans conserva rosarum antiqua & pulvere mastichis permixta.

℞. *Cons. ros. antiqu.* ℥iiij.
Mastich. elect. & subl. pulv. ʒß.
Syr. consol major. q. s.
M & F Electuarium.

De quo æger mane & vesperi assumpsit ad quantitatem nucis juglandis. Externam ventriculi regionem inunxi oleis adstringentibus, ut

℞. *Ol. rosar.*
mastich.
cydon. aa. ʒß.
absynth. ℈iij. *M.*

& vulnus sub papilla per secundam intentionem curavi. *Septimo* decubitus *die*, æger sedem habuit purulentam. *Octavo* vulnus pectoris cicatrice fuit obductum. *Decimo* quarto & reliquis, æger ore assumpsit liquores consolidantes, eosq; citra dolorem retinuit, & sanitatem consecutus ultra decennium saluberrimè vixit.

OBSERVATIO LIX.

Vomitus sanguinis lethalis, & erosio ventriculi curata.

I. VIr 40. *annorum*, temperamenti calidi & sicci. conquestus est, quod ante quatuor menses febricitans magnum habuerit sanguinis vomitum, qui adhibitis extremorum frictionibus, & assumptis medicamentis, quæ respiciebant hepatis calorem, cessavit. Nunc iterum, circa duodecimam noctis horam, evomuit prius sanguinem, deinde cœnam assumptam. Huic exhibui pulverem in aqua plantaginis sequentem

℞. *Pulv. rad. pimp.*
consol. maj. aa. ℈ij.
M. pro dos. j.

Sequente die Patienti, cum iterum evomuisset ℔vj sanguinis, applicari jussi artubus & dorso cucurbitulas sine scarificatione siccas, & clysterem domesticum infundi.

℞ *Decoct. Herb. Mercurial.* ℥x.
Mell. crud. ℥ij.
Elect. Lenit. ℥j. *M. pro Enem.*

Tertio

Tertio die æger conquestus est de oris amarore, & postea evomuit magnam bilis copiam, & interrogatus, an nunquam ulcera in pedibus habuerit, respondit se in utraque tibia exulcerationes perpessum, quæ medicamentis potius externis, quam internis curatæ fuerint. Post ulcerum consolidationem, utrumque pedem infestavit Erysipelas, quod assumpto ligni sancti decocto evanuit. Causa vomitus sanguinei, procul omni dubio fuit ulcerum consolidatio, quare ad revellendos humores utriq; femori, quatuor digitis supra genu, inussi fonticulum cauterio Placentini. In his enim, meo judicio, consistebat conservatio vitæ Patientis, alioquin brevi perituri. His tamen fonticulis nulla supervenit febris, ut solet, nullaque inflammatio, aut leve Erysipelas, quæ significare potuissent materiam à centro ad circumferentiam & extrema revelli. Si nullus horum morborum comitatur fonticulum, mihi signum est certissimum, materiam in corpore vel esse fixam, & ægrum interiturum, vel alium invenisse locum. *Quinto die* Patiens iterum evomuit multum sanguinis, sexto convulsus obiit.

II. Anno M.DC.XXII. aperui cadaver Monachi Patavini (*qui doloribus colicis obiisse ferebatur*) & in causam mortis investigans reperi non modo ventriculi fundum phlegmone correptum, sed etiam ad mediam usque tunicam corrosum. In tali curanda & erosione, & inflammatione ventriculi dixit Excellentissimus Spigelius quod nihil præstantius fuisset terra sigillata, ore sæpius assumpta, utpote quæ, ob visciditatem suam, erosis ventriculi tunicis tenaciter (*non aliter ac ceratum diachalciteos inflammato pedi applicitum*) adhæreat, easque exiccet. Hujus effati dignitatem postea summa cum admiratione bis expertus sum in enormibus ventriculi ex erosione doloribus, qui neque assumptis, neque applicitis ullis remediis mitigari potuerunt, nisi terra sigillata, syrupo consolidæ majoris attemperata.

OBSERVATIO LX.

Congenita umbilici hernia.

RArissimam in infante umbilici relaxationem, & intestinorum extra corpus propendentium p. n. prolapsum, ex matris repentina imaginationis impressione, mihi 14. Januar 1643. à Clariss. Dom. Doctore Joanne Georgio Gockelio, Reipublicæ nostræ Physico, Medicoq; assiduo, & Collega meo plurimum honorando, acceptam, non immerito observationibus his inserere placet. Villica (*ita sonabant communicantis verba*) quædam Berenstattensis, Ulmanæ ditionis, Jacobi Höckeri conjux, præcedenti messis tempore, sed primis gestationis mensibus, suburbanis rusticisque operationibus incumbens, & frumenti per agrum hinc inde sparsos manipulos colligens, sub eorundem uno reptantium viperarum acervum subito animadvertit, harumque & figuram & motum, umbilicali regioni superimposita manu, ita strenuè sibi imaginata est, ut toto quidem quo utero gerebat tempore, utcunque bene habuerit, at heri, circa crepusculum vespertinum, filiam, sacra mox unda Barbaram initiatam, quoad reliqua vividam quidem peperit, sed ex radicata illa imaginatione-

ne, non bene formatam, adeo, ut omnia natæ hujus intestina, alias, secundùm naturam, in inferiore ventre occultanda, hic, præter naturam, per relaxatum umbilicum, extra corpus, tanquam magno in culeo recondita, soloque peritonæo investita, conspicienda se præbuerint; quæ etiam extra jam uterum posita (*materno videlicet & salutari calore destituta, à circumstante insuper aëre frigidiore læsa & coarctata*) nec hypocausti calidioris beneficio non tegumentis, non ullo Medico, & artificio, & auxilio in suo naturali statu conservari potuerunt. Hinc elapso biduo, & sequenti Dominico die, vix hunc ingressa mundum ad Beatorum sedes iterum migravit.

OBSERVATIO LXI.

Affectus intestini ilei singularis.

NUperis annis *Joannes* Macth / Lanius Ulmensis notissimus, profectus tempore æstatis decidit ex equo super saxum, & exinde conquestus est de tolerabili quidem inguinis dextri dolore, nec non vomitu omnium assumptorum quartano. Hunc dolorem & vomitum Joannes noster per trimestre parvi fecit, & suo functurus officio frequenter equitavit. At consumptione corporis, quod antea valdè carnosum & pingue fuit, observatâ vocavit Empyricum, qui dedit ipsi pulverem per inferiora vehementer purgantem. Nihilominus tamen æger post omne triduum materiam acidam & mixturæ cinerum ac cremoris hordei similem evomuit, alternisque diebus solida & cineritii coloris excrementa per alvum reddidit. Ob totius marcorem & virium debilitatem lecto affixus meum petiit consilium. Huic, cùm alvus alternis diebus responderet, præscripsi saltem medicamenta ventriculum internè & externè roborantia. *His nihil conferentibus, vomitus continuans suspicionem movit, intestinum ileum morbo quodam organico affectum fore.* Post obitum Patientis abdomen in præsentia multorum aperui, & diligenter in locum affectum inquirens, *partem ilei, quæ cæco intestino proxima est, inveni adeo contractam, ut cavitate sua vix digitum pueri auricularem admitteret.* Dicta ilei pars *ob solam contractionem angustior* longitudinem decem digitorum transversorum adæquavit, reliquum verò intestini benè compositum aut satis dilatatum comparuit. Hinc duplex orta est quæstio, Quæ nimirum hujus contractionis causa extiterit, & an Patiens remediis per alvum infusis ab hoc contractionis malo præservari & liberari potuerit? Quærentibus respondi, intestinum saxo contusum, citra inflammationem, intumuisse primò, vomitumque excitasse, &, resoluto tumore, demum fibras suas (*cùm natura jam motui peristaltico esset assueta*) contraxisse, non aliter, ac ventriculus paucissima assumens, vesica calculo irritata, & uterus fœtu excluso paulatim contrahi solet. Infusis à principio discutientibus à contractura intestini æger benè quidem præservari potuisset, non tamen à facta dilatantibus liberari, quia injecta enemata, ob coli valvulam, ad locum dilatandum non pervenissent.

OBSERVATIO LXII.

Abscessus in mesenterio tunicati.

NIcolaus Dolmetsch / Chirurgus Schorndorffensis, tempore hyberno iter faciens & ex prægnanti causa domum festinans transiit flumen gelidissimum, & abhinc conqueri cœpit primò de debilitate & tremore pedum, ac secundò de totius corporis consumptione. Vehementissimis ischii & abdominis doloribus correpto, & meam petenti operam, ad mitigandos infimi ventris cruciatus præscripsi enemata lenientia & anodyna, iisque rejectis ischio dolenti emplastrum applicui, quod Medici Noribergenses in dispensatorio *Sciaticum* appellant. Enematum usu dolores abdominis aliquantulum remiserunt, dolor verò ischiadicus ea nocte tam magnus evasit, ut Patiens cogeretur emplastro Noribergico vesicatorium substituere. Sequenti mane mihi de enematum & emplastri ischiadici efficacia interroganti æger vires injectorum commendavit, applicitì verò energiam valdè vituperans monstravit in ischio vesicam permagnam, quâ detractâ, conjux loco apposuit folium brassicæ butyro inunctum. Dolores ischiadici post vesicatorii usum planè intermiserunt, abdominis autem quotidiè increscentibus patiens, cùm lumbricum longum & teretem excrevisset, variosque tumores circa umbilicum compressa manu percepisset, de vermibus suspicatus varia sumsit remedia, quæ lumbricos enecare & expellere solent, sed sine omni successu, nullum enim vermiculum ab usu eorum excrevit. In consilium igitur vocavit etiam repetitis vicibus Medicum Stuttgardiæ primarium, qui tamen præstantissimis remediis applicitis & infusis, ægro nullam tulit opem. Re ita habente miserrimus homo (*quia sibi proposuit nulli amplius obedire Medico, nullaque uti medicina*) quotidie ter quaterve libras duas lactis bubuli calidè hausit, eoque solo dolores, usque ad mortem, paulisper mitigare visus est. Intestina lacte turgida tumores in regione umbilicali tactu perceptibiles occultarunt. Ante obitum macilentissimus instanter petiit, ut summa diligentia, se defuncto, inquireretur in causam atrocissimi doloris, quos per quatuor menses jam perpessus fuerit. Conjux & socer petito defuncti locum daturi, me, dum cadaver adhuc calebat, vocarunt, ut necessariis instructus instrumentis abdomen aperirem. Aperto cruciatim abdomine, nil nisi mesenterium sex tumoribus tunicatis & pugnam adæquantibus valdè conspicuum vidi, intestina enim omnia, ferè subsidentia, in lateribus latitarunt. Separatis à mesenterio intestinis, & tumoribus sigillatim scalpello incisis profluxit ex omnibus materia cineritii coloris fœtida & adeò acris, ut omnes lumborum vertebras multum corroderet, integro existente mesenterio. Quæritur autem, quæ sit ratio, quod pus duras potius quam molles partes exasperarit? Materia tumorum acris (*qui lactis quotidie hausti beneficio ad suppurationem festinarunt*) diu conclusa, ob supinum ægri decubitum partem tunicæ, lumborum vertebris proximam, & vertebras ipsas multo facilius, quam partem folliculi mesenterio, multis glandulis & meatibus referto, substratam & arctè connexam corrodere potuit.

OBSERVATIO LXIII.

Sarcocele.

I. HErnia carnoſa ut plurimum medicamentis curari nequit, unde multi caſtrationis periculum ſubire coguntur. Anno tamen M.DC.XXXIV. Menſe Auguſto Generoſus quidam Nobilis de magna dextri teſticuli ſarcocele conqueſtus eſt, quam (*præmiſſis univerſalibus, & bona victus ratione*) ſequenti emplaſtro, & pulvere radicum ononidis, quem *Petrus Andreas Matthiolus Comm in Dioſcorid. l.2.c.*18. nobis commendat, quatuor menſium ſpatio inſenſibiliter reſolvi.

℞. Gumm. Ammon.
Galban.
Bdell. a. ℥ß.
Diſſolut. in acet. add.
Adip. Anat. liqu. & colat. ℥js.
Cer. citrin. ℥ij.
Ol. Lilior. alb.
Medull. crur. bov. a. ʒx.
M. in form. Emplaſtrum,

Quod linteo inductum ſcroto applicetur, & quarto quoque die renovetur. Ononidis pulveriſatæ ſumſit ſingulo mane ʒj. in hauſtu vini abſynthites. Parti domeſticæ dextri femoris, quatuor digitis ſupra genu ſibi inuri paſſus eſt fonticulum ad derivandos humores, dictorumque remediorum uſum continuavit, ita ut quatuor menſium ſpatio priſtinam ſanitatem conſecutus fuerit.

II. Anno M.DC.XLI. in Xenodochium Ulmenſe receptus fuit *Georgius* Klarer/ Reichenbachenſis, qui iiſdem remediis in ſimili caſu ibidem feliciſſimè curatus fuit. Præter hos plures alii, beneficio ſolius pulveris, convaluerunt ſenſim & ſenſim, quorum nomina, (cum reliquis, qui in obſcœnis partibus laborarunt) quum eorum aliqui adhuc in vivis ſint, lubens meritoque ſilentio involvo. Cùm autem, ſub pulveris uſu & emplaſtri, tumor teſtium carnoſus non minuitur, ſed potius incrementum ſumit, tunc maximè conſultum videtur, ut Sarcocele laborantes neceſſariam caſtrationis Chirurgiam maturè (*antequam ſcilicet tumor nimis adauctus inguina occupet, atque abdomen*) admittant: cum malo enim etiam caſtrationis periculum creſcit, ob viciniam vaſorum in inguine exiſtentium & ſcalpello evitandorum.

OBSERVATIO LXIV.

Sterilitas ex malè repoſita hernia.

QUamvis multi poſt alterutrius teſticuli exciſionem aliquot procrearint liberos, non pauci tamen fœcundi, licet in uno ſaltem latere exciſi fuerint, ſteriles facti ſunt.

ſunt. Malè itaque faciunt, qui hernia aut inteſtinali, aut flatulenta, aut aquoſa laborantes malunt à caſtratoribus torqueri, quam Medicis mitiora benè conſulentibus per menſem obedire. Nec illi Medici laudem merentur, qui ab ægro rogati caſtratoribus adſtant, & circumforaneos malè operantes non corrigunt, præſertim hoc tempore, quo notiſſimus ille inter Rhenum ac Danubium Empyricus omnes ob herniam (medicamentis etiam facilè curabilem) indifferenter læſos uno vel utroque teſticulo privat, omnibusque calculoſis parvo ſectionis apparatu temerariè perinæum incidit, multos ad generandum, & urinam continendam impotentes reddens, non pauciores interficiens. Nec Chirurgiæ tyrones imitentur Anabaptiſtas in Moravia, qui herniam inteſtinalem curaturi, foramen peritonæi, poſt reductionem inteſtini prolapſi, intruſo teſticulo obturant. Hanc autem curandi rationem peritiores Chirurgi minimè laudant, tum quia teſticulus foramine minor facilè iterum excluditur, ut æger antiquum obtineat; vel quia teſticulus foramine major dolore afficitur, quem ſequitur vel inflammatio, vel ſterilitas, vel ipſa mors. Probè igitur obſervent Chirurgiæ tyrones, ut in tradita inteſtini prolapſi reductione teſticulum in ſcroto pendere relinquant, ne in foramen adactus & ibidem quaſi coarctatus doleat, atque dolens conjugalem coitum prohibeat. Novi quoſdam, qui ex hac unica cauſa non ſolum ſterile, ſed etiam rixoſum habuerunt conjugium, nec non piſtoris filium, qui, ob malè curatam herniam, teſticulum in inguine gerens, quale habiturus ſit conjugium, tempus edocebit.

OBSERVATIO LXV.

Gonorrhæa virulenta, penis ſphacelo corruptus, & præputium verrucis Gallicis exaſperatum.

I. NObilis quidam Germanus, viginti annorum, temperamenti calidi & ſicci, poſt tertium ab impuro concubitu diem, conqueri cœpit de gonorrhæa virulenta, ad cujus curationem corpus bolo, repetitis vicibus aſſumpto, expurgavi:

℞. Tereb. aqu. malv. lot. ℈iiij.
Flor. caſſ. rec. extr. ʒvj.
Mercur. dulcific. gr. xiiij.
Sacchari. q. s. M. & f. Bol.

Deinde pro potu ordinario præſcripſi decoctum aliquod appropriatum,

℞. Hord. integr. p. j.
Semin. melon. par. contuſ. ℥j.
Fol. equiſ. Mß.
Aqu. fontan. ℔viiij.

Bulliant ad conſumptionem medietatis, & in fine decoctionis add. liquir. raſ. & minut. inciſ. ʒij. Ad lumborum fervorem temperandum, ordinavi unguentum refrigerans, veſperi uſurpandum,

℞. *Cerat. Santalin.* ℥j.
Ung. rosar.
Comitiss. a. ʒvj.
Ol. nymph.
Violar a. ℥ß.
Camph. ℈ß. *M.*

Et singulo mane, tribus horis ante prandium, ægroto exhibui mixturam illam, quam Joann. Petrus Faber commendat, ex succi limon. ℥j. & spiritus camphoræ ℈j. His remediis æger sexto curationis die citra injectiones (*quas alii miro successu ex plantaginis succo, melle rosaceo, mercurio dulcificato, aloeque succotrina conficiunt*) felicissimè restitutus fuit. Permultos etiam hoc turpi malo vexatos post exquisitam corporis mercurio dulci expurgationem, sola aqua *ad Gonorrhœam à Quercetano proposita*, & per aliquot septimanas exhibita curavi.

II. Anno M.DC.XXXV. Mense Julio, civi cuidam Ulmensi penem sphacelo corruptum, in convinio vivi scalpello (*Tab. XIV. Fig VI.*) abscidi, venas & arterias, ad mox sistendum sanguinem, ferramentis ignitis tetigi, iisque putredinis reliquias absumsi, donec Patiens vim ignis perciperet. Operatione finita & syringa (*Tab. XVII. Fig. VIII.*) meatui urinario imposita, loco adusto adhibui unguentum Ægyptiacum Mesue, cum filamentis carptis, ad removendam escharam, qua ablata ulcus beneficio cerati divini cicatricem adquisivit, & æger salvus evasit. Novi seniculum, cui Dominus Balthasarus, Ordinarius in Nosocomio, ad Divum Franciscum, Patavino Chirurgus penem, lue venerea corruptum, pariter amputavit, ulcusque convenientibus medicamentis applicitis consolidavit.

III. Ante triennium & ultra, miles quidam Nobilis, lue venerea affectus meo consilio usus est cura sudorifera, eaque ferè finita me rogavit, ut verrucas in præputio & glande exortas removerem. Proposui sectionem, erosionem, & combustionem excrescentiarum ipsi valdè molestarum. Eligenti adustionem singulas verrucas (*erant autem viginti tres*) ter quaterve inta horam ferramento optimè ignito tetigi, quo facto, omnes brevi evanuêre.

OBSERVATIO LXVI.

Calculus drachmas duas ponderans, & in meatu urinario hærens, qui citra meatus incisionem, vel specilli admotionem exemptus fuit.

M. *Jeremias* Baur / Parochus in Territorio Ulmano Edelschiessensis, per quinquennium urinam minxit aquæ fontanæ in substantia & colore simillimam, nullum tamen, nisi scalas aut montes descenderet dolorem, percipiens. Conquerenti de continuo egerendi conatu, molestissimoque urinæ stillicidio consilium dedi, ut Lithotomum admitteret exercitatum, ad confirmandam vel removendam de calculo suspicionem, quam habui ob signa ferè omnia calculi, ab Hildano doctè proposita. Consulenti obediens vocavit Lithotomum Mensingensem, qui, calculo per instrumentum invento, statim sectionem proposuit, &, eâ concessâ, domum festinavit, proximâ septimanâ

manâ Ulmam rediturus, & magno apparatu calculum extracturus. Tertio die post abitum Lithotomi, æger doloribus & timore exhaustus animam expiravit. Conjux defuncti Domini precibus satisfactura à me petiit, ut aperto abdomine inquirerem, an maritus piè defunctus calculo laborasset, nec ne? Præsentibus viduæ consanguineis, infimum cadaveris ventrem cruciatim detectum ab intestinis liberavi, ut præsentes vesicam adhuc integram, & ob calculum inclusum durissimam digitis tangere possent Inciso vesicæ (quæ calculo arctissimè adhærens ne guttulam ferè lotii continebat) fundo, unus ex adstantibus extraxit calculum satis magnum, qui figuram cordis humani repræsentans uncias quinque & dimidiam ponderavit. Viso calculo, vidua animo deliquit, & ad se rediens Deo Ter Opt. Maximo maximas egit gratias, quod charissimum maritum ante diem sectioni destinatum ad desideratas Beatorum sedes avocaverit. An autem calculus tam magnus in Parocho parvæ & brevis staturæ per vesicæ cervicem instrumento idoneo dilatatam tenaculâ extrahi potuisset, valdè dubito, non ob ponderis, ut sequens historia testatur, sed figurationis rationem; apex enim calculi vesicæ cervicem, basis verò fundum occupavit.

II. Anno M.DC.XXXIX. Mense Februarii, Juvenis quidam Leiphaimmensis receptus fuit in Nosocomium Ulmense, laborans urinæ incontinentia, ob laceratam vesicæ cervicem à calculo ovali, aspero, & uncias sex pendente, quem Marianus Marian, insignis Augustanorum Oculista & Lithotomus forcipe extraxit. Quoniam verò affectus videbatur incurabilis, solis medicamentis æger, quæ urinæ acrimoniam mulcerent, & intertriginem partium prohiberent, instructus Ulma discessit. Mense Majo ejusdem anni is ipse Juvenis laboravit ischuria ex calculo meatum urinariũ obstruente, meumq; consilium, quod literis mandavi, percipiens, mane ac vesperi sumsit dosin sequ. Julapii:

℞. *Syr. de alth. Fern.* ℥iiij.
Aqu. malv. ℥viij.
Cinnam. ℥ß.
Spir. vitriol. ℈ß.
M. pro duab. dosibus.

Et sæpius insedit balneo ductum urinarium relaxante, donec calculus rotundus, instar silicis durus, tres ferè drachmas ponderans, & ad colis usq; orificium ab urina protrusus, volsellæ dentibus arripi, atque sic citra urethræ incisionem (*quam Sennertus Inst. lib. 5. part. 2. section. 2. c 13. ex Fabr. Hildani Tract. de Lithotomia vesicæ proponit*) citraq; specilli operam (*Tab. XL. Fig. IV.*) eximi potuerit.

OBSERVATIO LXVII.

Scrotum hydropici utiliter perforatum.

S*Amuel* Asch / textor Ulmensis, ascite simul ac tympanitide correptus accepit à concive quodam garrulo & nimis jactabundo aliquot doses pulvisculi purgantis, à quorum usu frustraneo scrotum serosa inflammatione ita intumuit, ut magnitudine caput hominis maximum facilè superaret. Rebus ita habentibus curator infelix ac trepidus Medicum vocari jussit. Accersitus ego scroto vehementer inflammato per Chirurgum,

Matthæum Stölzlin / adhibui bis in die linimentum ſimplex, & ægro præſcripſi non modò potum ordinarium (*ex decocto ſeminis carvi & ſummitatum abſynthii*) ſed etiam medicamen hydroticum (℞. *Extract. Eſul. Ruland.* ℈ij. *vin. abſynth.* ℥ij. *Julep. roſ.* ʒj. *M.*) quod ſeri multum evacuavit. Poſt triduum æger idem repetiit purgans, à quo iterum plus quam undecim libras aquæ excrevit, cum conferentia & tolerantia, æger enim adjutus de lecto ſurgere potuit, & abdomen evidenter decrevit. Præmiſſis Univerſalibus, & mitigato *ſcroti* calore, ut ægri conjux tumefacto abdomini & ſcroto, ad exiccandas ſeri reliquias, cochleas in mortario craſſiusculè contuſas applicaret, & ibi per noctem relinqueret conſului. Sequenti mane æger conqueſtus eſt de dolore abdominis pungitivo, & novo ſcroti fervore, quamobrem, remotis & in poſterum neglectis cochleis, Chirurgus ſcroto inflammato iterum adhibuit linimentum ſimplex, &, quia tumor abdominis ad antiquam magnitudinem properare videbatur, ægro & adſtantibus propoſui ſectionem ſcroti, inflammatione ejus denuo mitigata inſtituendam, ut aqua, *ſcrotum* quæ replet atque abdomen, per factum vulnus expurgari poſſit. Conſenſu ægri in ſectionem propoſitam obtento, Chirurgus dextram *ſcroti* partem inſtrumento cannulato (*Tab. XL. Fig. II.*) perforavit, &, extracta inſtrumenti acu, per quatriduum mane & veſperi ſufficientem quantitatem ſeri emiſit, cannulam in *ſcroto* relictam & diligenter alligatam turunda linea probè obturans, & deſuper ad arcendam inflammationem linimentum ſimplex applicans. *Scroto* paulatim detumeſcente, Chirurgus cannulam inſtrumenti extraxit, & turundam lineam foramini impoſuit, eam quotidie minorem faciens: æger autem, meo conſilio, ſingulis diebus mane *jejuno ſtomacho ſumſit* ℔ʃs. *de vino Abſynthii, &* ℈j. *de ſpiritu ſalis communi*, pro potuq; ordinario avidè hauſit mixturam ex partibus æqualibus vini abſynthio alterati, & decocti carvi paratam, ſuper abdomen Emplaſtrum de baccis lauri cum ſtercore vaccino permixtum geſtans. A *ſcroti* perforatione, & dictorum medicamentorum uſu per quatuordecim dies continuato, quoniam æger plus ſemper reddidit urinæ, quam liquidorum per os aſſumſit tumor præternaturalis pedum & *ſcroti* penitus evanuit, infimus verò venter à flatibus parum adhuc tumidus per triennium apparuit.

OBSERVATIO LXVIII.

Vulnus ſclopeti in inguine & pene curatum.

ANno M. DC. XXXIII. Menſe Julio *N. N.* Vexillifer equitum Suecicus in duello vulneratus fuit ſclopeti globulo, in femore prope inguen dextro, in meatu urinario & crure ſiniſtro. Globulus namque radicem membri virilis perforans, & per longitudinem meatus urinarii percurrens, crus etiam ſiniſtrum læſit. Tertio læſionis die vocatus ſtatim ægro (*qui de inſigni meatus urinarii laceratione, penisque inflammatione & priapiſmo conqueſtus eſt*) propter gangrænæ metum, alvum clyſtere leniente ſubduci curavi, &, ordinato tenui victu (*qui in præcavendis & curandis quibuscunque inflammationibus plurimum valet*) vulneribus, inguinis ſcilicet dextri, penis atque cruris ſiniſtri oleum violatum, aquis cardui benedicti & malvæ ſepties lotum, & parva quantitate mellis roſati colati permixtum, ſiphone injeci, ipſiſque turundas eodem medicamento oblitas

oblinitas impoſui, deſuperque unguentum linimenti ſimplicis & cataplaſma (*ex farina hordei & fabarum, mica panis domeſtici, oxymellite ſimplici, oleoq; roſato paratum*) adhibui parteſque læſas convenienti faſcia deligavi. *Die* IV. ob inſignem penis inflammationem, & inde exortam febrem, Chirurgus meo conſilio incidit venam baſilicam dextri brachii, & ſanguinis ℥vj. emiſit. Poſt prandium ejusdem diei idem vulnerato aperuit venam ſaphenam dextri pedis, & ℥v. ſanguinis eduxit. Veſperi Patiens, ob magnum penis dolorem & ſemi-ſuppreſſionem urinæ, uſus eſt hac Emulſione.

℞. *Semin. melon.* ʒvj.
Lactuc.
Papav. alb. a. ʒj.
Agni caſt. ℈ij.
Aqu. Nymph.
Fragor.
Acetoſ. a. ℥iij.
F. Emulſ. & add.
Syr. viol. ℥ʃs. *M.*

Die V. conqueſtus eſt de maximo inter mingendum dolore, & eſchara tam in meatu urinario, quam reliquis vulneribus ſeparari cœpit. Quapropter meatui urinario per ſiphonem injeci ſequentem mixturam:

℞. *Aqu. Roſar.*
Malv.
Carduib. a. ℥ij.
Bol. armen. ppt.
C. C. uſt. ppt. a. ʒj.
Lapid. chryſ. ppt.
Ob ſanguinis fluxum ℈ʃs.
Ol. violat. ℥j. *M.*

Vulneri ejus, loco turundæ, immiſi, per glandis orificium, catheterem aureum (*Tab.* XVII. *Fig.* VIII) linteo obductum, & linimento ſimplici oblitum; inguinibus oleo roſato calidè inunctis adhibui lanam ſuccidam, lumbosque hoc unguento oblini juſſi.

℞. *Ung. infr. Galen.* ℥ij.
Comitiſſ. ℥ß.
Ol. roſat. ʒij. *M.*

Die VI. Propter meatus urinarii ab eſcharæ particula obſtructionem Patiens urinam per glandis orificium reddere non potuit, quapropter eſcharam volſellæ dentibus apprehendi & è meatu dicto extraxi. *Die* VII. dolor remiſit, ægerq; paulo melius habuit, quam diebus præteritis. *Die* VIII. Patiens bibit vinũ planè prohibitum, & luſit cum ancillis. Veſperi conqueſtus eſt de priapiſmo & dolore penis inflãmatorio. Propterea, & ob ſanguinis profuſionẽ æger uſus eſt iterũ enemate laxativo, & emulſione, quam ſuprà deſcripſi. Lumbos inunxi unguento refrigerante & adſtringente, peniq; injeci mixturã (*ex aquis oleo, & pulveribus*) ac meatui urinario impoſui fiſtulã modò allegatam, linteo obductam & lini-

& linimento ſimplici oblitam. Vulneri cruris & inguinis propter inflammationem adhibui oleum roſatum & violatum. *Die* IX. inflammatione adhuc durante, Patienti iterum ſecta eſt vena ſaphena ſiniſtri pedis, vulneribusq; omnia medicamenta fuerunt apposita aquæ die præterito. *Die* x. æger melius habuit, eſcharaque integrè ablata, meatui urinario per ſiphonem injeci liquorem ſequentem:

℞. Aqu. Plantag.
Prunell.
Roſar.
Carduib. a. ℥j.
Tut. præp. ʒij.
Lapid. Hæmatit. ℈j.
Bol. armen. ℈ſs. *M.*

Vulnus inguinis & cruris digerentibus, detergentibus, ſarcoticis & epuloticis tractavi medicamentis. *Die* XI. Patiens totum diem & integram noctem ſine omni dolore, aliaque moleſtia tranſegit. *Die* XII. ob alvi conſtipationem ſumſit bolos ſequentes:

℞. Flor. caſſ. rec. extr. ℥j.
Mann. elect. ʒij.
Pulv. liquirit. ℈j.
Sacch. albiſſ. q. ſ.
F. Boli.

A quibus quater dejecit. *Die* XIII. ipſi ob gonorrhæam benignam præſcripſi conditum, quod ſequitur,

℞. Conſ. Flor. malv.
Violar.
Cichor. a. ℥j.
Semin. agn. caſt. ʒjs.
Lactuc. ʒj.
Papav. alb. ℈iiij.
Syr papav. errat. q. ſ.
M. ad form. condit.

De quo mane, & veſperi ante introitum lecti & emulſionis propoſitæ uſum, ad magnitudinem nucis caſtaneæ aſſumſit. *Die* XIV. materia quædam viſcida meatum penis urinarium prope glandem ita obſtruxit, ut urina veſicam egreſſa per vulnus inguinis effluxerit. Quapropter particulam illam viſcidam volſella extraxi, & meatui urinario, poſt liquoris poſtremò præſcripti injectionem, fiſtulam linimento ſimplici obductam immiſi, & ne excidat membro, filis alligavi. *Die* XV. XVI. XVII XVIII. *&* XIX. æger ab uſu medicamentorum optimè habuit, & pus album, leve, atq; æquale, in pauciſſima quantitate ex omnibus vulneribus fluxit, iisq; caro rubicundiſſima cœpit increſcere. *Die* XXII. *&* XXIII. loco canaliculi aurei (*Tab.* XVII *Fig.* VIII.) candelam ceream cerato divino oblinivi, eaq; impoſita meatum urinarium conſolidavi. Interim tamen æger ſemper uſus eſt victu non admodum craſſo, & emulſione refrigerante. *Die* XXVII. meatus urinarius vulneraq; cruris & inguinis externa ad cicatricem ducta fuerunt.

OBSERVATIO LXIX.

Fœtus mortui eductio & oſſis ſcapulæ corruptæ curatio.

I. CUm fœtus mortuus remediis interne aſſumtis (*quorum Tab.* XLIII. *Fig.* VIII. *feci mentionem*) expelli nequit, commendatur à Zacuto Luſitano l. 9 prax. hiſtor. c. 17. obſerv. 2. ſuffumigium ex uvis putridis per vulvam, ſepties in die, horæ quadrantis ſpatio ſuſceptum, cujus efficaciam admiratus ſum Ulmæ in honeſtiſſima quadam matrona, adhuc ſuperſtite, quæ tum temporis libentius mori, quàm exercitati manum Chirurgi, aut tutiſſimam unci, aliorumve inſtrumentorum chirurgicorum operam (*à mihi ſæpius viſam, in vivis enim inſtrumenta nunquam adhibui*) concedere voluiſſet. Fœtum tamen mortuum, ex cujus retentione parturientes occubuere, è tribus cadaveribus, dum adhuc calebant, uncis (*Tabul. allegata*) citra tantillam uteri & vaginæ lacerationem, integre detraxi, in iiſque obſervavi, quod vera ſit illorum ſententia, qui oſſa pubis in difficili partu à ſe invicem, & ilium à Sacro diduci ſcribunt.

II. Anno M. DC. XXXVII. Menſe Martio, filio Prætoris Burleſingenſis curavi ſcapulam ſiniſtram valde corruptam, injiciens quotidie per duo ſinus foramina, quæ turundis unguento de Bethonica illitis conſervavi, ſequens decoctum,

℞. Radic Irid. Flor.
Ariſtoloch. rot.
conſol. maj. a. ℥j.
Herb. Veronic.
Piloſell.
Pimpinell.
Verben.
Vinc. perv.
Fragar. a. Mj.
Semin. plantag.
cichor. a ℥ß.
Aqu. font. ℔vj.
Vin. alb. ℔ij.
coqu. ad tert. part. conſumpt.
colatur. add.
Mell. roſ. colat. ℥iiij.
M. pro injectione.

donec ſcapula tam magnam carioſi oſſis ſquamam ſepararet, quæ ob foraminum ſinus anguſtiam extrahi non potuit. Quapropter foraminum interſtitium ſcalpello (*Tab.* XIV. *Fig.* X. XI.) intercidi, ſquamamque oſſis per volſellam exempta, ſinus aperti parietes appoſita ſpongia nova, in vino rubro expreſſa, & cataphractæ (*Tabul.* XXXVI. *Fig.* VII.) beneficio arctè adhibita, oſſi carni tecto agglutinavi.

OBSERVATIO LXX.

Vulnus sclopeti in dorso curatum.

ANno M.DC.XLIV. Die xxvii. Januarii hora tertia post meridiem, *Balthasarus* **Streger/** rusticus Geglingensis, uxorem suam Ulma domum vecturus, à milite quodam bene poto & temulento, globulis sclopeti ejaculatis, una cum conjuge sua iam graviter vulneratus fuit, ut ambo cogerentur reduci Ulmam, ubi vulnera Chirurgus *Matthæus* **Stöltzlen/** usque in sequentem diem obligavit. *Die* xxviii. Januarij propter insignem vulnerum dolorem Chirurgo in subsidium vocatus, rusticum tribus globulis læsum inveni, quorum primus capiti circa suturam occipitis lambdoidem oblique inhæsit. Secundus circa octavam thoracis costam dorso infixus fuit. Hos globulos acutis volsellæ dentibus statim extraxi. Tertius vero lumbis, paulum supra os sacrum, ita fuit immersus, ut nullo modo extrahi potuisset. Ob id vulnus occipitis nonnihil dilatavimus, & thoracis, cum ferè nullius esset momenti, ut simplex tractavimus. Vulnus ossi sacro vicinum dolore suo vehementissimo inflammationem adeo magnam excitavit, ut etiam partes vicinas obscœnas corriperet. Huic, propter sanguinis effluxum, per siphonem injecimus albumen ovi spatula agitatum, aqua plantaginis, pulvereque Galeni adstringente, & lapidis chrysoliti præparati permixtum, & loco inflammato apposuimus sub describendo cataplasmate Linimentum simplex. Revulsionis gratia adhibitum fuit Enema refrigerans, & emissus sanguis è vena brachii dextri mediana. Vesperi æger sumsit syrupum refrigerantem

℞. *Syr. Acetos. citr.* ℥ß.
Acetos. simpl. ℥j.
Aqu. Endiv. ℥ij.
Nymph. ℥j.
Pulv. marg. ppt. ℈ß.
M. pro dos. j.

& aliquot cochlearia de aqua cordiali.

℞. *Aqu. ceras. nigr.* ℥ij.
Pimpinell.
Rosar. a. ℥j.
Cinnam. ℥iij.
Spir. Ceph. Anhalt. ℈ij.
Corall. rubr. ppt. ℈js.
Lapid. Chrys. ppt. ℈ß.
M. Christ. perl. ℥ß.
M. ad vitrum.

Vulnerati conjux quinque globulis fuit læsa, quorum unus in capite infra aurem sinistram intravit, & sub cute repens circa os maxillæ inferioris exiit; secundus, tertius

tius & quartus globulus in dorso inter scapulas hæsit, quintus vero intravit circa internam humeri partem, & exiit circa flexuram cubiti. Itaque ob insignem totius brachii inflammationem vulneri turundas sequenti digestivo

℞. *Resin. Tereb. in aqu. plant. lot.* ℥j.
Ol. lumbric. terrestr. ℥js.
Vitell. ovor. par. M.

oblitis imposuimus, injecto per siphonem oleo violarum & lumbricorum terrestrium, desuper diapalma strictiori linteo inductum, & linimento simplici obductum adhibuimus, & totum apposito cataplasmate (*quod constabat ex farina hordei & fabarum, mica panis domestici, oleo rosarum, chamomillæ, atque lumbricorum terrestrium, & vino rubro*) brachium fascia longa obligavimus. His medicamentis usi sumus in villica usque in septimum diem, quo decidit eschara: interim observata fuit optima victus tenuis ratio, una cum præparantibus & alterantibus medicamentis. *Die octavo* æger bene habuit, dolor enim & inflammatio totius brachii cessavit. Hanc ob causam vulneribus turundas linimento sequenti

℞. *Resin. Tereb. lot. in aqu. plant.* ℥j.
Pulv. Myrrh.
aloes a ℈j.
lapid. Chrys. ppt. ℈ß.
Mell. ros. col. ℥js.
Bals. Peruvian. ℈js.
Syr. de ros. sicc. q.s.
M. pro Linimento.

imbutas immisimus, & ceratum diapalmæ desuper apposuimus, spongiamq; in vino rubro expressam fascia duobus capitibus prædita nonnihil expressive superligavimus. Vulnera simplicia capitis & dorsi ad cicatricem tetenderunt. *Die* xiv. vulnus brachii compositum, & reliqua simplicia cicatricē habuerunt, & Patiens feliciter restituta Gegglingam properavit. Tradita villicæ cura, ad rustici revertamur curationem. *Die Jan.* xxx. licet sinus ægri in occipitio major fuerit, quam die preterito, illam tamen spongiola contorta magis dilatavimus, vulnus ob fœtorem eluentes. Circa os sacrum dolor & inflammatio cataplasmatis supradescripti beneficio, & repetito enematis usu remisit. *Die* v. *Februar.* pus vulneris circa os sacrum inflicti fuit album & coctum: Patiens conquestus est de insigni capitis circa frontem dolore. *Die* vii. tumor & dolor circa os sacrum omnino evanuit, & propter hæmorrhagiam narium dolor etiam circa frontem cessavit. *Die* viii. vulneri circa os sacrum accepto turundam unguento (quod paratum fuit ex albumine ovi subacto, & pulvere sequenti

℞. *Lapid. Chrys. ppt.*
Hæmatit.
Aloes
Bol. arm. ppt. a. ℈js.
M. F. Pulv.)

infectam imposuimus, & emplastrum albi cocti superligavimus. *Die* IX. dolor omnis intermisit, & tota nocte Patiens quiete dormivit: turundam vulneri, quod fuit circa os sacrum, immisimus breviorem, & ad latera spongiam vino rubro calide expressam fascia expressiva superligavimus. Vulnus occipitis, quod die quinto satis profundum invenimus, adhuc sinuosum existens, serosam absque dolore materiam emisit. *Die* X. æger dixit, se præteritam noctem placide transegisse, vulnusque circa os sacrum bene habuit, quia pus album & coctum in paucissima quantitate generavit. Circa oculos æger sensit dolorem gravativum, quem post aliquot horas secuta est hæmorrhagia narium, à qua gravitas illa iterum remisit, Patiensque dixit, hunc sanguinis de naribus fluxum sibi esse proprium. *Die* XI. vulnus circa os sacrum cicatrice fuit obductum. *Die* XII. Vulnus occipitis specillo obtuso exploravi, & oblique inter cucullarem & paticatiæ musculum deorsum veniens, prædixi vulnerato & Chirurgo, vulnus hoc ob insignem contusionem, adhuc esse periculosum. Cum iterum Patiens tota nocte placide dormivisset. *Die* XIII. propter milites in suis ædibus hyemantes Gegglingam equitavit, sinu occipitis nondum consolidato. Interim Chirurgus ipsum singulis diebus visitavit, & sinum medicamentis tractando consolidavit. Elapsis decem diebus, à me petiit Chirurgus, ut vulnerato præscriberem potionem laxativam: præscripsi, à qua æger aliquot sedes habuit. Sequenti die Chirurgus iterum me accessit, dicens, se cogi sinum aperire, & operationis modum optime scire. Sectione concessa, *Die* XXVIII. Chirurgus sinum occipitis intempestive consolidatum aperuit, sed quo scalpello nescio. *Die* XXIX. ægrum corripuit febris. *Die* I. *Martii* Patiens syrupum purgantem sumsit,

℞. *Syr. rof. sol. f.* ℥js.
de mann. ʒvj.
Extract. Rhab.
Diacarth. a. ℈js.
Mag. Tart ℈j.
Aqu. ceras. nigr. q. s.
M f. Potio.

à quo vomitu statim rejecta, ne semel quidem fuit purgatus. *Die* III. *Martii*, cum æger pejus haberet, Gegglingam vocatus inveni ipsum valde debilem, vulnus totum Erysipelate inflammatorio affectum, sinumque in superficie vix ad tertiam partem à Chirurgo incisum, paulo enim inferius magnus adhuc sinus ipsum latavit, quem scalpello intactum reliquit. Pericranium adeo putrefactum fuit, ut à cranio facilè specillo obtuso separari potuisset. Obligato medicamentis idoneis vulnere, & refectis nutrimento viribus, ægro incisa fuit vena lateris læsi cephalica, & sanguis effluxit serosus ac semiputridus. Rebus ita habentibus, suasi Patienti, ut lectica vectus Ulmam rediret. *Die* IV. lectica in civitatem vecti vulnus religavi, & inveni Erysipelas, quod non modo vulnus, verum etiam posteriorem & anteriorem capitis partem ita occupavit, ut Patiens, de dolore capitis vehementissimo conquerens, aperire oculos minime poterit.

poterit. *Die* V. ob insignem capitis dolorem & internarum partium fervorem æger usus est enemate refrigerante & revellente.

℞. *Radic. Acetos.*
Alth. a. ℥ß.
Herb. Nymph.
Violar.
Malv.
Beton.
Flor. Chamon. a. Mß.
Semin. Lin. ʒiij.
Citr.
fœnic. a. ʒj.
Coq. in s. q. aq. font. & col. add.
Mell. rof sol. ℥iv.
Ol. violar.
Chamon. a. ℥js.
M pro Enemate.

Vesperi hausit Julepum refrigerantem. *Die* VI. noctem quietam habuit, sed conquestus est de cardialgia, & magna virium debilitate, idcirco præscripsi conditum

℞. *Conf. rosar. vitriol.*
violar. a. ℥j.
conf. alkerm. compl. ʒj.
Cortic. citr. cond. ʒij.
Syr. acetos. citr. q. s.
M. pro condito.

de quo sæpius per diem sumsit portionem, quam capit cuspis cultelli. Vulnus fudit cr us semicruentum, & pericranium apparuit semiputridum quamvis autem vulnus hoc, ratione sinus, majorem dilatationem requisiverit, propter magnam tamen virium debilitatem illud dilatare non licuit. Interea Patiens ob angustiam pectoris & vigilias usus est emulsione.

℞. *Semin. melon.* ℥ß.
papa. alb. ʒj.
Amygd. dulc. ʒvj.
Aqu ceras. nigr.
Nymph.
Fragar. a. ℥iij.
F. Emuls. & add.
Mag. Corall. rubr. ℈js.
Sacch. perl. ℥ß.
M. pro duabus dosib.

Die VII. æger melius habuit, totumque caput & facies vetumuit, vulnus pus coctum

ctum fudit, & labiis ejus ſordidis adhibitum fuit unguentum Ægyptiacum Hildani. Cum pericranium adhuc ſemiputridum appareret, ipſi impoſuimus ſyrupum de roſis ſiccis paratum, & ſpiritu vini mixtum. Ob ſitim & capitis dolorem Patiens admiſit enema heſternum. *Die* VIII. calor febrilis nonnihil remiſit, at æger conqueſtus eſt de dolore & incendio vulneris, circa os ſacrum, cicatrice jamjam obducti, quapropter uſus eſt enemate & emulſione ordinariis. Vulneri occipitis adhuc ſordido adhibuimus iterum unguentum Ægyptiacum compoſitum, & pericranio ſemiputrido ſyrupum de roſis ſiccis, cum ſpiritu vini, & decocto noſtro divino permixtum. *Die* IX. æger dixit, ſe præterita nocte ſex dormiviſſe horas: ex vulnere pus, ad viriditatem tendens, in pauca quantitate effluxit. Veſperi Patiens bene habuit, & calor totius omnino remiſit. *Die* X. veſperi conqueſtus eſt de ſummo dorſi calore, & vehementi capitis dolore, dicens, ſe non poſſe dormire propter inſomnia terribilia: quare uſus eſt enemate ordinario, à quo ter dejecit materiam bilioſam. *Die* XI bene habuit, & totam noctem ſomno placide conſumſit. *Die* XII. XIII. XIV. & XV. recte habuit, & ſinus occipitis internus parum puris cocti generavit. *Die* XVI. æger iterum bene habuit, ſed propter bilis in corpore abundantiam uſus eſt ſyrupo ſequenti.

℞. *Syr. roſ. ſol. s.* ℥ij.
Extract. Rhab. ℈iiij.
Diacarth. ℈j.
Mag. Tart. ℈ß.
Aqu. ceraſ. nigr. q. s. M.

Die XXIII. cum ſinus inferior propter foramen ſuperius nullo modo conſolidari potuiſſet, ſuaſi apertionem ſinus, ut materia exitum haberet. Ab hac ſectione, ob antecedentem fruſtra adhibitam, æger valde abhorruit. Quare veſperi candelam ceream uſque ad fundum ſinus impoſui & per noctem reliqui. Mane extraxi candelam, & ejus loco acum (*Tab.* XIV. *Fig.* VIII.) *qua ex una parte trahat funiculum ſeu ſetonem* (Fig. VII. Tabul. VII. exarmatum) *& ex altera acuta affixum habeat globulum cereum*, ſinus fundo appoſui, & cutem ægro inſcio citiſſimè perforavi, & funiculum in ſinu veluti in ſetaceo, reliqui. *Die* XXX. purgato iterum corpore à bilioſis humoribus, & emiſſo ſanguine ex vena brachii dextri mediana, Patiens recte habuit, foramenque ſuperius, uſque ad funiculum conſolidatum fuit. *Die* VI. *Aprilis* æger bene habens Ulma diſceſſit. *Die* VIII. extractus eſt funiculus, & X. vulnus cicatrice obductum apparuit.

OBSERVATIO LXXI.

Recidiva hæmorrhoidum ex ſcammoniatorum uſu, & anus non ſatis perforatus.

I. LAnius Ulmenſis, adhuc ſuperſtes, quem à diuturnis hæmorrhoidibus cannula & ſtylo (*Tab.* XLV. *Fig.* II.) tandem liberavi, toties recidivam paſſus eſt, quoties

quoties medicamentum purgans, quod ingrederentur vel folia ſenæ, vel ſcammonium, ore aſſumpſit. Quapropter mecum Clariſſimi Medici ægroto prohibuerunt uſum ſenæ & diagrydii ulteriorem, & æger exinde ab acerbo hæmorrhoidum dolore, per multos annos immunis ſaluberrime vixit.

II. Anno M.DC.XL. *Jacobo* Neubronner/ civi ac pannorum tonſori Ulmano natus eſt filiolus cum ano adeo anguſto, ut vix aciculæ communis cuſpidem admitteret. Vocatus propoſui chirurgiam (*Tabul.* XLV. *Figur.* VIII.) depictam, quam parentes noluerunt concedere. Quapropter neceſſariam ani ſtrictiſſimi dilatationem tentavi penicillis, ex radicibus gentianæ, præparatis quos oleo prius imbutos anguſtiſſimo ani orificio impoſui, ibique reliqui, donec tumefacti illud ſufficienter dilatarent. Modus radicibus dilatandi anguſta videatur obſervatione 50. deligandi vero anum, ne turundæ & medicamenta decidant *Tabul.* XLIII. *Figur.* IX.) Novi obſtetricem Patavinam, quæ anum recens natis totaliter occluſum acicula communi perforare, & factum dein foramen impoſitis ex gentiana turundis ampliare ſolita eſt.

OBSERVATIO LXXII.

Dolor Iſchiadicus per fonticulum ſuræ inuſtum curatus.

FOnticulum, qui ſuræ inter principia muſculi gaſterocnemii inuritur, mitigare dolores Iſchiadicos ſummo & feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum in me ipſo. Laudat quidem Excellentiſſimus Adrianus Spigelius *in humani corporis fabrica l.* 5. *c.* 9. ob tranſitum venæ popliteæ, inuſtionem fonticuli in ſura, ubi principia muſculi gaſterocnemii coeunt. Hic locus autem (*quem Daniel Bucretius in Julii Caſſerii Placentini Tabulis Anatomicis libr.* 1. *Tab.* 2. *lit.* ϖ. *notavit.*) quoniam ob declivitatem ſuam ad deligandum valde eſt incommodus: ego juxta Andream Veſalium *in corporis humani fabrica lib.* 2. *Tab.* 10. *de muſcul.* locum paulo ſuperiorem elegi, ipſique fonticulum inuſſi non ſine ratione: habet enim fonticulus hujus loci omnes boni fonticuli conditiones, quas ſupra Tab. LV. Fig. I. recenſui: *Primo* venam popliteam, quam antiqui & recentiores in Iſchiade, aliiſque morbis pluribus, *quos Aurelius Severinus libr. de Angeolog. c.* 26. *collegit*, magno certè cum ſucceſſu, aperiebant. *Secundo* interſtitium principiorum gaſterocnemii: neque enim metuendus ille nervus ſatis inſignis, qui ſub genu tranſcurrit, ut lædatur; nam ubi fonticulus conficitur, nervus progrediendo jamjam profundiora petiit. *Tertio* deligaturam firmiter conſiſtentem. *Quarto* commoditatem, qua Patiens ipſe fonticulum regere & gubernare poteſt. Notiſſimum eſt, eum, qui ſemel doloribus Iſchiadicis torquetur, non facile ab iis ita liberari, ut ſibi polliceri poſſit, ſe in poſterum, ab ejuſmodi cruciatibus fore immunem. Ego tamen ſanctè teſtari poſſum, me memetipſum, poſt uſum balnei in agro Ulmano Thalfingenſis, vulgo Geſundbronn/ beneficio hujus fonticuli per novenniū, &, ſi vixero, forſan ulterius à paroxyſmo præſervaſſe, venæ Iſchiadicæ ſectioni, hirudinibus ano applicitis, medicamentis purgantibus, ſudoriferis, & topicis (*quæ per annum*

annum integrum ex Clarissimorum Medicorum consiliis frustra assumsi & adhibui) valedicens. Quare si in futurum in tali cruciatu Ischiadis diuturno remedia interna & externa sine ullo successu usurpata fuerint, consulo Medicis, ut bona spe salutis ad propositam modo chirurgiam, tanquam ad sacram Anchoram confugianr. Non dubito enim quin Patiens per fonticulum suræ (*Tabul.* x. xv. *Fig.* 11) inustum sanitatem, Chirurgus vero maximam inde laudem deportaturus sit.

OBSERVATIO LXXIII.

Dolor Ischiadicus contumax, vesicatorio tandem mitigatus.

Valentinus Laterer / Ulmanus spirituum ex frumentis destillator, valde pinguis & obesus, doloribus Ischii sinistri correptus, sibi statim, neglectis universalibus, venam in pede extremo popliteam incidi curavit, &, crescentibus Ischidis doloribus, firmam, quam adhuc vovet, suspicionem concepit, Chirurgum juvenem in eligenda vena errasse; quapropter Patiens erroris commissi correctionem, dolorumque mitigationem optimè sperans seniorem vocavit balneatorem, qui ex ramo venæ prius apertæ sanguinem emisit. Doloribus iterum magis auctis, miser imploravit auxilium Medici ferè primarii, qui purgantibus frustra exhibitis, & topicis citra conferentiam applicitis, malum veneficio adscripsit. Cruciatibus miselli quotidie majus incrementum sumentibus, in consilium vocatus ego Patienti (*qui ob dolorum atrocitatem neque pede affecto stare, neque sedere, neque ullo modo jacere potuit*) præscripsi arcanum aluminis cum balneo, quod ex Felice Wirzio & aliis Autoribus valde commendat *Joannes Hartmannus in praxi chimiatrica.* Labro balnei insidens, & intolerabiles inde dolores percipiens, maximis vociferationibus rogavit, ut ipsum adstantes elevarent, & linteis calidis siccatum deportarent in lectum, cui solum pedis affecti genu inniteretur: pede enim sano terræ insistebat, cubitis vero mensam premabat. In hac ut minus dolorifica corporis figuratione æger ultra quatuor menses perseverans variis usus est medicamentis externis, quæ tamen, ob habitus crassitiem non penetrantia, nihil contulerunt. Ob ulcera & erysipelas ædematosum pedis dextri Patiens in subsidium vocavit Patriæ Archi-chirurgum, Johann Jacobum Riedlin / qui meo consilio, tres uncias emplastri vesicatorii Horstii latissimo corio induxit, & ischio dolenti applicuit. Horis duodecim elapsis, dictus Chirurgus vesicam forfice dissecuit, ulcerique, excepto ultra libram flavissimo liquore, folium brassicæ butyro recenti illitum apposuit. Ab eo tempore æger mitigatos sensit dolores, & primum supinus decumbere ac dormire cœpit, quatuor menses insomnes numerans. Consolidato ulcere, præscripsi extractum Esulæ Rulandi ad ʒj. in vino absynthii, à cujus usu Patiens multum seri & bilis excrevit. Ad extrahendas humorum reliquias loco tolerabiliter dolenti, tandem appositum fuit Emplastrum Ischiadicum Norimbergensis, eique post triduum remoto, vesicatorium, ægro non animadvertente, substitutum, quod, extracta liquoris viscidi magna quantitate, dolores in tantum mitigavit, ut æger, Ischii curata exulceratione, bacculi & conjugis beneficio de mensa ad mensam lente progredi potuerit. Usu petrolei

petrolei externo, & per trimestre continuato, dolor contumax penitus evanuit. Ex dictis clara fit medicamenti vesicam excitantis utilitas, ad quod, fonticulum suræ differens, mox confugio, si dolor ischiadicus, præmissis præmittendis, sequens præter spem eludit unguentum anodynum & resolvens,

℞. *Ax ung. Tax.*
Vulpis a. ℥iij.
Ol. mastichin. ℥ij.
Spic. ℥j.
Junip. d. ʒj. *M.*

Quod in mitigandis ischii doloribus mirè prodest, ut testabitur ex multis Medicus Ulmæ insignis, qui, in principio arthritidis constitutus, coxæ dolores & inguinis sinistri vehementissimos usu unguenti diario planè sopivit.

OBSERVATIO LXXIV.

Sinus in femore sinistro curatus.

ANno M. DC. XXVI. Die xix. Novembris me vocavit *frater meus Martinus*, ad socerum suum, *Joannem* Wolfanter / Nautam Ulmensem, & in Danubio navigando versatissimum. Is ipse (*quem Clarissimus Collega Dn. D. Gregorius Horstius in suarum Observationum Chirurgicarum noxa curavit*) mihi ostendit in femore sinistro sinum (*qui ex contusione ad suppurationem ducta, & negligenter tractata originem traxit*) petiitque medelam. Ego sinus magnitudinem specillo obtuso explorans, superficialem tantùm, at satis longum & latum inveni. Cùm autem hujusmodi sinus declives, ut notum, rarò agglutinentur, sequenti die ostensum forfice deceptoria (*eo tempore syringotomis Tabul.* xiv. *depictis nondum instructus*) inscio Patiente, incidere tentavi, postea carne replendum: sed cùm nimis tardè per forficem istam fieret operatio, nauta instrumentum animadvertens femur movit, manibusque dextram mihi repulit. Unde seposita curatione per ferrum, sinum parumper dilatatum albumine ovi conquassato & stupa pexa obligavi: subsistente sanguine, tertio & quarto die per siphonem infudi hydromel pro eluenda cavitate: quinto, sexto & septimo die vinum nigrum austerum, in quo cocta fuerunt balaustia, cortices granatorum, aliaque simplicia injeci, & spongiam novam eodem liquore madefactam & expressam fascia longa & trium digitorum transversorum lata (*latior enim non ita stringit*) superligavi, ligaturam ab inferioribus incipiens, & supra sinum in parte sua finiens. His medicamentis, in quibus magna glutinandi virtus est posita, eoque deligandi modo, intra septimanam, fratris socer felicissimè curatus fuit. Ab eo tempore nunquam ad Chirurgiam deveni, nisi remedia pharmaceutica sine successu fuerint adhibita: neque posthac amplius forfice deceptoria (*quia Chirurgum potius, quam ægrum decipit*) ad sinuum dilatationem sum usus.

OBSERVATIO LXXV.

Atheroma in femoris parte externa curatum.

HOnestissima *Virgo*, Margaretha N. cujus cognomen honoris gratia silentio involvendum existimo, triginta annorum, temperamenti calidi & sicci, conquesta est undecim annos de tumore citra dolorem duro, qui sua magnitudine ovum gallinaceum superavit, in femoris dextri parte sylvestri inter musculum glutæum appellatum & cutim exortus. Hic autem cùm esset tumor tunicatus, & neque internis, neque externis medicamentis cedere vellet, facto prognostico, quod hujusmodi tumor nonnisi Chirurgia feliciter curari queat, præparatum antea corpus ab humoribus purgavi, & *Anno M. DC. XLI. Die* XXVI. Maji tumorem sequenti modo exemi. Primò cutim atramento in crucem signavi, deinde, atramento exiccato, super lineas cutim in quatuor angulos rectos scalpello *(Tab. II. Fig. I.)* incidi, donec folliculus in conspectum veniret. Sectione solius cutis in crucem facta, & sanguine per spongiam nonnihil deterso, quatuor cutis angulos, à subjecta tunica, paulatim specillo lato separavi usque ad basin, ubi erat vena, quam abscidi, & tunicam tumoris integram volsella extraxi: remoto citra læsionem folliculo, vulneris labia statim ad mutuum contactum adduxi, & albumen ovi agitatum cum filamentis pulvere Galeni adstringente conspersis apposui. Obligato vulnere, folliculum dissecui, & in eo materiam pulticulæ similem inveni. *Die* XXVIII. *Julii* vulnus cicatrice fuit obductum, & Patiens pristinæ sanitati restituta.

OBSERVATIO LXXVI.

Excrescentia in femore magna.

J*Oanni* Ferber / Hamburgensi, militi Suecico, circa vigesimum quartum suæ ætatis annum, in dextri femoris interna parte, exortum est tuberculum, quod biennii spatio in tantam molem excrevit, ut sua magnitudine tria hominis adulti capita facillimè adæquaret, & ægri ingressum impediret. Hanc excrescentiam Empyricus quidam caustico medicamento corrodit, ut materiæ exitum procuraret, ulcus postmodum epuloticis consolidaturus. Sed cùm nullam invenisset materiam fluxibilem, Empyricus aufugit, & ægrum omni auxilio destitutum reliquit. Patiens *Anno M. DC. XXXIV.* Ulmam venit, ibique Chirurgi *Joannis Georgii Bauleri* operam imploravit, qui cùm nullis medicamentis ulcus fœdum consolidare potuisset, meo *Georgiiq; Riedlini* consilio, natam exulceratam & valdè dolentem forfice apprehendit, & cauteriis cultellaribus abscidit, escharaque ablata ulcus cerato divino ad cicatricem pulcherrimum perduxit. *Vid. Tab. LV. Fig. IV. explicationem.* Inspecta natæ resectæ substantia, quæ omninò erat carnosa, suisque venis & arteriis prædita, quæsivimus ex Patiente, an à natura tam macilentus fuerit? hic respondit, se, ante hujus natæ exortum & augmentum, corpus

corpus habuisse mediocriter crassum. Ex qua responsione fuimus edocti, quod excrescentia omne ferè alimentum, quo totum nutriri corpus debuisset, per venas & arterias observatas attraxerit. Restituto & jam jam Ulma discessuro consului, ut moderato victu uteretur, singulisque mensibus dorso sex cucurbitulas scarificatas adhiberet, donec corporis habitus paulatim iterum assuesceret sanguinem sibi assimilare, quem natura prius ad nutritionem tumoris transmittere consuevit. Hoc consilium juvenis per semestre diligenter observavit, & posthac incolumis vixit usque ad annum 1644. quo sub exercitu Bavarico militans me visitavit, & pro datis consiliis mihi magnas retulit gratias.

OBSERVATIO LXXVII.

Fractura femoris cum vulnere.

A*Nno M. DC. XLII. Die* XXII. *Octobris*, Ulmæ saccus tritico repletus ex altissimis ædibus Strenui & Nobilissimi Domini Erhardi Schadæi decidit, & prætereuntis *Catharina* Böckhin / Giengensis femur in medio fregit, ita ut inferior ossis pars per cutim prorumperet, & Patiens ob insignem, cum femoris, tum dorsi dolorem animo delinqueret. Ægra in Xenodochium delata, viribus per medicamenta interna & externa

(℞. *Aqu. ceras. nigr.* ℥iij.
Rosar.
Borrag. a. ℥j.
Cinnam ʒij.
Spir. ceph. Anh. ʒj.
Magist. corall. rubr. ℈js.
M. christ. perl ℥ß.
M ad vitrum & sig.
Aqua corroborans.
℞. *Aqua odorif. Fuchs.* ℥j.
Ros. ℥ß.
Acet. rut. ʒij. *M. & sig.*
Aqua naribus & carpis admovenda.)

collectis, & facta femoris in diversas partes extensione *(Tabul. XLIX Fig. III.)* extremitates fractas citra scalpri beneficium composui. Fracturâ compositâ, ossi fracto admovi pulverem ex radicibus Iridis Florentinæ & Aristolochiæ rotundæ: vulneri imposui turundam ex stupa cannabina confectam, & unguento stegnotico *(quod ex pulvere Galeni adstringente, & ovi albumine agitato conficitur)* imbutam, ad sistendum sanguinis fluxum. Exterius femur obligavi tribus fasciis, & sufficienti spleniorum numero *(Tab. LI.)* munitum in longissimum canalem deposui, *Tab. LIV. Fig. V.* Membro benè composito, propter dolorem totius pedis affecti ac dorsi, & imminens inflammationis periculum, Chirurgus Xenodochii destinatus Patienti venam sinistri cubiti me-

 dianam

dianam incidit, & ℥iiij. sanguinis emisit. *Die* II. *&* III. Patiens conquesta est de dolore dorsi, & urinæ, inter mingendum, ardore. *Die* IV. *&* V. eadem sine querelis ad interrogata respondit, sed quia corpus fuit constipatum, Medicus Nosocomii ordinarius ipsi præscripsit aliquot bolos *ex Electuarii lenitivi Flor.* ℥j. formandos, qui dum formarentur, menses fluere cœperunt. *Die* VI. VII. VIII. *&* IX. decumbens nihil quicquam doloris circa fracturam sensit, de levissima saltem tussicula & maximo ad partes obscœnas pruritu conquerens. Quapropter usa est sæpiùs de die mixtura, ex syrupo violarum, de liquiritia & tinctura rosarum, parata. Dorso & partibus obscœnis prurientibus, post fomentationem ex aqua dulci adhibui emplastrum album coctum, & linimentum simplex. *Die* X. religatum femur cerato diapalmæ perforato, tribus fasciis in vino rubro expressis & pertusis, sufficientique spleniorum ac ferularum numero iterum involvi, ut hac ratione deligatum vulnus, citra fasciarum solutionem, urgente necessitate, quotidie inspicere potuissem. Venter infimus maximè fuit tumidus, & ab umbilico usque ad pubem valdè durus, cui per triduum applicui cataplasma ex pulvere malvæ, mica panis, lacte, ac butyro non salito confectum. *Die* XIV. Patiens, ob abscessum in clunibus suppuratum, conquesta est de stranguria, & atrocissimo circa os sacrum dolore. *Die* XX rupto abscessu, & deterso ulcere & stranguria & dolor prædictus evanuit: sed quia ulcus clunium quotidianam requirebat medelam, membrum fractum in sua quiete permanere minimè potuit, *usque in diem* XXX. quo Patiens benè habuit, planè de nihilo conquerens. *Die* XL. ipsi novus suboriebatur abscessus sub poplite, qui ad suppurationem vergens maximè doluit, ruptusque fœdissimam effudit materiam. Qua de causa per siphonem abscessui injeci decoctum ex radicibus Iridis Florentinæ & Aristolochiæ rotundæ, herba Scordii, Veronicæ, Carduibenedicti, & melle rosato despumato, à quo dolor vehemens & fœtor gravissimus omninò cessavit. Fracturam iterum tractavi medicamentis ossi & vulneri convenientibus, cerato scilicet diapalmæ, fasciis fenestratis, spleniis oblongis, ac ferulis. *Die* LX de tali tantoque circa vulnus dolore punctorio conquesta est, ut præ lachrymarum effusione vix loqui poterit, dixitque se spectrum, quod in Xenodochio versari falsò creditur, non solùm per plures noctes vidisse, atque hinc totum corpus cum lectica tremuisse, & dolorem traxisse originem. Sed ego existimo dolorem ortum esse partim ex ulcere clunium, quod quotidie debuit expurgari, & ob hanc rationem membrum fractum & iterum compositum in debita quiete non permansit, partim, ob portionem ossis, quæ in hujusmodi casibus, circa hoc tempus, solet abscedere. *Die* XVIII. *Januarii Anni M.DC.XLIII.* Patiens conquesta est de acerbissimis circa vulnus femoris doloribus. Religato vulnere, inspectoque vulnere, specillo obtuso reperi frustulum ossis acutum, quod carnem perpetuò pupugit, & dolores acutissimos excitavit. Ideò statim vulnus scalpello sufficienter dilatavi, &, *Die* XIX separatam ossis particulam volsellæ dentibus arripui, & apprehensam extraxi, prout *Tab.* XLIV. *Fig.* III. videre est. *Die* XX. totum crus minus erat, quam diebus præteritis, & dolor pungitivus omninò intermisit. Post ossis abscessum femur ascia in crucem adducta (*Tabul.* LIV. *in femore*) deligavi usque ad perfectam vulneris sanationem. *Mense Februario*, ulcere poplitis nondum consolidato, Patiens mediante instrumento ferreo claudicans ambu-

ambulare cœpit. *Die* XVIII. *Martii* abscessit iterum portio ossis, quod magnitudinem digiti annularis adæquavit. *Die* XXX. ulcus cicatrice fuit obductum.

OBSERVATIO LXXVIII.

Alia femoris fractura cum vulnere.

ANno M. DC. XLIV. Die XIV. Decembris, *Joanni* Kriesinger / Cauponi Grimmelfingensi, dum ligna ex sylvis veheret, plaustrum lignis onustum femur sinistrum cum vulnere fregit. Æger rheda delatus est Ulmam, ubi Chirurgi satis periti, *Joannes* Meckhenried / *& Georgius* Riedlin femur vulneratum rectè obligarunt. *Die* XXVII. ob maximum femoris dolorem atque inflammationem in subsidium vocatus, primo ad ægrum ingressu quæsivi, utrum vulnus ab osse fracto, an verò à stipite proveniat. Patiens & ambo Chirurgi vulnus stipiti adscripserunt, cùm autem ipsis indicassem, hanc cognitionem plurimum ad curationem femoris facere, & ex femoralibus addisci posse; Si enim hæc perforata fuerint, vulnus proficisci ab extra, sin minus, ab intra. In femoralibus autem nullum foramen invenire potuerunt, ex quibus clarum fiebat, vulnus à fracto femore fuisse inflictum. Itaque femoris extensi fracturam composui, integrum femur tribus fasciis perforatis (*ut vulnus magnum quotidie expurgari possit*) & medicamento idoneo (*oleo scilicet rosarum, albumine ovi agitato, & aqua rosarum*) ad inflammationem depellendam, & dolorem nimium mitigandum, imbutis obligavi, & in longum canalem deposui. *Die* XXVIII. ob inquietam noctem & oris amaritudinem æger usus est syrupo liquido:

℞. *Syr. ros. sol.* ℥ij.
Extract. Rhab. ℈iiij.
Diacarth. ℈ij.
Magist. Tart. ℈j.
Aqu. cichor. q. s.
M. & f. potio. brev.

A qua dejecit aliquoties materiam biliosam. *Die* XXIX. ipsi secta fuit vena mediana sinistri brachii, & eductus sanguis ad ℥vij. Vesperi Patiens sumsit haustum emulsionis syrupo violaceo edulcoratæ. Illam noctem quietissimè transegit, & inflammatio cum dolore cessavit. Curata inflammatione, calli generationem ligaturis, medicamentis externis & convenienti victus ratione procuravi, Patiens tamen claudicat in hunc usque diem, quoniam à natura valdè iratus pedem canali impositum in quiete nunquam detinuit, sed nunc huc, nunc illuc manuum beneficio movit. Nec mirum est, quoniam, ut in Fracturarum cura monui, adultiores in femore fracti, etiamsi obedientissimi fuerint, rarissimè (*& quidem tunc, quando femur beneficio instrumenti Glossocomi Tab. XLIX. Fig. IV. conservatur extentum, si non per totum curationis tempus, saltem, dum æger excrementa alvi deponit, aut ipsi sternitur lectus*) citra claudicationem curantur.

 OB-

OBSERVATIO LXXIX.

Tumor in genu pueri maximus.

JAcobi **Mürdels** / Lanii Ulmensis filius, *Jacobus* quinque annorum, patrem currendo insequens & cespitans in terram silicibus stratam cecidit, sine doloris querela usque in quartam diem ambulavit, quo claudicare, & de genu contuso conqueri cœpit. Mater de puero multum sollicita vocat Barbitonsorem juvenem, *Johannem Andreas*, qui statim cataplasma contra cruorem Felicis **Wirzen**/ altera die (*pro discussione, ut reor*) linteum triplex in vino calido expressum applicuit. Puer ita tractatus corripitur febre acutissima, quæ remediis convenientibus à Medico ritè adhibitis die quodam critico per abscessum pedis affecti, inflammationem erysipelatosam solvebatur, quæ totum crus & femur ad inguina usque occupavit, puerum calore, rubore atque dolore vehementer affligens. Curata inflammatione, supererat in genu ante febrem contuso tumor ingens, quem (*cùm omnia resolventia explosisset*) ad suppurationem ducere tentarunt, & ante maturitatem in parte genu interna & externa medicamento caustico (*cujus usus in articulis semper est suspectus*) aperuerunt, materia nulla, vel certè paucissima. Re ita habente, Medicus ordinarius discessit, & totum curandi negotium Andreæ Barbitonsori reliquit, hic pro arte & Marte puerum tractavit, ulceraque caustico inusta consolidavit, & tumorem planè induravit. Mater magis, quam unquam, sollicita, & observans bonum virum huic malo esse insufficientem, & propterea etiam anxium, me consilii causa vocavit. *Hac ex parentum relatione.* Accedens inveni tumorem in genu (*haud absimilem iis, quos vulgò* **Gliedschwam** *appellant*) puerumque contractum, quia tibiam extendere non potuit. Facto prognostico, affectum hunc esse ancipitis & quidem diuturnæ curationis, rem ita sum aggressus. Pro emollitione & discussione tumoris quotidie per quadrantem horæ cum spongia adhibui fomentationem decocti ex sequentibus speciebus parata.

℞. *Herb. Malv.*
Verbasc.
Bethonic. a Mjs.
Flor. Malv. Mj.
Sem. Lini ℥j.
Radic. Alth. ℥ij.
Incis. & contus. ad thart.

Post fomentationem genu apposui ceratum diasinapi, quod *Hieronymus Fabricius ab Aquapend. cap. de melicerid. descripsit, & Excellentissimus Spigelius* correxit. Sub poplite & latera inunxi genu sequenti mixtura.

℞. *Ung. Evæ ℥ijs.*
Nervin. ʒvj.
Cerat. citrin. ℥j.
Ol. lumbor. terrestr. ʒvj.
Vulpin. ℥ij. M.

Usu

Usu fomentationis & cerati continuato, genu detumuit: ex inunctione verò poplitis & laterum ad extensionem facilitandam facta, Patiens nullum juvamen percepit; quare instrumentum ferreum (*quod Tabula* XVIII. *Figur.* I. *ex Guilhelm. Fabricii Hildani libello de combustionibus adumbrari curavi*) ad crus paulatim extendendum, genu applicui: hoc Patiens supra genu (applicito prius, corroborationis gratia, cerato Barbaro cum Magistrali diasinapios mixto, & facta poplitis inunctione, cum superposito sparadiappo sequenti:

℞. *Cerati citrin. ℥ijs.*
Ceræ flav. noviss. ℥ij.
Resin. Terebinth.
Pin. a ℥j.
M. ad ignem & intingatur tela.)

continue, noctes diesque portavit, singulis diebus cochleam instrumenti parum attrahendo, donec crus in rectum duceretur, ut spatio unius anni Patiens sine baculo ambularet. Causa contractionis erat mala pedis situatio, quam cavere debuissent usu capsulæ ligneæ, quem videre licet *Tab.* LV.

Anno M. DC. XXXVI. Die x. Octobris vocatus fui ad puerum *Martinum Gravium Leipheimensem*, qui mihi ostendit crus, ex ganglio in genu, versus posteriora contractum, quod præmissis universalibus, eodem instrumento, iisdemque topicis, octo mensium spatio, in directum extendi.

OBSERVATIO LXXX.

Gumma Gallicum sinistri pedis Chirurgia curatum.

MArtinus **Fischer** conquestus est de Gallico sinistri pedis Gummate, quod neque curæ sudoriferæ, neque cerato (*Tab. LV. Fig. I. commendato*) cedere voluit. Quapropter tibiæ cariem medicamento caustico detexi, ipsamque scalpris usque ad vivum derasi. Operatione finita, ossi deraso inspersi pulverem exiccantem, & filamenta arida ipsi apposui, donec carne obduceretur. Ulcus tandem medicamentis incarnantibus & cicatrizantibus tractavi jam notissimis. Hac Chirurgia, dictisque remediis æger felicissimè restitutus per plures annos optimè valuit, & postmodum violenta morte vitam finiit.

Nonnunquam tanta luis venereæ virulentia est, ut ossa tibiæ ad medullam usque corrodat, hincque scalprorum usus sufficiens non sit, sed præter hæc etiam requirantur vel modioli, vel ferramenta ignita ad eradicandas & consumendas cariei reliquias, quæ inserso prius euphorbii pulvere separari nequiverunt. Hujusmodi virulentiam observavi Patavii in vetula quadam octogenaria, è cujus sinistra tibia sæpè ossa ad indicis digiti magnitudinem accedentia H. Fabricius extraxit.

OB-

OBSERVATIO LXXXI.

Os tibiæ corruptæ ſcalpris feliciſſimo ſucceſſu deraſum.

M*Iles quidam Gallus* laboravit gonorrhæa virulenta, eaque per injectiones intempeſtivè ſuppreſſa, aliquando ab equo decidit in ſilices, qui crus ſuperficialiter ſaltem excoriarunt. Ulcuſculum remediis vulgaribus tractatum malignitatem acquiſivit, & os tibiæ corroſit. His perceptis, curam ſudoriferam propoſui, eaque finita crus ſecundùm longitudinem ſcalpello incidi, vulnus globulis ſtegnotico imbutis dilatavi, os ſcalpro deraſum pulveribus cephalicis obtexi, ulcus unguento citrino (*quod in ulceribus phagædenicis præſtantiſſimum eſt & mirè operatur*) incarnavi, & cerato divino ad cicatricem perduxi.

Martinus Schmid / Oellingenſis, puer undecim annorum, conqueritur de vehementiſſimo dolore tibiæ dextræ, & duobus foraminibus pus fœtidum fundentibus, quorum unum erat circa malleolum internum, alterum circa externum. Hunc affectum Barbitonſor illius pagi ordinarius tractavit pro luxatione pedis. Anno M. DC. XL. Die XVI. Decembris, æger receptus eſt in Xenodochium Ulmenſe, quem juſſu Inclyti Senatus viſitavi, & ſtatim animadverti affectum non eſſe luxationem, ſed corruptionem & eroſionem totius tibiæ, quam ita curare inſtitui. Primis itaque diebus puero bonam victus rationem præſcripſi, & ſequentem potionem.

℞. *Syr. roſ. ſol.* ℥js.
Elect Lenit. ℥ß.
Decoct. *fl. & fr. q. ſ.*
M. F. Potio.

A qua quinquies dejecit materiam valdè ſeroſam. *Die* XXII. Decembris, à tibiæ capite uſque ad malleolum internum (*ſine læſione venarum, arteriarum, nervorum & tendinum*) ſcalpello incidi crus, digitorum unguibus perioſtium à tibia ſeparavi, vulnusque ſtupa cannabina, medicamento ſtegnotico (*ex albumine ovi cum aqua roſarum agitato, & pulvere Galeni adſtringente*) & faſcia duobus capitibus prædita obligavi. *Die* XXIII. ſubſiſtente ſanguine, vulnus religatum inſpexi, & inveni, quod mea me opinio minimè fefellerit: nam non ſolùm pars anterior tibiæ in ſuperficie, verùm etiam pars ejusdem poſterior uſque ad medullam corrupta fuit: mox etiam aliquot corruptæ tibiæ particulas volſella exemi, & vulnus denuo, ob vehementem Patientis vociferationem, medicamentis & faſcia obligavi *Die* XXIV. os corruptum ſcalpris deraſi, & inferius tibiæ caput integrè corruptum & valdè fœtidum inveni. Quapropter os tibiæ decocto divino purgavi, ipſique pulverem radicum ariſtolochiæ rotundæ & Iridis Florentinæ inſperſi, & vulnus cerato diapalmæ contectum faſcia circulari obligavi. *Die* XXVI. & XXVII. propter magnam corruptionem os ſcalpris deraſi, & multas corruptæ tibiæ particulas extraxi. *Die* XXIX. ab inferiore & interno tibiæ capite magnam portionem corruptam forfice (*Tab.* XX. *Fig.* I.) abſcidi. *Die* XXX. fœtor oſſis ab uſu decocti divini nonnihil

remiſit. *Die* XXXI. poſtquam dolor pedis & fœtor remiſit, ægrum glutinoſa victus ratione nutrivi ad generandum callum, & vulneri, ad inducendam cicatricem, ceratum divinum applicui. Abhinc uſque in diem IV. Januarii Anni M. DC. XLI. ex inferiore tibiæ capite, ſeu malleo externo fluxit materia purulenta. *Die* VI. circa hoc foramen apparuit caro ſolida. *Die* VII. vulnus benè habuit, & natura os tibiæ à capite inferiore uſque ad mediam partem eroſum, integrè ſeparavit. Oſſe ſeparato, vulnus menſis ſpatio conſolidatum fuit.

OBSERVATIO LXXXII.

Fractura cruris cum vulnere.

ANno M. DC. XLIII. Die V. Decembris, hora VII. poſt meridiem, *Matthæus* Ritter / junior, Ulmę cecidit ex hypethra penſili, & fregit tibiam ſiniſtram (*ſpatio digitorum quatuor transverſorum ſupra caput inferius*) cum vulnere, oſſisque denudatione & prominentia in partem anteriorem. Repoſita per ſolam extenſionem fractura, dolor ante vehementiſſimus ſtatim remiſit. Crus itaque affectum & fractum tribus faſciis & ſufficienti ſpleniorum numero (*Tabul. LI.*) deligavi, & deligatum canali (*Tab. LIV.*) ritè impoſui. Inter deligandum Patiens, ad præcavendum imminens animi deliquium, ſæpius cochlear aquæ corroborantis, quod conſtabat ex ſequentibus, aſſumſit.

℞. *Aqu. ceraſ. nigr.*
Pimpinell.
Roſar. a. ℥j.
Cinnam. ʒj.
Spir. cephal. Anhalt. ℈js.
Magiſt. corall. rubr. ℈js.
Præpar. marg. orient. ℈j.
Lapid. chryſ. ℈ß.
Man. chriſt. perl. ʒiij.
M. ſ. art. ad vitr.

Die VI. Decembris à medicamentorum uſu dolor circa fracturam penitus evanuit, & Patiens uſque in quartum decubitus diem benè habuit. Die IX. religato & inſpecto vulnere nullum aderat inflammationis ſignum, nullusque dolor: quapropter oſſi tibiæ fracto filamenta arida, & labiis plagæ digeſtivum.

℞. *Reſin. Tereb. lot in aqu. plant.* ℥ß.
Pulv. radic. ariſt. long.
Irid. Flor. a. ℈ij.
Syr. de roſ. ſicc. ʒij.
Vitell. ovi unius.
M. pro digeſtivo.

Cum filamentis apposui, desuper ceratum diapalmæ, fascias & splenia adhibens. *Die* x. æger usus est enemate laxativo, & abhinc usque in septimum decubitus diem pulchrè habuit. *Die* xii. religato vulnere pus bonum & coctum apparuit, nullusque dolor aut inflammatio, quæ aliàs hujusmodi fracturas comitari solent, ægrum affecit: unde fracturam iisdem medicamentis curavi, atque totum crus cerato dicto, fasciis, plagulis & ferulis (*quia tumor inflammationis jam præteriit*) deligatum (*Tabul. LI. Fig. IV.*) in canalem deposui. *Die* xvi. iterum religato & inspecto vulnere, omnia rectè habuerunt, nullus enim dolor adfuit, tumor nullibi apparuit, & ex vulnere pus laudabile in pauca quantitate emanavit: quapropter ossi à membrana sua detecto inspersi pulverem ex radicibus aristochiæ longæ, & Iridis Florentinæ, vulneri sarcoticum adhibui, & crus cerato diapalmæ fasciis, spleniis, & ferulis iterum deligavi. Hoc die æger ludens chartis canalem huc & illuc movit, atque totam tibiam in sinistram partem distorsit. *Die* xvii idem mane conquestus est de compressione canalis sub genu in parte exteriore, infra caput fibulæ. Inspecto crure, extuberantiam aliquam animadverti, religato vulnere tuberculum tetigi, & obliquam fibulæ fracturam inveni, quam proculdubio natura consolidasset, si æger tibiam semper immotam servasset. *Die* xx. adhibui laminam ferream, (*ut extuberantiam fibulæ aliquantisper ad tibiam pelleret, quod etiam præstitit*) & frustulum ossis abscessurum prædixi. Fracturæ ossis tibiæ, quæ benè habuit, pulverem Iridis Florentinæ cum filamentis carptis & aridis imposui, totumque pedem cerato diapalmæ, fasciis, spleniis ac ferulis obligatum in canalem deposui. *Die* xxv. Patiens conqueritur de dolore circa fracturam fibulæ, qua inspecta inveni officulum, quod cutim nonnihil pupugit, unde ceratum, splenia & fascias aliquantulum in dextram partem abduxi, ut dolor ex officulo pungente remitteret. *Die* vi. *Januarii Anni M. DC. XLIV.* fractura tibiæ confirmari cœpit, & fibulæ officulum pungens in conspectum venit, cui pulverem Iridis Florentinæ & aristolochiæ longæ cum filamentis decerptis adhibui, & crus cerato diachalciteos, spleniis, lamella ferrea, & fasciis obligavi, ut pes pristinam acquireret rectitudinem. *Die* xvi. *Januarii* vulneri tibiæ applicui tantùm filamenta carpta; fibulæ verò, quod pus bonum & album fudit, post resectionem forfice officuli, pulveres inspersi: quo facto, totum crus, velut diebus præteritis, cerato diapalmæ, fasciis, spleniis & lamella ferrea obligavi. *Die* xxvi. fractura tibiæ fuit confirmata. *Die* v. *Februarii* natura fibulæ iterum separavit officulum, & substantiam sanam carne jam obduxit. Quapropter ulcus filamentis carptis, cerato divino, & fasciis laxè obligavi, partemque affectam in canalem debitè reposui. *Die* xxv. ulceri, ob excrescentiam carnis, inspersi pulverem aluminis usti, qua consumpta, *Die* xiv. *Martii* aliud frustulum ossis volsellâ extraxi, ulcus filamentis siccis & cerato divino tractavi, partemque, ut diebus præteritis obligatam ritè deposui. *Die* xxiv. ob inordinatam victus rationem pus fuit viride & ulcus serpsit, unde ægro sequens vinum catharticum ordinavi.

℞. *Radic. Gramin.*
Irid. Flor. a. ℥js.

Herb.

Herb. Bethon.
Veron.
Cent. min.
Borrag.
Absynth. a. P. ß.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥j.
Rhabarb. elect. ʒiij.
Agaric. trochisc. ʒij.
Hermod.
Turbith. a. ʒjs.
Sem. carth. cont. ʒiijs.
Anis.
Fœnicul. a. ℈js.
Crem. Tart. ʒiij.
Gingib.
Galang. a. ℈j.
Incis. & contusa ad sacculum in mens. j. vin. alb. infundend.

De hac infusione Patiens, alternis diebus, duabus horis ante prandium, sumsit ℥iijs. Ab usu hujus vini medicati æger benè habuit, & ulcus pus coctum, album, & minimè fœtidum generavit. Die xiv. *Aprilis* Patiens optimè habuit, atque, ob vulnus cicatrice obductum, grallæ opera subnixus ambulare cœpit. Die iv. *Maji* æger lætissimus grallam deposuit, & minimè claudicans incessit.

OBSERVATIO LXXXIII.

Tibia corrupta.

ANno M. DC. XXXIV. Die viii. Junii, Dominus *Augustinus* Mertz / Mercator Ulmensis, conqueritur de insigni exulceratione, doloreque magno dextræ tibiæ, ac totius corporis atrophia. Inspecto ulcere, non modò os tibiæ à superficie ad medullam usque corruptum, verùm etiam inferius caput fibulæ læsum invenimus. Unde communicatis Clarissimorum & Excellentissimorum Medicorum (*Domini Doctoris Gregorii Horstii, ac Domini Doctoris Joannis Reguli Villingeri*) consiliis statuimus, totum os tibiæ removendum esse. Cùm autem corpus ratione atrophiæ esset exsangue, de inducenda ultimò cicatrice dubitavimus. Et quamvis petito Domini ægroti satisfacientes, abrasione & ustione, ad removendam cariem, periculum fecerimus, ob defectum tamen alimenti, quod ossa ex sanguine & medulla habent, omnia incassum tentavimus: os enim derasum vel inustum, ob alimenti defectum, nec carne tegi, neque squamas separare potest. Quapropter unanimi consensu pro rato habuimus,

mus, ut totum os tibiæ corruptum, frustra hactenus abrasum & inustum, excideretur. Præparato igitur universalibus corpore, *die* VI. *Julii*, scalpello (*Tabul.II.Fig II.*) secui cutim totius cruris (*prius secundùm rectitudinem collocati, & ab adstantibus utrinque detenti*) ferè ad inferiorem usque appendicem tibiæ (*Tabul. LV. Fig. VI.*) &, sectione finitâ, ostendi prædictis Dominis Collegis & adstantibus tibiam valdè corruptam, & dimidium caput fibulæ putrefactum. Huic tibiæ supercrevit cartilago quædam, ut os sub ea, tanquam gladius in vagina, trahi posset: ob id vulnus filamentis conceptis, albumine ovi agitato imbutis, & pulvere Galeni adstringente conspersis obligavi. *Die* VII. *Julii*, subsistente sanguine, vulnus religavi, & tibiam corruptam in sua vagina cartilaginea (*quam prius modiolis Tabula Secunda depictis perforavi bis vel ter usque ad os tibiæ corruptum, & factorum interstitia foraminum excidi forcipe ad cartilagines Tabul. XII. accommodata*) locatam monstravi. Incisa cartilagine, os tibiæ corruptum (*Tabul. LIV. Figur. IX.*) volsellâ extraxi, & caput fibulæ corrosum modiolo etiam excidi, atque hac ratione tibiam, à genu ferè usque ad inferius caput, abstuli. His omnibus peractis, utrique tibiæ capiti pulverem, è radicibus aristolochiæ longæ, ac Iridis Florentinæ, nec non lapide chrysolito paratum, inspersi, & filamenta sicca apposui. Desuper adhibui ceratum Diapalmæ, & splenio in mixtura vini rubri & olei rosati expresso involutum crus, fasciisque decussatim deligatum in canalem longum deposui. *Die*, post sectionem, *tertio* dolor aliquantulum remisit, & Patiens ob constipationem alvi usus est sequenti Enemate:

℞. *Herb. Acetos.*
Mercur.
Parietar.
Borrag.
Sonch. a. Mj.
Coqu. in s. q. aqu. font.
In colatur. ℥viiij. *diss.*
Mell. ros. sol. ℥iijß.
Ol. violat. ℥ij. *M. F. Clyst.*

Victus fuit tenuis & refrigerans, culeus, ptisana hordeacea, panatella, pruna laxativa, potus aqu. hordei Magistralis, cum vino granatorum mixta. *Die* IV. vulnus, ob putredinem carnis ab osse relictum, decocto lavi divino, & dein ipsi filamenta concerpta & digestivo sequenti,

℞. *Resin. Tereb. lot. in aqu. plant. & scord.* ℥ß.
Pulv. rad. Irid. Flor.
Arist. long.
Scordii a. ʒj.
Thuris.
Aloes. a. ℈j.

Syr. de ros. sicc. q. s.
M. pro digestivo,

oblita apposui, desuper ceratum diapalmæ applicans, & crus ascia cruciformi (*Tabul.* LIV. *Fig.* III. IV. V.) involvens. *Die* V. præscripsimus nodulum purgantem, de cujus infusione clarificata sumsit æger, alternis diebus, tribus horis ante prandium, uncias quatuor.

℞. *Lign. Lentisc.*
Radic. Acetos. a. ʒiij.
Sarsapar. ʒvj.
Fol. sen. s. st. ℥js.
Radic. mech. alb. ℥ß.
Turbith.
Hermod. a. ʒij.
Sem. carth. contus. ʒvj.
Anis.
Fænicul. a. ℈j.
Crem. Tart. ℥ß.
Gingib.
Galang. a. ℈js.
Incisa & contusa includantur sacculo, & infundantur fervidè in mensura decocti hordei & f. claretum.

Die VI. Patiens ab haustu clareti melius habuit, &, pede religato, pus ad albedinem tetendit, fœtorque ossis relicti omninò remisit: Quare vulnus, seu potius ulcus medicamentis modò dictis quotidie obligavi usque in diem duodecimum. Expurgato per claretum corpore ab humoribus vitiosis, *Die* XIII. præscripsi sequens decoctum,

℞. *Radic. Sarsapar.* ℥js.
Chin. ℥j.
Lign. santal. rubr. ℥ß.
Cortic. lign. sancti. ʒij.
Infundantur s. art. in s. q. aqu. font. & coquantur ad consumptionem medietatis, in fine decoctionis addatur Passular. minor. ℥j.

De colatura decocti æger mane & vesperi quatuor horis ante prandium & cænam hausit uncias quatuor. In prandio autem & cæna bibit secundum ex dictis speciebus decoctum. Vulnus benè habuit, in cavitatem tibiæ, & caput fibulæ misi candelam ceream, quæ crassitie digitum adæquavit: in extremitatibus tibiæ inferioribus & superioribus caro rubra crescere, & vulnus pus laudabile effundere cœpit. *Die* XV. XVI. & XVII. Patiens pulchrè habuit, & circa extremitatem cavitatis superiorem adhuc frustulum ossis nigrum & semiputridum volsellæ dentibus extraxi. *Die* XX. æger usus est enemate laxativo, vulnus fudit pus coctum: extremitatibus tibiæ, ad majorem exiccationem, inspersi pulverem, ex æqualibus partibus radicum aristolochiæ longæ, Iridis Florentinæ,

Herbæ scordii, thuris, & sacchari albissimi præparatum. Capiti fibulæ increvit caro rubra, quare labiis ulceris, ad majorem exiccationem apposui ceratum divinum. Ab usu decoctionis modo præscriptæ Patiens quidem bene habuit, & illa totius corporis atrophia nonnihil remisit, nihilominus tamen alternis diebus (*à die 24. usque 30.*) usus est clareto cathartico, & decocto exiccante. Die xxxi. ab inferiore tibiæ capite aliquot frustula volsellæ dentibus extraxi, foramini fibulæ, ob excrescentiam carnis, & vulneri undique filamenta carpta applicui; labiis ejus ceratum divinum adhibui, totum crus diapalma & fasciis decussatim injectis deligatum, canali suo imposui. His medicamentis vulnus fuit tractatum usque ad diem quadragesimum primum. *A die* XLII. usque ad L. æger optimè valuit, tarsum, metatarsum, & digitos pedis huc & illuc movere potens: nam musculi pedem flectentes (ut tibiæus Anticus, & peroneus secundus) & extendentes (*ut gasterocnemius internus & externus*) in prima cruris sectione illæsi manserunt. Ne tamen aliquis miretur, & pedis motum sine fulcimento impossibilem fuisse putet, is sciat, naturam spatio hujus temporis, loco ossis exempti, callum generasse, & fibulam tibiæ, corpus sustentantis, vices egisse. Die LX. noctem habuit inquietam Patiens, & conquestus est de amaritudine oris, & crucis dolore: quapropter, meo consilio, sumsit pulverem cholagogum in jusculo cichorei alterato.

℞. *Rhab. elect.* ℈iijs.
crem. Tart. ℈j.
cinnamom. ℈ß.
M. f. pulvis.

A cujus usu quinquies materiam biliosam dejecit. Religato vulnere, officulum reperi cutem pungens quod natura separavit. Officulo volsella extracto, dolor remisit, & æger plusquam bene habuit. *Die* LXX. natura ex foramine fibulæ expulit ossiculum exiguum, totumque dein foramen optima carne replevit. Capiti tibiæ inferiori & superiori caro rubicunda innascitur, & vulneri à lateribus inducitur cicatrix. *Die* LXXX. vulnus ad indicis digiti longitudinem cicatrice fuit obductum, & totus pes cum digitis, huc & illuc impedimento potuit moveri. *Die* LXXXI. præscripsi sequens unguentum,

℞. *Ol. lumbr. terrestr.*
Chamomill. a. ℥ß.
Unguent. Nerv.
Eva. a. ℥j. *M.*

ad inungendam poplitem. *Die* LXXXIV. curavimus fieri instrumentum ex lamina ferreum, quod superius spathæ, & inferius stapedis formam repræsentavit. Hoc instrumento, quod gossypio & linteo subduximus, tibiæ applicito, Patiens grallæ incumbens, prima vice ambulare cœpit. *Die* XCIV. æger optimè valuit, & gralla deposita, sinistra manu nixus, sine impedimento in publicum prodiit, vulnere ad pollicis magnitudinem adhuc aperto, aut cicatrice nondum obducto; nihilominus tamen ob metum

metum Erysipelatis, cui per naturam fuit obnoxius, sumsit singulis mensibus pulverem cholagogum in brodio radicibus cichorei alterato.

℞. *Pulv. Rhab.* ʒj.
Gelapp. ℈j.
crem. Tart. ℈ß. *M.*

Die CXX. æger bene valuit, sed, quia pes ob defatigationem contraxit Erysipelas, coactus fuit assumere pulverem Rhabarbari præscriptum, & pedi linimentum simplex adhibere? quarto ab usu horum remediorum die Erysipelas evanuit, & Patiens iterum sine baculo ambulavit, optimè habens usque in diem CC. quo, cum forum pisces empturus peteret, nescio quali incessu callum à natura tibiæ substitutum fregit. Inspecta fractura, vulnus adhuc apertum citra dolorem scalpello dilatavi, & inveni in callo duas fissuras, inter quas particulam mediam, & magnitudine digiti transversi fractam specillo huc & illuc movere potui. His rebus ita stantibus, cum nullus adesset dolor, nullaque inflammatio, fractam particulam calli modiolo perforavi, & interstitium forcipe ad cartilagines parata (*Tab. XII.*) excisum frustulatim extraxi: deinde utramque tibiæ partem (*tam inferiorem, quam superiorem*) scalpro derasi, & partibus callosis pulverem Iridis Florentinæ & aristolochiæ longæ cum filamentis imposui, vulnus cerato diachalciteos & fasciis decussatis obligavi, & pedem in canalem suum collocavi, ita ut optima victus ratione observata, & repetito pulveris Rhabarbari usu pedi iterum callus fuerit inductus, & Patiens pristinæ sanitati restitutus, usque in Annum M.DC.XLV. quo hæc scripsi, sine bacculi beneficio ambulare potuerit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Vulnus sclopeti cum fractura tibiæ.

ANno M.DC.XLIV. Die xxxi. Maji, hora 6. post meridiem, *Leonhardus* Hensseler/ Bubulcus Ulmensis, læsus fuit plumbea sclopeti explosi glande, quæ non solum sinistram tibiam paulo infra genu fregit, ut os extra vulnus prominerer; verum etiam crus dextrum sine ossium læsione perforavit. Rebus ita habentibus, prima visitatione, partibus affectis (*ob medicamentorum aliorum defectum*) sequentia fuerunt adhibita. Dextro cruris vulneri oleum violarum, albumine ovi agitato mixtum, siphone injeci, ambobus foraminibus turundam exiguam, dictaque mixtura imbutum imposui, desuper ceratum diachalciteos, cataplasma (*ex farina hordei, pulvere foliorum malvæ, mica panis domestici, & lacte paratum*) & fasciam duobus capitibus adhibens. Quo facto, sinistræ fracturam tibiæ, quantum fuit possibile, composui, & vulneri pariter albumen ovi oleo violato concussum infudi, foraminibusque turundam ex filamentis tantum aridis contortam immisi, desuper diapalma, & prædictum cataplasma applicui, totumque crus fasciis serratis (*seu ascia cruciformi Tab. LIV. Fig. III. IV. & V.* deligatum, in canalem rite deposui. *Die* 1. *Junii* frustulum ossis, quod

carnem

carnem & cutim pupugit, & ægrum tota nocte inquietum reddidit) forfice (*Tabul.*xx. *Figur.*I.) abscidi, eoque abscisso, foraminum vulneris cutaneum interstitium syringotomo (*Tab.*xiv. *Fig.*xi.) dissecui, vulnusque dicta ratione dilatatum sequentibus medicamentis tractavi:

℞. *Resin. Tereb. in aqu. plant. lot.* ʒiij.
Ol. lumbric. terrestr. ʒjs.
Vitell. ovi unius.
Mell ros. col. q. s.
M. pro Digestivo.

℞. *Radic. Aristol. long.*
Irid. Florent. a. ʒj.
M. & F. Pulvis.

Ossibus pulvere præscripto conspersis filamenta arida apposui, carni autem globulos digestivo oblitos: quo facto, vulneris labia cerato diapalmæ obtexi, pedemque cataplasmate & fasciis asciæ serratis probe deligatum suo canali denuo imposui. Interim vulneratus ob imminens animi deliquium per intervalla sumsit cochleare unum aut alterum de sequenti aqua confortante.

℞. *Aqu. ceras. nigr.* ℥ij.
borrag.
Rosar. a. ℥j.
Cinnamom. ʒij.
Spir. ceph. Anhalt ℈js.
Mag. corall. rubr. ℈ij.
Man. Christ. perl. ℥ß. *M.*

Ad extinguendam sitim ægro præscripsi etiam syrupos refrigerantes,

℞. *Syr. Acetos. simpl.* ℥ij.
Granat. acid.
Acet. citr. a. ℥js. *M.*

quibus aquam hordei, pro potu ordinario præscriptam, miscuit, & acidulam reddidit. His peractis, vulneratus ob præsentem dolorem, imminentemque inflammationem, usus est enemate refrigerante & alvum lubricam reddente: quo rejecto, Barbitonsor venam brachii dextri medianam phlebotomo incidit, & sex uncias sanguinis emisit. *Die* II *Junii* æger aliquantulum melius habuit. *Die* III. *Junii*, cum Patiens præterita nocte, ob aliud ossis frustulum (*quod carnosas partes maxime pupugit*) inquiete dormivisset, illud modiolis excidi, ossi reliquo pulverem præscriptum inspergens, & labiis plagæ digestivum apponens. Æger eodem die, propter constipationem alvi, maximumque humorum ad partes læsas decursum, assumsit potionem Medicam.

℞. *Syr. ros. sol.* ℥ij.
Elect. Lenit. ʒvj.

De succ. rosar. ʒjß.
Decoct. flor. & fr. q. s.
M. & f. potio.

A qua quinquies materiam biliosam & serosam dejecit. *Die* IV. *Junii* iterum melius habuit, quam die præterito. *Die* V. conquestus de doloribus colicis, quare ipsi exhibui ℥ijs. olei amygdalarum dulcium (*in brodio calido, floribus chamomillæ alterato*) à quo dolor cessavit. *Die* VI. cùm ipsi alvus denuo esset constipata, hausit potionem nuper ordinatam, à cujus operatione Patiens optimè dormivit. *Die* VII. post escharæ casum vulnus tractavi digestivo,

℞. *Tereb. lot.* ʒiij.
Vitell. ovi. j.
Mell. ros. col. q. s. M.

& integrum ferè crus, loco cataplasmatis, cerato diapalmæ super vulnus perforato, fasciisque serratis involvi. *Die* VIII. foraminibus imposui sequens digestivum:

℞. *Resin. Tereb. lot. in aqu. scord.* ʒiij.
Pulv. radic. Irid. Flor.
Aristol. long. a. ʒj.
Aloës.
Myrrh.
Thur. mascul.
Bol. arm. ppt. a. ℈js.
Balsam. Peruvian. ʒj.
Syr. de ros. sicc.
Mell ros. col. a. q. s.
M. in f. linim.

Die IX. Patiens, quoad pedes, benè habuit, sed iterum conquestus est de dolore colico, qui post spontaneam biliosæ materiæ expurgationem cessavit. Propter vulneris fœtorem, siphone decoctum divinum injeci. *Die* X. æger benè habuit, & vulnus tibiæ sinistræ fudit pus coctum, sub tibia fracta observavi particulam ossis putridam, quam divino decocto lavi, & pulvere appropriato obtexi: dein vulnus linimento præscripto & cerato diapalmæ obligavi. *A die* XV. *Patiens benè habuit usque ad* XXX. quo sinistræ tibiæ os in superficie & externa sui parte sese desquamavit. Vulnus dextræ tibiæ ad cicatricem tetendit. *Die* VII. *Julii* frustulum ossis à natura separatum volsellæ dentibus extraxi. Vulnus tibiæ dextræ cicatrice fuit obductum. *Die* XV. propter inordinatam victus rationem æger conquestus est de insigni dolore sinistri cruris, duobus digitis transversis supra genu. Religato vulnere, deprehendi abscessum, qui digitis compressus magnam puris quantitatem effudit. *Die* XXVI. *Julii* Patiens, ob amaritudinem oris, sumsit pulverem sequentem,

℞. *Rhab. elect.* ʒj.
Rad. mech. nigr. ℈j.

Crem. Tart. ℈ß.
M. & F. Pulvis,

A quo sæpius materiam biliosam dejecit, & inde melius habuit. *Die* xxv. Augusti volsella extraxi frustulum ossis, quod longitudinem digiti manus minimi adæquaret. *Die* xiv. Septembris sub genu & circa anteriorem patellæ partem alius apparuit sinus, quem (*cùm per foramen superius expurgari non potuisset*) instrumenti (*Tabul.* xiv. *Figur.* ix.) cuspide incerato perforavi, & parietes, expurgatâ prius materiâ, spongia in vino expressa, & fascia duobus capitibus prædita agglutinavi. Post agglutinationem sinus, vulnus paucissimis diebus, cerati divini opera, cicatrice obduxi, ita ut Patiens Die iv. Octobris sine grallis ambulare, & Mense Decembri suis citra impedimentum officiis domesticis fungi cœperit.

OBSERVATIO LXXXV.

Mira cucurbitularum siccarum in femoribus efficacia.

JAcobi Schmids/Textoris Ulmani conjux (*quæ ob trimestrem mensium suppressionem omnibus gravida videbatur*) per intervalla maximè vociferans conqueritur de insigni & ferè intolerabili circa præcordia dolore, magnaque respirandi difficultate: Ad horum symptomatum mitigationem præsentes ipsi mulierculæ per quatuordecim dies medicamenta hystericis affectibus contraria exhibuerunt, naribusque & umbilico adhibuerunt. His nihil conferentibus, Patiens per maritum petiit meum consilium, quare ipsi præscripsi potionem laxativam (*ex mannæ ℥iij. aqu. meliß. simp. s. q. & elix. uterino Croll.* ℈js.) & mixturam ex aquis hystericam, finita laxativi operatione, sumendam Mulier tamen nullum exinde auxilium sentiens me vocari jussit, ut præsens miseræ meliora consulere possem. Accedens reperi Patientem maximis vociferationibus conquerentem de suprà recensitis symptomatibus, quæ interdum per horulam emittunt, & iterum ingravescentia comitem habent convulsionem oculorum, & buccarum inflationem. Rebus ita habentibus, meo consilio Chirurgus, *Joannes Memminger* in utroque pede Patienti venam saphenam benè incidit, ad revellendum sanguinem à præcordiis oppressis. Sed tantus fuit sanguinis in superiora tractus, ut per datam in pedibus portam ultra unciam non efflueret: quare utrique femori cucurbitulas sex citra scarificationem affixit Chirurgus, affixusque à suprema femorum parte usque genua traxit, cucurbitularum tempore vespertino adhibitionem & tractationem toties repetens, donec domestica seu interna femorum pars rubicundissima, ob attractum sanguinem, apparuerit. Ab usu harum cucurbitularum dolores statim mitiores visi, paulatim sequenti nocte decreverunt, &, fluentibus mane mensibus omninò evanuerunt. Quæritur nunc, quæ fuerit ratio, quod mulier non tantum ab aquis hystericis, mensesque promoventibus, sed etiam cibo & potu majores senserit dolores? Quoniam primò sanguis ex mensium suppressione superfluus, & exitum naturalem non inveniens, præcordia petiit, & partes respirationi destinatas; ideò aquis calefacientibus sæpè datis aucta

aucta fuit sanguinis ad locum affectum attractio. Secundò, præcordia nimio sanguine oppressa assumptis alimentis adhuc magis opprimebantur, & ventriculus alimenta in flatus convertens dolores & pectoris angustiam pariter augebat.

OBSERVATIO LXXXVI.

Fistula metatarsi, per naturam distorti, repetitis incisionibus curata.

NIcolaus Lopp/Sartor Pfulensis, pruritum in sinistro metatarso sentiens pedem unguibus scalpsit, & tandem excoriavit: æger à salsis humoribus expurgatus excoriationem albo cocto curare tentavit, donec inflammatione oborta Chirurgum in præcedenti Observatione nominatum vocare cogeretur. Vocatus pedem inflammatum idoneis medicamentis tractavit, &, phlegmone mitigato, ulcusculum consolidantibus curavit. Altera post consolidationem septimana ulcus ita incruduit, ut nullis remediis à Chirurgo per semestre diligentissimo ad cicatricem duci potuerit, in fistulam degenerans angustissimam, quæ plures sinus habuit. Re ita habente, Patiens meum imploravit consilium & operam, iterum atque iterum rogitans, ut ipsi meam de suo affectu animi sententiam aperirem. Petito locum daturus, religavi pedem fasciis benè involutum, & visum ulceris orificium (*quod propter angustiam vix acicúlam admisit*) tenuissimo ex gentiana penicillo dilatare tentaturus, pronunciavi, ulcus fistulosum citra incisionem nullo modo curari posse. Ægro in sectionem consentiente, angusto ulceris orificio Chirurgus statim immisit minimam de gentiana turundam, per quatuor & viginti horas relinquendam. Altera die, extraxit turundam tumefactam, &, foramini majorem intrudens, materiam in sinibus collectam non expressit. Tertio die, majori ex gentiana turundæ substituit spongiam contortam, qua foramen magis dilatandum ita obturavit, ut ne guttula puris, citra expressionem, effluere posset. Quarto die, æger ob collectam puris copiam (*quod fistulæ cuniculum & sinus ipsi vicinos valdè dilatando & inflammationem excitando insignes dolores causabat*) religationem pedis, & incisionem fistulæ ocyus instituendam ferè supplex rogavit. Extractâ spongiâ, & extruso per magnum orificium pure, fistulæ fundum syringotomo, ad cuspidem cerato munito, perforavi, & perforatæ interstitium incidi, vulnus filamentis vitello & albumine ovi imbutis Chirurgus replevit, &, apposito linimento simplici, totum crus fascia longa involvit, ad arcendum inflammationis augmentum. Quinto die, fistula aperta ostendit duo orificia, per quæ compressi sinus materiam collectam expurgarunt: quare Chirurgus uni orificiorum turundam ex spongia paratam leniter intrusit, & fistulæ callum gossipio quodam caustico superficialiter madefecit, cavitatem filamentis aridis repletam linimento simplici iterum contexit, & integram tibiam emplastro Wirzii defensivo involutam deligavit, ligaturam in extremo pede incipiens, & prope genu finiens. *Sexto die*, dilatatum sinus orificium & fundum eodem scalpello acuto perforavi & dissecui: sinum modò apertum Chirurgus globulis ovo agitato infectis tractans, fistulæ primo incisæ (callosis parietibus oleo antimonii destillato iterum tactis) cavitati & tibiæ eadem remedia superligavit. *Septimo die*, alterum sinum dilataturus

turus & inciſurus interrogavi Patientem, an Chirurgiam momentaneam admittere velit? Reſpondit ſe malle, ut ſinus primò agglutinationem, & demum ea non obtenta, ſectionem tentarem. Chirurgus itaque ſinum mulſa, conſolidantibus alterata, lotum appoſitis plumaceolis quotidie comprimens noſtro judicio benè agglutinavit, ſed, menſe elapſo, ſinus latera iterum disjuncta novam collegerunt materiam, quæ antiquum quæſivit exitum. Quapropter ego (*quia Chirurgus alibi occupatus ægrum viſitare non potuit*) pleni materia ſinus orificium, immiſſo ex ſpongia penicillo, dilatavi, &, expurgato pure, ſinum ſcalpello allegato incidi, vulnusque globulis ſtegnotico & anodyno imbutis tractatum cerato diachalciteos operui. Sinus globulorum beneficio dilatatus nullum quidem habuit callum, ſed aliud oſtendit orificium, cui Chirurgus ſtatim immiſit turundam dilatatoriam, eaque extracta, ego ſinum ſyringotomo etiam, ægro vix animadvertente, diſſecui, & Patienti ſecuram ulcerum conſolidationem promiſi. Fiſtula primaria, ſinusque primò inciſus calloſos parietes habuerunt, quamobrem Chirurgus ipſos aliquoties oleo antimonii leviter tetigit, calloque conſumpto ulcus detergentibus, incarnantibus & epuloticis curavit, ſinus autem poſteriores, & callo deſtitutos mox mundificavit, incarnavit, & ad cicatricem duxit. Hoc modo æger tractatus duorum menſium ſpatio priſtinam adeptus eſt ſanitatem.

OBSERVATIO LXXXVII.

Nervi punctim vulnerati, meliceridisque in humero & genu natæ curatio.

IN nervis punctim & cæſim vulneratis, poſt univerſi corporis procurationem, Medicorum quidam prius incidunt cutim ad angulos rectos, ut ſanies liberè exeat, & medicamenta topica uſque ad puncturam nervi penetrent. Alii, facta cutis in angulos inciſione, nervum etiam vulneratum transverſim diſſecant bono ſucceſſu, antequam remedia externè adhibent, ut humorum affluxus inhibeatur, qui dolorem auget, inflammationem efficit, ac convulſionis cauſa fit. Quia tamen hanc ſolius cutis inciſionem, vel etiam nervi punctim vulnerati diſſectionem, ægrotantes raro vel nunquam concedunt, in Barbitonſorum gratiam (qui non raro, dum venas ad emittendum ſanguinem incidunt, nervos venis vel vicinos, vel ſubjectos imprudenter pungunt) hic topicum in ſimili caſu ſæpius expertum apponam.

℞. *Euphorb. optim.* ℈j.
Reſin. Tereb. ℥ß.
Cer flav. parum.
M. f. Unguentum,

quod extendatur ſuper linteum, & loco punctim vulnerato calidè applicetur. Hoc ſolo ſtatim adhibito, plures ejusmodi puncturas tutiſſimè curavi, ut teſtabitur Clariſſimus & chariſſimus meus Affinis & Collega, Dominus D. Joann. Sebaſtianus Bloſius, & cum ipſo Chirurgus Nicolaus Reutte.

II.

II. Anno M.DC.XXIX. *Andreas* Mönchmayer / Bigarius Ulmenſis, conqueſtus eſt de moleſta in dextro humero meliceride, quam, præparato & purgato prius corpore, reſolvi appoſito cerato diaſinapios correcto. Hujus cerati contra melicerides efficaciam experti ſunt non modò *Jacobus* Dettelbach / *Hieronymus* Schmid / & *Martinus* Buchmiller / ſed etiam *Waldburga* Hegelerin / quæ, meo conſilio, meliceridi in dextro genu exortæ, & ovum anſerinum magnitudine adæquanti applicuit idem ceratum, quod menſis ſpatio tumorem, & quicquid primis diebus, ob neglecta univerſalia, fuit attractum, integrè diſcuſſit. Religioſorum genubus tumefactis mirabiliter confert ceratum diaſinapios, quare Chirurgiæ tyrones hoc ſibi commendatum habeant.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Eryſipelata & tumores ædematoſi.

I. USu linimenti ſimplicis, non raucidi & frequenter immutati ferè innumera in artubus eryſipelata feliciſſime curavi, non neglectis tamen univerſalibus, & refrigerantibus internis. In hujus linimenti defectu nihil præſtantius ſum expertus, quàm oleum amygdalarum dulcium recens, & ex aqua ſolatri in phiola vitrea novies lotum, quo frigidè inungitur pars affecta, donec illius calor vehemens minuatur. Alii non immeritò commendant Balſamum Saturni oleo lini paratum, & ſæpiùs pluma illitum.

II. Nobiliſſima calcis aqua, per aliquot dies uſurpata, multos tumores ædematoſos jam conſiſtentes diſcuſſi. Sumitur autem fruſtulum calcis vivæ ad quantitatem nucis juglandis, & in aquam ferventem immittitur, donec diſſolvatur, quo facto, calx cum aqua agitatur, & poſtea ſponte reſidere permittitur. Hinc clarior aqua per inclinationem in aliud vas transfunditur, in qua ſpongia nova, & quæ nitroſæ qualitatis adhuc particeps eſt, exprimitur, calideque parti affectæ ſuperligatur. Notandum verò, quod pars oleo amygdalarum dulcium, vel axungia porcina veteri prius debeat inungi: facilè enim fieri poteſt, ut portio quædam calcis, quæ eſt acerrima & corroſiva, in aquam transfuſam abierit, quæ cum ſpongia applicita partem erodere & mordicare poſſet.

OBSERVATIO LXXXIX.

Perniones exulcerati, herpesque miliaris & exedens.

I. INnumeros à pernionibus exulceratis curatos vidi, ipſusque permultos curavi linimento ſequenti, quod *Joannes Prævotius*, in ſua pauperum medicina, meritò commendat:

℞. *Folior. Tabac.*
Cortic. med. ſamb. a. Mj.
Radic. aſphodel. alb. ℥j.
Recentia minutim incidantur in Olei communis ℔j.

coquantur lento igne ad consumptionem totius humiditatis, & facta forti expressione,

℞. *Thur. subtiliss. pulv.* ℥ß.
Cer. flav. ʒvj.
Addantur oleo cocto, &
F. Linimentum.

Si pulvis stercoris ex homine combusti ulceribus à frigore ortis inspergitur, & linimentum sequens, supra linteum, apponitur, brevi temporis spatio curantur. ℞. Baccarum juniperi recentium & contusorum Mj. butyri cocti ℥iiij. In hoc butyro frica baccas, donec nigredinem contrahant: postea butyrum flavedine tinctum decanta, & baccas combustas rejice.

II. Arida herpetis tam exedentis, quam militaris ulcuscula (*post totius corporis per medicamenta cholagoga & refrigerantia repetitis vicibus assumpta procurationem, & partis affectæ ex decocto malvarum dulci lotionem*) in plurimis, brevi temporis spatio, sanavi præstantissimo Nicotianæ cerato. Quodsi ulcuscula in altum nimis serpserunt, ceratum modò dictum redigatur in formam unguenti:

℞. *Cerati citrini.* ℥ij.
Ol. myrtin ʒvj.
M. F. Unguentum,

quod filamentis aridis inductum ulceratæ parti admoveatur, & apposito desuper cerato de cerussa, ne decidat, conservetur.

OBSERVATIO XC.

Manus & pollex ob spinam ventosam abscinduntur.

DUm Patavii studio Medico operam dedi, & Chirurgiam exercui, Nobilis quidam Studiosus laboravit per aliquot menses ædemate manus sinistræ, quod, post universalium usum, sub præstantissimis topicis nunquam diminui, sed tandem in vola exulcerari cœpit. Quapropter adhibuimus in consilium Excellentissimum Spigelium, qui postquam ulceris qualitatem specillo explorasset, & os corruptum tetigisset, statim tumorem vocavit spinam ventosam, quæ malum est incurabile, & amputationem partis affectæ requirit. Provenit autem spina ventosa ab humore, qui occulta & infensa qualitate primum ossa, citra omnem periostii læsionem atque doloris sensum, corrodit, deinde ædema efficit minimè dolens, & post aliquot menses partem exulcerat. Consensu ægri obtento, manum extremam supra radii & cubiti appendices scalpello falcato ac serra resecui (*Tab.* LIII *Fig.* V. VI. & VII.) cubitoque spleniis, vesica & fasciis (*Tab.* LIII *Fig.* VIII. IX. & X.) obligato, in parte amputata reperi ossa metacarpi quidem corrupta, sed periostio undique (*præterquam in illo loco, ubi ulcus*) adhuc contecta.

II. *Excellentissimus Spigelius* Monacho cuidam Bononiensi, pollicem sinistræ manus, spina ventosa corruptam, forfice (*Tabul.* LIII. *Fig.* XI.) abscidit, manuique mutilatæ, ad sistendum sanguinis fluxum, & prohibendam inflammationem, plagulas stegnotico imbu-

imbutas, & vesicam in oxycrato expressam applicuit, cubitumque fasciis ad flexuram usque involvit. Consistente sanguine, ulcus medicamento detergente mundicavit, & epulotico divino consolidavit. Hujus gravissimi affectus mentionem facit *Guernerus Rolfincius Dissert. Anatom. l. 2. c* 4. & *Marcus Aurelius Severinus* eundem fusè describit l. 5. de recondita abscessuum natura & Pædarthrocace.

OBSERVATIO XCI.

Vulnus sclopeti in humero dextro cum gangræna.

ANno M.DC XXXIV. *Joann-Philippus* Schmid / nunc Præfectus vigilum Ulmensis, in conflictu prope Nordlingam habito sauciatus fuit glande sclopetaria, humerum perforante, Ulmamque veniens incidit in manus Chirurgi parum exercitati, qui vulneris orificia, non turundis, sed trajecto setone, citra totius procurationem, aperta detinuit, eoque tantos Patienti dolores excitavit, ut inflammationi succederet gangræna, cui statim, fortuna superveniens, applicui, remoto prius setone, cataplasma ex farina foliorum malvæ & aqu. rosacea coctum; &, alvo per clysterem lenitivum recluso, revulsionis gratia, Patienti è sinistro brachio Chirurgus emisit ℥vij sanguinis, qui biliosus valdè, & serosus fuit. Quapropter altera die, gangræna remittente, æger hausit potionem hydrocholagogam:

℞. *Syr. ros. sol.* ℥ij.
Extr. Rhab. simpl. ʒj.
Cnicoph. ℈ij.
Mag. Tart. ℈ß.
Aqu. Borrag. q. s.
M. F. Potio.

A qua decies dejecit materiam peccantem. *Die tertio* Gangræna sub Cataplasmatis usu omninò evanuit. Reliquis diebus carnem circa vulnus putrefactam unguento Hildani Ægyptiaco separavi, & tandem vulnus per secundam intentionem Mensis spatio feliciter curavi. Miras hujus cataplasmatis vires, restitutus adhuc superstes, satis laudare non potest, eique brachii conservationem unicè adscribit.

OBSERVATIO XCII.

Erysipelas utriusque cruris exulceratum.

ANno M.DC.XLV. Die XXIV. Augusti, Generosus Dominus *Nicolaus* Dieterich / vulgo Sperreiter *dictus* (de quo videatur Observatio quinquagesima quarta) conquestus est de erysipelate utriusque cruris exulcerato, summo pruritu, & acris materiæ per poros cutis effluxu. Cùm autem affectus iste ab effervescentia sanguinis, & abundantia bilis in toto dependeret, præmisso clystere laxativo & refrigerante:

(℞. *Spec.*

(℞. *Spec. decoct. carm.* ℥j.
Herb. violar. Mj.
Coqu. in s. q. Aqu. simpl.
Colat. ℥viiij. *adde*
Mell. ros. sol. ℥ijs.
Flor. cass. rec. extr. ℥j.
Ol. violat. ℥ij. *M.*) Generoso Patienti per venam cubiti dextri internam ℥vj. sanguinis educi curavi, & ipsi ad temperandum calorem vesperi sequentem exhibui julepum.

℞. *Brodii de radic. cich. condit.* ℥viiij.
Aqu. cichor. q. s.
M. pro duab. dosib.

Potus fuit aqua hordei Magistralis cum tinctura rosarum permixta, cibus autem hordeaceus, aliaque alimenta refrigerantia. Cruribus exulceratis Chirurgus militaris meo consilio sæpius per noctem applicuit linteum triplex in decocto sequenti calide expressum, ad mitigandum pruritum, & impediendum acris materiæ ad partem affectam affluxum:

℞. *Herb. Malv. Mj.*
Veronic. Mß.
Alumin. crud. pulv. ʒj.
Coqu. in s. q. aqu. fluviat.
Colatur. serv. in olla.

Die xxv Augusti pruritus, & acris materiæ per poros effluxus cessavit. Quapropter tibiis exulceratis apposui emplastrum de Saturno Mynsichti, Linimento simplici permixtum, & linteo raro inductum.

℞. *Empl. de Saturn. Mynf.*
Linim. simpl. a. part. æqu. M.

Dominus verò Patiens ad expurgandos humores serosos & biliosos hausit potionem sequentem:

℞. *Syr. ros. sol* ℥iij.
Extr. Rhab.
Diacarth. a. ℈ij.
Aqu. endiv. q. s.
M. & F. Potio.

A qua decies dejecit. *Die* xxvj. ob nimias animi commotiones ambo crura corripuit vehemens inflammatio, quæ certissimam ipsis gangrænam minata est. Ad eam igitur præcavendam, expertissimum meum cataplasma (*de quo Observatio proximè antecedens agit*) calidè adhibui, &, quoties à calore crurum exiccabatur, aliud applicari jussi. *Die* xxvii. inflammatio gangrænam minans remisit, & xxviii. omninò cessavit. Quapropter ulceribus iterum adhibui mixturam de Emplastro Saturni, & Linimento simplici, donec ix. Septembris ea consolidarentur, & Dominus Patiens de nullo amplius vel

vel dolore, vel calore crurum conquereretur. Ad præcavendam affectus curati recidivam, restituto præscripsi vinum medicatum, (*à cujus usu felici, brachio dextro fonticulum inussi*) & electuarium dentifricium, ad dentium radices obfirmandas, eorumque sordes detergendas:

℞. *Pulv. porzellan.* ℥iiij.
Lign. Aloës.
Sant. citr. a. ℥j.
Mosch. ℈ß.
Radic. Ireos Flor. ℥ijs.
Alumin. crud. ʒij.
Mell. ros. optim. desp. ℔ij.
M. in form. Elect.

OBSERVATIO XCIII.

Steatomata utriusque manus per suppurationem curata.

ANno M. DC. XXVIII. *Joanni Sculteto*, Martini, fratris mei, filio annum sextum agenti, in externo sinistræ manus metacarpo, prope indicem exortum est tuberculum, cui, cùm ganglii figuram referret, primò laminam plumbeam arctè superligavi. Anno M. DC. XXIX. puer tempore Bacchanalium sudavit in Balneo *Hieronymi* Wiechers ad portam Danubii publico, & vesperi domum veniens correptus fuit ingenti manus totius inflammatione, quæ sub calida agni pelle efficaciter aliàs resolvente ad suppurationem venit, & scalpelli (*Tab.* xiv. *Fig.* iv.) usum requisivit. Abscessu debitè aperto, materiaque purulenta & sebacea expurgata, vulnus per carnis generationem, seu secundam intentionem curavi. Autumno ejusdem anni alius tumor comparuit (*in eadem quidem parte, sed prope carpum*) qui paulatim crevit, & resolventibus tractatus similiter degeneravit in abscessum ferro incidendum, quo inciso prodiit materia ex seno & pure similiter commixta, ac vulnus deinde medicamentis sarcoticis & epuloticis appositis brevi temporis spatio curatum fuit. *Anno M. DC. XXX.* circa Æquinoctium Vernale, in utriusque manus metacarpo suborti sunt tumores sebacei, qui assumpto per mensem decocto sudorifero (*cujus basis erat radix sarsaparillæ*) insensibiliter & citra topicum remedium resoluti fuerunt. *Anno M. DC. XXXI.* novi tumores orti sunt in carpi & metacarpi utriusque lateris pluribus locis, qui ad magnitudinem nucis juglandis excrescentes causarunt inflammationes & abscessus, qui facta scalpello via materiam superioribus similem profuderunt. *Anno M. DC. XXXII* utrumque cubitum invaserunt steatomata: quapropter iterum suasi curam sudoriferam, à qua Patiens, ad sudorem valdè difficilis, planè abhorruit. Suppuratos igitur ferro incidi, materiaque sensibiliter educta, vulnera per duos menses aperta detinui impositis turundis, lavando interim manus quotidie per horam in aqua (*ex puteo villæ prope Ulmam Stribelinæ*) calefacta, easque spongiis in eadem madefactis involvendo, donec reliquiis discussis membra affecta pristinum robur acquirerent. Hac aqua puer (*in cujus manibus*

extremis viginti quatuor abscessus scalpello allegato incidi, plurimaque ossicula corrupta à cantabulo seu volsella dentibus exemi) ab ulteriore tumorum recidiva præservatus, omnes manuum functiones, citra ullum impedimentum, obiit, singulo trimestri pulverem phlegmagogum assumens.

OBSERVATIO XCIV.

Erysipelata, Oedematosa, & excrescentia carnis.

I. IN *affectibus erysipelatosis & œdematosis simul*, quæ ut plurimum artus invadunt, & magnum sæpè tam Medicis, quam Chirurgis negotium facessunt, nihil præstantius unquam expertus sum sequenti remedio, quod Excellentissimo Spigelio Chirurgus quidam Germanus, pro summo secreto, ut certè est, communicavit:

℞. *Lixiv. mediocr. ex cinerib. vitis.* ℔j.
Nitr. ppt. ʒjs.
Sal. commun. ʒj.
Acet. ex vin. optim. ℥j.
F. Mixtura,

quæ, post universalem curam, splenio duplici tepidè excepta, locoque affecto fasciis strictè superligata, spatio trium dierum vel ad summum quatuor, insignes tumores, qui etiam periculosam minantur gangrænam, mirificè discutit atque absorbet.

II. *Excrescentiæ carnis*, in ulceribus digitorum manus & pedis, citò consumuntur pulvere cum filamentis conceptis apposito, (*qui sequitur*

℞. *Caput Mort. vitriol.*
Spong. combust. a. ʒij.
M. & F. pulvis.)

iisque consumptis ulcus cerati divini auxilio cicatricem adquirit. *Adolescens octodecim annorum* conquestus est de magna gingivæ superioris excrescentia, quam, post curationem totius, filo tenui & paulatim adstricto excidi. Ablata carne, æger per octiduum singulo mane fricuit dentes pulvere:

(℞. *Terr. porcellan.* ℥iiij.
Lign. Aloës.
Santal. citr. a. ℥j.
Mosch. ℈j.
Rad. Ireos Flor. ℥j.
M. F. Pulv. dentifriceus)

Magistrali (*cujus* ℥j. *addita fuit* ʒj. *aluminis crudi & subtilissimè triti*) & post dentium frictionem lavit os sequenti decocto.

℞. *Alumin. Roch.*
Flor. Balaust.
Rosar. rubr.

Myr-

Myrtillor.
Fol. Bugul. p. j.

Bulliant in s. q. vini rubri stiptici ad ℔js. colatura detur ad vitrum pro collutione oris.

OBSERVATIO XCV.

Vulnus cubiti periculosum.

ANno M. DC. XXXIX. Die XXIV. Junii, Festo Divi Joannis Baptistæ, Hora septima post meridiem, Nobilissimus Dominus *Fridericus à* Degenau vulneratus est in duello à Nobilissimo Domino Ludovico de Bettendorff/ duorum digitorum transversorum spatio infra cubiti dextri flexuram. Vulnus hoc (*quia gladius totum cubitum inter ulnam & radium perforavit, vasaque & musculorum tendines læsit*) dolorificum valdè, & cum magna hæmorrhagia conjunctum, Joann. Georgius Bauler / Chirurgus non imperitus benè obligavit. *Die sequenti*, Nobilissimus Patiens ante & post fasciæ religationem conquestus est de vehementissimo dolore circa foramen vulneris internum & externum, sicut in omnibus articulorum & locorum articulis proximorum vulneribus fieri solet. Quare in consilium vocatus præscripsi, revulsionis gratia, Enema sequens:

℞. *Decoct. ex emoll. parati* ℥viiij.
Elect. lenit. ℥j.
E succ. ros. ʒij.
Ol. chamomill.
Violar. a. ℥js. *M.*

A cujus usu vulneratus duas sedes habuit. Tribus horis à rejecto clystere ipsi in sinistro cubito aperta fuit vena mediana. Utrique vulneris foramini turundam ex linteo tenuem, & sequenti imbutam medicamento,

(℞. *Aloës succotrin.*
Thuris.
Bol. Armen.
Lapid. Hæmatitid.
Chrys. ppt. a. ℈js.
Terr. Lemniæ.
Tut. ppt. a. ℈ij.
Sanguin Dracon. ʒj.

Pulverisata misceantur, & cum albumine ovi agitato redigantur in formam unguenti.) imposui, & brachium (*infra & supra plagam*) oleo rosarum & lumbricorum terrestrium calidè inunctum, splenio in vino rubro expresso, fasciaque longa & duobus capitibus prædita obligavi. Hoc facto, unguentum defensivum Fernelii (*quod omnium optimum est*) summo humero applicui, & duabus elapsis horis integrum brachium, citra fasciæ & splenii remotionem, posca irrigari jussi. Potus fuit aqua hordei Magistralis, vino granatorum gratior reddita, cibus autem cremor hordei, & gelatina

 ex

ex pedibus vitulinis parata. *Tertio die* æger melius habuit, vulnus tamen, propter novæ hæmorrhagiæ metum, non fuit religatum, ſed oleis prædictis & poſca totum brachium denuo irrigatum. *Die quarto* religavi faſcias ſecundo circumvolutas, turundas verò è foraminibus vulneris non extraxi, ſed appoſito cum filamentis carptis unguento (*quod conſtabat ex albumine & vitello ovi, pulvereque ſuprà deſcripto*) brachium mixtura oleorum inunxi, ipſique iterum ſplenium in vino rubro expreſſum faſciâ longâ ſuperligavi. Veſperi benè habuit æger, & pro cæna comedit cremorem hordei, & Endiviam vino granatorum & oleo communi conditam. *Die quinto* de nihilo conqueſtus eſt Patiens, quare vulnus religavi, & turundas ſecundo immiſſas extraxi. Sanguinis fluxu ſubſiſtente, foraminibus turundas breviores, ſolo ovorum vitello imbutas & pulvere prædicto conſperſas impoſui, alæ & ſummo humero Fernelii defenſivum applicui, brachiumque oleis inunctum & ſplenio madefacto involutum faſcia duobus capitibus longa ritè obligavi. *Die ſexto* Patiens, ob conſtipationem alvi, & dolorem circa flexuram cubiti, hauſit ſyrupum laxativum:

℞. *Syr. roſ. ſol.* ℥ij.
Flor. caſſ. rec. extr. ℥j.
Sem. citr. pulv. ℈js.
Aqu. cichor. q. s. M.

A quo quinquies dejecit materiam bilioſam & ſeroſam. Vulnus tractavi ſicut die præterito. *Die ſeptimo* parum puris cocti circa vulnus apparuit: quapropter unguento ſanguinem ſiſtenti dimidiam partem thuris pulveriſati, ut vulneri caro increſceret, addidi:

℞. *Pulv. ſupra præſcript.*
Thuris a. ʒß.
Vitell. ovor. q. s.
M. F. Unguentum.

quo imbui turundam vulneri imponendam. *A die octavo uſque ad decimum* æger perbellè habuit. *Die undecimo* dixit, ſe præterita nocte nihil dormiviſſe, brachiumque propter inſomnium grave huc & illuc moviſſe, ita ut externum vulneris foramen denuo aliquid ſanguinis effudiſſet. Subſiſtente autem per ſe firmiter ſanguine, vulnus iterum tractavi, ut diebus proximè antecedentibus, Patientique ordinavi ſequentem ſyrupum purgantem:

℞. *Syr. roſ ſol.* ℥ij.
Extr. Rhab. ʒjs.
Mag. Tart. ℈j.
Aqu. ceraſ. nigr. q. s.
M. & F. Potio.

Die duodecimo, decimo tertio & decimo quarto, æger optimè dormivit, de nulloque amplius dolore circa flexuram cubiti conqueſtus eſt, & foramen vulneris externum, quod ob nimium brachii motum denuo ſanguinem funderet, dedit pus coctum. *Die decimo ſexto*, foraminibus, loco turundæ, filamenta carpta & ſicca appoſui, ſpongiamque

que novam & in vino rubro calidè expreſſam faſcia duobus capitibus prædita ſuperligavi. *Die decimo nono* foramina cicatrice obduxi.

OBSERVATIO XCVI.

Vulnus carpi cum læſione arteriæ.

ANno M. DC. XXXI. Menſe Decembris, *Joannes* Moſer / Sartor Ulmenſis, temperamenti calidi & humidi, anno XXIV. ætatis, circa carpum & radium ſiniſtræ manus, à diſcipulo ſuo adeò vulneratus fuit cultro, ut non ſolùm vena, ſed etiam arteria transverſim inciſa, magnus ſanguinis fluxus & alia ſæva ſymptomata ſubſecuta fuerint. Hoc vulnus ſtatim Chirurgus *Nicolaus* Reutte juxta præcepta Chirurgica obligavit. Secundo læſionis die ſanguis tam copioſè effluxit, ut totum ægroti corpus, ob ſpiritus vitalis diſſipationem, motibus convulſivis agitaretur. Ad veſperam vulnerato ſubducta fuit alvus injecto clyſtere leniente, à quo ter dejecit. *Tertio die* ipſi inciſa fuit vena brachii dextri interna, & eductus ſanguis ad ℥IV. *Quarto die* dum obligaretur vulnus, nil ſanguinis inde manavit. *Quinto*, ob oris amaritudinem, æger uſus eſt ſequenti ſyrupo cathartico:

(℞. *Syr. roſ. ſol.* ℥ijs.
Extr. Rhab. ʒj.
Diacarth. ℈js.
Mag. Tart. ℈ß.
Aqu. cichor. q. s.
M. & F. Potio.)

A quo duas habuit ſedes. *Sexto die*, quia conquerebatur de cordialgia & vertigine, aſſumſit ſyrupum acetoſitatis citri & granatorum, vino granatorum aquaque pimpinellæ & ceraſ. nigrorum permixtum.

℞. *Syr. acetoſ. citr.*
Granator.
Vin. granat. a. ℥ß.
Aqu. pimpinell.
Ceraſ. nigr. a. ℥js.

In animi deliquio magnum ſenſit levamen à ſolo vini granatorum uſu. *Septimo die* noctem inquietam habuit, dixitque ſe tota nocte per ſomnum cum diſcipulo ſuo, qui ipſum ſauciavit, pugnaſſe: & quod majus eſt, conqueſtus eſt de ſumptibus, & propter illos tam melancholicus factus fuit, ut huc & illùc in hypocauſto curreret, à quo motu ſanguis ebulliens ex arteria carpi læſa in omnem dimenſionem exſiliit, ut nullo modo ſiſti potuerit. Itaque (*arteria digitis compreſſa, quæ in media radii parte percipitur*) ex vulnere magnam ſanguinis concreti portionem traxi, & arteriæ vulneratæ ſpongiolam combuſtam, albumine ovi agitato imbutam, & pulveribus lapidis chryſoliti præparati, & Galeni adſtringentibus conſperſam impoſui, convenienti vulnus & cubitum faſcia obli-

obligavi, ipsique instrumentum ex bractea confectum (*quod obserari, & cochlea sua arteriam læsam citra ullum incommodi metum comprimere potest*) adhibui. *Vid. Tab. LII. Fig. I. Octavo & nono die* æger, quia manus usque ad mediam radii & cubiti partem inflammata erat, vesperi admisit enema. *Decimo die* æger habuit melius, & pus flavum per fascias sudavit. *Duodecimo die*, religato vulnere, effluxit pus album, & vulnus latius apparuit, ob sanguinis concreti extractionem (*ut in anevrismate fieri solet*) & impositam spongiam. Tendines musculorum perforantium in conspectum venerunt inflammati, & summo cum dolore ad putredinem tendentes. Vulnere igitur, citra spongiolæ extractionem, deterso, arteriæ læsæ medicamenta prædicta imposui, vulnusque fasciâ obligatum instrumenti clavo iterum obturavi. Interim non neglecti fuerunt syrupi refrigerantes & humectantes, emulsiones item ex aquis & seminibus appropriatis, magisterio corallorum rubrorum, & syrupo violarum paratæ. *Die decimo tertio & decimo quarto*, æger melius habuit, quia inflammatio & dolor manus læsæ aliquantulum remisit. *Die decimo quinto*, pus album de vulnere exivit, dolor manus adhuc remissior visus, & tumor ejus minor, tendinesque colorem naturalem acquisiverunt. *Die decimo sexto*, spongiolæ, quæ orificio incisæ arteriæ adhæsit, dimidiam partem volsella extraxi, alteram verò supra foramen arteriæ reliqui. *Die decimo septimo* extraxi relictam spongiolæ partem, vulneri applicui medicamenta modò dicta, & ceratum citrinum linimento simplici obductum, carpoque fasciis convenientibus obligato instrumentum allegatum adhibui. *Die decimo octavo* orificium arteriæ conglutinatum & tendines carne solida coopertos reperi. *Die vigesimo quarto* Patiens, plagâ per ceratum divinum consolidatâ, pristinam consequutus est sanitatem.

OBSERVATIO XCVII.

Cubiti convulsiones & rigiditas.

I. *Virgo quadam Ulmensis*, duodevigesimo ætatis anno, ob consuetam narium hæmorrhagiam suppressam, nimio mensium fluxu laboravit, eoque restricto de horrenda capitis & molestissima sinistri cubiti (*quem extendere non potuit*) convulsione conquesta est. Purgato igitur capite per pilulas de nitro Tralliani, repetitis vicibus assumptas, & promotis iterum menstruis, caput inunxi quotidie semel linimento de amiantho (*quod ex historia lapidum & gemmarum Anselmi Boëtii l. 2. c. 204 paravi*:

℞. *Amianth.* ℥iiij.
Plumb. usti ℥xij.
Tut. ppt. ℥ij.

Calcinentur, deinde pulverisata in vitro macerentur cum aceto destillato, ac quotidie per mensem materia agitetur semel; post mensem ebulliendа est unius horæ quadrante, ac quiescere sinitur, donec clarescat, deinde

℞. *Aceti*

℞. *Aceti hujus clari*
Ol. ros. a. part. æqual.
M. optim. donec fiat linimentum)

cubitum verò bis unguento Evæ seu polychresto Excellentissimi Spigelii. His duobus unguentis ægra brevi felicissimè curata fuit.

II. *Christophorus* Pfeiffer / Textor Ulmensis, tempore veris ex dextro cubito sanguinem misit, & sequenti die conqueri cœpit de tumore cubiti duro, extensionem prohibente. Tumore per emplastrum Mynsichti de galbano crocatum emollito & resoluto, cubitum contractum usu unguenti Evæ & instrumenti (*Tab. XVIII. Fig. V.*) paulatim quotidie extendi.

III. *Puer quidam militis* Ulmani cubitum, qui luxationem patiebatur, ob malam situationem flectere non potuit. Hunc cubitum ita rigidum inunxi quotidie unguento (*Observatione 79. descripto*) & applicito sparadrappo,

℞. *Ceræ flav. noviß.* ℥ij.
Resin. Tereb.
Pin. a. ℥j.
M. ad ignem, & inting. tela

instrumentum adhibui modo allegatum, eoque paulatim ipsum flexi. Hic puer duorum mensium spatio convaluit, & cubitum pro necessitate, sine doloris sensu & impedimento, flectere potuit. *Observent igitur juniores Chirurgi, ut membra fracta & luxata commodè collocent: non rarò enim, præter membri contracturam, sequitur malam figuram inflammatio. Vid. Tabul. LVI.*

OBSERVATIO XCVIII.

Lepra Græcorum curata.

ANno M. DC. XLI. Die XVII. Decembris, Ego & Clarissimus Dn. D. *Joann. Regulus Villinger*, charissimus meus affinis, Nobilem quandam Ulmensem vocati visitavimus, adeò miseram & aspectu horrendam, ut verbis sufficienter exprimi nequeat. Primò enim non potuit stare pedibus, nisi à duabus ancillis firmiter detenta; facie pallida, fronte rugosa & squamosa; oculis concavis, glabris superciliis, naribus internè à crustis totaliter obstructis, externè verò squamis obsitis, ore tumido, & labiis lividis: inclinato capite, thorace incurvato, atrophia laborante & crassissimis crustis undique obtecta. Sub axillis non aderant pili. Sic quoque dispositum fuit abdomen seu infimus venter. Artus etiam macilentissimi, squamis crustisque omninò cooperti. Apices digitorum in manibus & pedibus nullum habuerunt sensum, propter insignem erosionem & crustarum crassitiem. Ultimò corpus totum odorem fœtidissimum spiravit. His symptomatibus omnibus probè consideratis, affectum Nobilis Matronæ, non Elephantiasin, sed lepram Græcorum appellavimus, & de restitutione multum speravimus, quia nullum de sumptibus dubium nullumque de Patientis, quæ curationem avidè expetiit, obedientia. Quare ad purificandam sanguinis massam præscripsimus sequentem nodulum catharticum:

℞. Ra-

℞. *Radic. polyp. querc.*
Enul. camp.
Cichor. a. ℥ß.
Herb. fumar.
Veronic.
Borragin.
Scolopendr.
Dent. leon.
Beton. a. P. j.
Fol. sen. Alex. s. st. ℥j.
Rhab. elect. ℥ß.
Agaric. trochisc. ʒiij.
Mechoac. nigr. ʒjs.
Semin. carth. ℈iiij.
Gingib. & cinn. acut. a. ℈j.
Incis. & cont. F. Nodulus,

per 24. horas infundendus in mensura majori mulsæ simplicis, de quo Patiens sumat per biduum, tribus horis ante prandium, uncias septem: tertio abstineat à medicamento purgante, & quatuor horis ante prandium, tribusque ante cænam utatur portione conditi (*quod*

℞. *Cons. Borrag.*
Enul. camp. a. ʒvj.
Pulv. marg. ppt.
Corall. rubr. ppt.
a. ℈js.
Trochisc. de vip. ℥ß.
Syr. corall. q. s. M.)

& superbibat haustum seri lactis caprini optimè depurati. Post reiterationem noduli purgantis, eadem usa est balneo aquæ dulcis (*Herb. Fumariæ, Malvæ, Veronicæ & Enulæ campanæ alterato*) per aliquot dies, & postquam in labro horam consumsit, corpus linteis benè detersum ipsa inunxit sequenti Unguento:

℞. *Ung. Pomat.* ℥ijs.
Balf. Perur. ʒij.
Flor. Sulphur. ʒijs.
Ol. Tart. ℥ij. *M. F. Ung.*

Ab usu dictorum medicamentorum fœtor ille totius corporis magnus, & pruritus ejusdem continuus aliquantulum remisit, & crustæ ab apicibus digitorum deciderunt: erosis apicibus ad carnis novæ generationem admovi unguentum, ex cerato citrino & oleo myrtino confectum. Dorsum ancillæ pinguedine viperina inunxerunt. Pro potu ordinario bibit decoctum chinæ. *Hic posset aliquis objicere, hac Patiens laboravit atrophia totius corporis, cur usa est carne viperina?* Respondemus, morbi totius substantiæ cum

cùm non cedant nisi medicamentis tota substantia seu occulta qualitate agentibus. Lepra est talis morbus, ergo non vincitur nisi medicamentis occulta proprietate pugnantibus, inter quæ caro viperina non infimum locum obtinet. Die VI. Januarii, Anno M.DC.XLII. aperta fuit vena communis sinistri brachii, & unciæ quatuor emissæ sanguinis, qui in superficie visus est albus, semiviridis & putridus, in fundo verò nigerrimus & minimè concretus. His addebat Barbitonsor, qui venam incidit, se in mittendo sanguine magnum fœtorem naribus percepisse. His omnibus peractis, tertia vice usa est nodulo purgante & condito, in quo trochiscorum de carne viperina qualitatem adauxi.

℞. *Trochisc. de vip.* ʒiiij.
Cons. Borrag. ʒx.
Corall. rubr. ppt.
Marg. ppt. a. ℈j.
Syr. corall. q. s. M. pro Cond.

Quod materiam malignam à centro ad circumferentiam corporis efficacissimè expulit. Cùm jam sitis remisisset, & ægra dormire incepisset, post assumptionem conditi non amplius bibit serum lactis caprini depuratum. Spatio quatuordecim diebus bis usa est sequentibus pilulis,

℞. *Mass. pill. aur.* ℈ij.
Extract. cochiar. ℈ß.
Mag. mech. nigr. gr. vij.
Extract. Hell. nigr. ℈ß.
c. Syr. de Bethon.
Form. pill. XXI. deaur.

A quibus decies dejecit. Post repetitum pilularum usum pili in superciliis, sub axillis, & in pube recrescere cœperunt. Rebus ita habentibus, ob instans mensium tempus, patienti ulteriorem medicamentorum usum interdiximus & consuluimus, ut in posterum menses diminutè fluentes, vel præter spem retardantes ʒj pilularum de Ammoniaco Magistralium promoveret. His remediis matrona nobilis pristinæ sanitati fuit restituta.

OBSERVATIO XCIX.

Scabies inveterata parvo medicamentorum apparatu victa.

I. Catharina Schaiden/ puella 8. annorum corripitur primo pruritu totius corporis, & deinde scabie sicca, ob quam variis usa est medicamentis, quę pauperibus præscribi solent, nullum tamen exinde levamen cùm percepisset, supplex Inclytum Magistratum rogavit, ut in domum Xenodochii novam, in qua semileprosi degunt, reciperetur. Receptæ Medicus Nosocomii ordinarius varia ordinavit remedia, tam externa quam interna citra conferentiam, quia ultra octennium in dicta domo commorans, præter pruritum & scabiem, conquesta est de molestiis pedum exulcerationibus valdè

valde anxiè, ne quamprimum relegetur in leprosarium. Huic octodecim annos habenti, & operam meam imploranti præscripsi infusum sequens.

℞. *Fol. sen. s. st.* ℥js.
Radic. polypod. ʒvj.
Epythymi. ℥ß
Herb. Fumar. P. js.
Crem. Tart. ʒij.
Ser. lact. caprin. ℔iij.

F. infus. per 24. *horas in loco calido*, de cujus colatura sumsit singulis diebus ℥v. Finito infusi usu, purgatæ consului, ut per longum tempus 4. horis ante prandium, & tribus ante cænam sumeret de saccharo præscripto, quantum latior cultri cuspis capit, & superbibat haustum seri caprini radicibus cichorei & herba fumariæ alteratum.

℞. *Sacch. albis.* ℥iij.
Succ. arantior. acid. ad medietatem abstract. q. s.
F. Rotulæ, quibus pulveris. add. Flor. Sulph. ʒij.
M. ad scatulam.

℞. *Seri lact. caprin.* ℔iij.
Herb. Fumar.
Radic. cichor. a. ℥ß.
Mixta bulliant parum, & refrigerata colentur pro usu.

His remediis per trimestre diligenter usurpatis Catharina pristinam consecuta est sanitatem, mihi magnas ferens gratias, quod ipsam tam levissimis remediis ab horrendis pariter & molestis Symptomatibus liberaverim. Restituta aliquandiu singulis mensibus sumsit dosin pulveris de sena Montagnanæ, postea per decennium in primariorum civium ædibus salva & incolumis serviit, nunc in conjugio vivens saluberrimè cum sartore quodam juvene, *Joanne* Lenhart.

II. Pari medicamentorum apparatu curavi *Waldburgam* Wagnerin / quæ ferè iisdem symptomatibus, *Observatione XCVIII. recensitis*, torta metuit, ne in leprosorum catalogum referatur. Planè enim deformis & horrida publicam auram vitavit, nullumque acubus puncta dolorem sentiens, & inter spem metumque dubia, medicamentis ipsi præscriptis per mensem & dimidium diligentissimè usa est. Curata modum restituendi commendavit Joanni Hagenmayer / Textori Ulmæ laboranti, & quasi deplorata scabie vexato, qui iisdem remediis desideratam brevi adeptus est sanitatem, nunc ultra octennium saluberrimam degens vitam.

OBSERVATIO C.

Lepra ex esu carnium leprosarum originem sumens.

ANno M. DC. XXXVII. tempore Autumnali, *Ulmensis lanio*, in medio fermè Viennensi itinere, à venefica quadam hospite, inque diversorio, demortui cujusdam leprosi carnibus coctis, mensæque appositis tractatus fuit, quarum esu tota ipsius sanguinea massa infecta, brevi temporis spatio, psorodeci instar malignas pustulas cum defœ-

defœdatione capitis inprimis ad superficiem corporis expulit, & percepto rumore, quod scelesta illa fœmina ob publica alia & varia delicta publicè flammis combusta fuerit, vultuosus Patiens de sanitatis suæ restitutione desperare cœpit. Nihilominus tamen, ne sibi ipsi deesse videatur, Chirurgum aliàs exercitatum in consilium vocavit, qui re non satis ponderatâ, solis externis unguentis eundem, sed inani spe, restituere attentavit, usque dum aliquoties in nostris Observationibus citatum, Clarissimum Dn. Collegam, Doctorem *Joann-Georgium Gockelium* (ex cujus communicatione & hanc curationem habeo) summis precibus exoravit, ut hac in parte sibi gratificari, & extrema tentare velit. Hic pro sua humanitate & ægro & Chirurgo solidis rationibus demonstrans, absque jugi internorum remediorum usurpatione, sanguineæ massæ per præparantia, purgantia, & venæ-sectionem exacta depuratione, communicatæ malignitatis mediantibus sudoriferis discussione; hepatis corroboratione, &, vel tandem, externorum debita inunctione, huic, etsi nondum radicato malo, occurri minimè posse. Quare carnario illi omnem in curando assiduitatem & diligentiam promisit, modò Patiens se in omnibus morigerum præstare velit, quod dum sanctè sponderet, curam sequenti methodo aggressus est.

I. Ordinatâ victus ratione, præscribendo videlicet cibos optimi nutrimenti, ac omni acredine destitutos, ut in morbi Gallici cura fieri debet: pro potu decoctum ligni Guajaci & Sassefras cum seminibus Anisi & Fœniculi debitè præparari curavit. Primo ad sudorem movendum, altero verò tanquam debiliori ad sitim compescẽdam concesso.

II. Corpus per biduum digestivo hoc ad expurgationem præparavit.

℞. *Syrup. de duab. rad.* ℥js.
Mell. ros. col. ℥j.
Crem. tart. pulv. ℈js.
Aqu. Asparag.
Fumar. a. ℥ij. *M.*
Pro dosi unica.

III. Vitiosam ventriculi saburram, per sequens medicamentum in vino assumptum, removit.

℞. *Mercur. optim. dulcif.* ℈j.
Croc. metallor gr. vj.
Gutt. Gamandr. gr. vij.
M. F. Pulvis.

IV. Hinc medianam dextri brachii venam primùm aperiri, detractis ℥v. sanguinis jussit.

V. Per aliquot dies concessa quiete, rursus ad corporis præparationem quater in jusculo repetitam accessit.

℞. *Pulv. tart. vitriol.* ℈js.
Dentur doses quatuor, & qualibet ad singularem chartam.

VI. Felicissimè sanguinis mundificationem molitus est per appositas pilulas.

℞. *Extr. parchym. Croll.* ℈ij.

Merc. dulcif. ℈j.
Gutt. Gamand. gr. vij.
C. aqu. Ceras. nigr.
Form. pilul. communes
Pro una dosi.

VII. Accessit ad sudorifera, ubi æger maximè obediens quotidie in prioris decocti Sassafras haustu dosin sequentis hydrotici sumsit.

℞. *Sulphur. aur. diaph. à*
Gr. xij. ad gr. xv.
F. pulvisculus ad chartulam.

Quare ad quatuor septimanas, tempore matutino solùm, in lecto per binas horas commorando, largissimum sudorem movit, excepto septimo quovis die, in quo superiùs notatas pilulas reiterando assumsit.

VIII. Sinistri hinc lateris vena tacta, sanguis emanans priori longè purior inventus est.

IX. Sordium recrementa laconico abstersa, & caput appropriatis alterato lixivio mundificatum fuit.

℞. *Radic. Bryon. ℥j.*
Lapath. acut. ℥ß.
Herb. Marrub.
Menth. crisp.
Origan.
Bethon. a. Mß.
Flor. chamomill.
Rad. Asar. c. toto. a. P. ij.
Agaric. crud. ℥ß.
Crassiuscule l. a. concisa coquantur in lixivio communi.

X. Remanentes quædam pustulæ in quibusdam corporis partibus & capite depulsæ, & omnia externa inquinamenta sequenti unguento in fine sublata fuerunt.

℞. *Vngu. alb. camph. ℥j.*
Mercur. dulcific. ʒij.
Terendo probè M. ad vasculum.

Sic divino favore Patiens mihi maximè notus, decem hebdomatibus felicissimè restitutus, aliquandiu decoctum Sassafras pro potu ordinario usurpavit, ita ut per dies vitæ non amplius malum hoc repullulaverit, &c.

FINIS SECVNDAE PARTIS.

COM-

COMPOSITIONES MEDICAMENTORUM MAGISTRALIUM, QUORUM HINC & INDE MENTIO FIT.

Pilulæ de Ammoniaco.

℞. Extract. Aloes cum aqu. endiv. fact.
Gumm. Ammoniac. acet. squill. sol.
Myrrh. præparat. a. ʒj.
Mastich.
Specier. diatr. santal. a. ℈j.
Salis Absynth. ʒj.
Syr. è succ. ros. q. s.
M. & F. Massa.

Spiritus Mastichinus.

℞. Mastich. electiss. ℥iij.
Galanus. ℥j.
Cinnamom. ʒij.
Infund. in s. qu. spir. vin. & destill.

Vnguentum de Bethonic.

℞. Succ. Betonic. ℥iij.
Pimpinell.
Matrisylv.
Consol. maj. a. ℥ß.
Vini Malvatic. ℥iiij.
Bulliant ad consumptionem vini,
Dein add.
Resin. Tereb. ℥ij.
Ser. castrat.
Ol. rosat. a. ℥j.
Pulv. mastich.
Myrrh.
Mumiæ a. ʒß.
Virid. æris ʒij.
Cer. q. s. M. pro Ungu.

Vnguen-

Unguentum de Tutia.

℞. Ol. rof. compl.
—— Myrtin. a. ℔ß.
Sev. vitul. castr. ʒvj.
Succ. solatr. hortens.
—— Plantag. a. ʒx.
Vin. granator. ℥iiij.
Bulliant ad succorum consumtionem
Facta colatura, add.
Ceruss. pulv. ʒx.
Litharg. ppt. ℥ijs.
Plumb. ust. & lot.
Antimon. ppt. a. ʒj.
Tutiæ Alexandr. ʒiiij.
Camphor. ℈js.
M. omnia in mortario plumbeo ad unguenti consistentiam.

Unguentum Evæ, seu polychrestum Spigelii, quod Foscarinus ex Turcia secum attulit.

℞. Ol. oliv. ℔j.
Ceræ flav.
Resin pin. a. ℥ij.
Butyr. rec. ℥iij.
M. F. Unguentum.

Linimentum simplex.

℞. Suc. solatr. rec. express.
Ol. rosat. a. ℥xx.
Coqu. secund. art. ad cons. succ.
Et colatur add.
Lythargyr. aur.
Ceruss. a. ℔j.
M. sec. art. in form. Linim.

Ceratum Oxelæum.

℞. Ol. commun. vetust. ℔j.
Acet. vin. acerrim.
Lytharg. aur. a. ℔ß.
Misc. ad ignem multo tempore usque ad Cerati consistentiam.

Cera-

Ceratum Citrinum.

Describit Hieronym. Fabric. ab Aquapend. l. 1. pentateych. Chirurgic. capit. 20. de herpete miliari.

℞. Succ. Nicotian. ℥vj.
Ceræ citrin. recent. ℥iiij.
Resin. Pin. ℥iij.
Terebinth. ℥ij.
Ol. myrtin. q. s.
M. & F Cerat. Molle.

Ceratum Diasinapios.

Quod Hieronym. Fabric. ab Aquapend. c. de melicerid. descripsit, & Andr. Spigelius ita correxit.

℞. Sal. Gemm.
Litharg. aur.
Ceruss. a. ℥iij.
Ceræ flav.
Resin. Tereb. a. ʒij.
Gumm. Galb.
Opop. a. ℥ß.
Pulv. sinap. ℥ij.
Ol. veter. ℥viiij.
Acet. acerr. q. s.
F. l. a. Cerat. molle.

Ceratum divinum.

Quod ulcera citissimè glutinat, neque in iis carnem inutilem gigni permittit.

℞. Gumm. Galban.
Ammon.
Opopon.
Bdell.
Pulv. myrrh.
Thur.
Mastich.
Rad. arist. long.
Virid. æris.
Lapid. calam.
Hæmat. a. ℥j.

Litharg.

Litharg. aur.
Ol. commun. a. ℔j.
Cer. citrin.
Resin. Tereb. a. ℥vj.
M. F. ceratum.

Decoctum divinum.

℞. Vin. Malvatic. ℔js.
Rosar. rubr. p. js.
Herb. Bethon.
Matrisylv.
Pimpinell.
Centaur. min.
Flor. stæch. Arab. a. P. ij.
Rad. Aristol. long.
Irid. Flor.
Cortic. thur. a. ℥ij.

Bulliant omnia ad consumptionem duarum partium (sed rosæ bulliant ebullitione unica) & colentur. Colaturæ addantur mellis rosarum optimè despumati ℥ij. M. ad vitrum.

ARMAMENTARII CHIRURGICI FINIS.

INDEX PRIMUS,

INSTRUMENTORUM IN ARMAMENTARIO Chirurgico contentorum.

Seta

INDEX II.

OBSERVATIONUM CHIRURGICARUM.

TT 3 Cancer

INDEX III.

RERUM NOTABILIUM.

Anginæ

F.Fal-

F.

G.

H.

I.

P.

R.

S.

Spiri-

T.

Turun-

U.

Errata

Errata graviora ita restituantur.

Part. I. pag. 17. lin. 1. expungatur

Tabula tertia.

pag. eadem, lin. 36. lege Caninos.
p. 18. lin. 5. leg. dentariis.
p. ead lin 11. leg. Centur. 1.
p. 21. lin. prima, TAB. Decima tertia.
p. eâdem. lin. 6. leg. Heurnius.
p. ead. lin. 20. leg. paratus.
p. ead lin. 34. leg. Syringotomis.
p. 23. lin. 4. leg. per foramen.
p. 58. lin. 5. leg. separandam.
p. 60. post lin. 32. adde : Fig. VI.
Vasculum est vitreum (n Tab. VIII. Fig. V.) oculo alligatum, per cujus infundibulum, oculo affecto, collyria guttatim instillantur.
p. 61. lin 32. leg unus.
p 129. lin. 37 leg. Ol. Nuc. *mosch. expr.* ℥j.
p. 131. lin. 4 Fig. III.

Part II. pag. 26. lin. 16. l. infamaretur.
p. 28. lin 5. adde; læsit.
p. ead. lin. 9. leg. instructus.
p 34. lin. 25. l. ℥viij.
p 47. lin. 27. leg. nostratis.
p. 73. lin. 26. adde, optimè.
p. 78. lin. 14. leg. exteriora.
p. 100. lin. 13. leg. patientia.
p. ead. lin. 34. l. latuit.
p 101. lin. 28. add. pus.
p. ead. lin. ult. leg. detumuit.
p. 105. lin. 19. leg nona.
p. 116. lin 31. leg cibus.
p. 118. lin. 30. add. sine.
p. 129. lin. 27. leg. sevo.

Leviora, Lector benevolus, etiam non admonitus, ipse corriget.